D. IOH. SAL. SEMLERI
PROFESSORIS THEOL. P. O. IN REGIA FRIDERICIANA

HISTORIAE ECCLESIASTICAE SELECTA CAPITA.

CVM

EPITOME CANONVM

EXCERPTIS DOGMATICIS ET TABVLIS CHRONOLOGICIS.

GEN. THEOL. SEM. OF THE

TOMVS SECVNDVS.

SECVL. VII - XI.

HALAE,
IMPENSIS IOHANNIS GODOFREDI TRAMPII
MDCCLXIX.

14211

PRAEFATIO.

VOlumen II *Selectorum capitum historiae ecclesiasticae* lectoribus, vt licet, commendo; non vsurus verborum difficili et sedula pompa, nec enim mihi ipse iam sic satisfeci: sed nec alienus ab omni ingenua spe, quae hominem liberaliter res suas agere conatum sustentare solet atque erigere. Fas certe fuerit, postquam tantum laboris et taedii pertuli, in recensendis istis seculis, breuiter repetere: eidem me consilio ingenuo et liberali semper obsecutum, per hoc temporis interuallum haud paulo plus molestiae et difficilis laboris suscepisse, qnam priora per secula expertus fui. Facile enim intelligitur, longe plurium adiutorum operam et diligentiam in ista superiora sex secula collatam atque impensam fuisse: quam in illa secula, quae solent medium illud, quod dicunt, aeuum

uum complecti. Illa quidem *Hiſtoria* politica, quae a *Francica* monarchia ſolet colligi, multa luce non caret; eruditiſſimorum potius hominum ſtudiis praeclaris eximie explicata habetur; *Italia*, *Hiſpania*, *Anglia*, *Gallia* rerum multitudine iam fere obruit vel auarum lectorem; *Germanicarum* autem *rerum ſcriptores* ſatis multi iam collecti ſunt; minora enim adiumenta vix omnia commode longo ordine deſignari poſſunt: tanta eſt et tam varia copia ſcriptorum. Sed cum alii conſilio operam maxime dare mihi conſtitutum fuerit: iſta tanta miniſteriorum ſubſidiorumque multitudo, tantum abeſt, vt facilem et commodam colligendi rationem vltro adiuuerit: vt potius me, licet ferreo labori iam addictum, tantum non oppreſſerit. Nec hic certum nouae viae ducem eligere et ſequi poteram: adeo iſta beneficiorum, quae a tot auctoribus ſperantur, moles, ancipitis ſaepe indolis malignitate, vel diligentiſſimum ſtudium fallere ſolet. Nempe ex ipſis, qui rebus, quas narrant, interfuerunt ſcriptoribus, colligere iſta *ſelecta capita* inſtitueram; atque ex melioribus certe fontibus haurire, et ſeruatis ſcribentium potioribus verbis et ſententiis, notatu digna momenta deſcribere. Hanc prouinciam ſcio multos contemnere, quaſi a magna laude et merito praeclaro alieniſſimam; quibus iſtam ſapientiam, ſi qua vtuntur, non inuideo: ſed ſi qui ſuſtineant ipſi arripere hanc viam, vereor, vt tanta taedia perpeti poſſint, quae mihi quidem deuoranda eſſe experior. Rei ipſius veram magnitudinem alii boni viri non pauci ſatis intelligunt; quorum me fauore vel mediocri facile conſolabor; non dubitans, paruo tempore poſt haud paulo luculentius et latius huius inſtituti inſignem vtilitatem

tem perſpectum iri. Tum, quando materies digno et amplo aedificio collecta fuerit, qua adhuc carebamus: commode etiam ingenio, quod ſolent tam facile quidam collaudare, ſuus erit locus, vt tandem hiſtoriae eccleſtaſticae corpus componatur, et argumento frugiferum, et a ſcribentium arte commendatum. Non ſoleo detrahere magnorum virorum praeclaris meritis; ſed meo in loco audeo ad emendandam inter nos hiſtoriam eccleſiaſticam ſeuera ſtudia afferre; omnis expers curae, quae a nobiliſſimo inſtituto me poſſit auertere. Nempe, in tanta et maiorum et minorum corporum hiſtoricorum multitudine, quae recentiorum debentur diligentiae: equidem non inuenio facilem, certam et copioſam vtilitatem. Quod et aliis eruditionis *theologicae* partibus accidiſſe mihi videtur, vt ex *latinorum hominum* ſiue maligno ingenio, ſiue ignauia, ſiue imperitia non parum vitii traxerint, quod noſtra, vt maxime licet, ſtrenua induſtria et virtute detegendum et reſecandum eſt: id praecipue *hiſtoria iſta eccleſiaſtica* facile comprobare poteſt; cuius vera indoles, illa ſalubris et frugifera, ſeculorum plurium improbitate non parum contaminata fuit. Minorum vero rerum, quae aut ipſae ſua exilitate contemni debebant, aut cum rationibus falſis compoſitae ſunt, vt ſpecie honeſta fallere poſſint, tanta multitudo ineſt vel grandioribus voluminibus: vt mirum non ſit, parum domeſticae vtilitatis et ad lectores amatoresque huius hiſtoriae, et ad chriſtianam ceteram ſocietatem redundaſſe. Hac autem rerum geſtarum Epitome, quae ex ipſis litterarum monumentis melioribus colligitur, id beneficii facile ad nos redit: vt in rerum veras cauſſas inquirere diſcamus.

Hic, fateor, nondum omnem opportunitatem quasi effeci; quia ex scriptoribus ipsis sententias describo, quae sunt alicuius certae et facilis vtilitatis, non potui eam laudem mihi proponere, quae venustate ordinis perpetui, et ingenii ministerio probabili colligitur. Sed huic iam consilio nullam dedi operam; quia fieri omnino non potest, vt illa domestici iudicii auctoritas sensim succrescat, quae vna nosque et alios a sententiis falsis, dubiis, et imbellibus liberat, atque hoc mirifico experimento historiae vtilitatem comprobat. Hanc si qui minus amandam putarint, quam scribentis publicam gloriam: dent et illi suae maxime gloriae operam; meae me certe numquam poenitebit. Sed ea de re paulo copiosius agi poterit, cum ad seculum XVI. XVII ventum fuerit, cumque ex istis superioribus componentur illae sententiae, quae sacrorum publicorum emendationem tam luculenter et illustrabunt, et porro commendabunt: vt vel difficilioribus etiam arbitris hanc instituti mei rationem excusari posse sperem.

Versatus sum eadem fide in colligendo hoc volumine, ac in primo; itaque earum rerum, quae historiae ecclesiasticae argumentum faciunt, longe maior colligitur iam copia. Hic si per locos quasi communes, scripseram sententias meas, veras etiam et iustas: longe minus laboris et taedii mihi subeundum fuisset; sed istis sententiis nemo commoueri ipse solet; igitur partes ipsas descripsi, quas facile legentium memoria et diligentia vtilissime coniunget, si quando videantur, ob temporis ordinem, iusto longius seiunctae esse. Tempus autem non licebat omnino

no negligere; quia sic origo et incrementa rerum, siue bonarum, siue prauarum, accurate perspici possunt. Superfunt adhuc ex hoc interuallo quorundam scriptorum libri, quos hic nondum recensui; quidam enim ad manum non erant; aliorum diligentem recensionem tempus negauit. Facile hoc credent, qui voluerint cogitarre, quantum librorum sic perlegendum fuerit, vt nihil colligere potuerim, quod fuerit operae pretium; hoc omne igitur tempus mihi subtractum fuit. *Academicis* autem statis et propriis studiis deesse non licuit; itaque aequiores lectores hic hanc veniam lubenter dabunt. Intelligent enim, si qui fuerint non omnino imperiti, me satis diligenter hic versatum esse, si vel nihil negotiorum a me praeterea fuerit procuratum. Historiae politicae minus dedi operam, ne corpusculum nimis excresceret; maioris tamen momenti res gestas non neglexi; vel in *tabulis*, quas colligere fuit haud exigui laboris. Sed et hic ita egi, vt, si quid videretur antea omissum, aut minus clare descriptum, suppleuerim; auctores etiam et libros designauerim, e quibus copiosior historia petenda est. Nec obliuioni dabitur, quod promiseram, *indicem* a me ipso collectum iri; qui breuiter momenta praecipua suum in locum conferat; e. c. matrimonium clericorum; *imaginum* cultus; *satisfactio; baptismus; transsubstantiatio*, *monasteria* &c. Iam id supereft, vt et alii hanc tantam prouinciam adiuuent, colligantque ex aliis scriptoribus huius generis similia capita; ex his tandem facile *historia ecclesiastica Germaniae*, *Hispaniae*, *Italiae* &c. componetur, haud paulo et dignior et vtilior. Tum etiam sapere alii audebunt, atque ingenuam religionem chri-

christianam distinguent, ab instabili eius statu publico; et facile perspicient, quid iam nostro tempore meliorem hunc statum recte adiuuet. Cetera autem *ecclesiastica* et theologica omnis eruditio, variis liberata impedimentis, felicissime inter nos succrescet, atque sic christianae doctrinae amplissima auctoritas bonis omnibus probabitur, cuius sedulam laruam et infaustam imaginem mirum non est, et calamitatis multum ad alios vel probos homines secum tulisse, et minus placuisse peritioribus humanarum rerum arbitris. *Tertium volumen*, quod sec. XII-XV comprehendit, si deus valetudinem porro confirmauerit, per paschales nundinas speramus e prelo exiturum. Iam deo ago gratias, qui mihi hanc illam opportunitatem suggessit, et continuis meis precibus clementer annuit; eius sapientia facile et his conatibus sic vtetur, vt homines varia vtilitate aucti christianae historiae laetius argumentum ipsi posteris transmittant. Dab. Halae in regia *Fridericiana* d. XIII. Febr. 1769.

Ioh. Sal. Semler.

SELECTA

SELECTA
HISTOR. ECCLESIASTICAE
SECVLI VII. seqq.
CAPITA.

SECVLVM VII.

CAP. I.

Historia regnorum sub vtroque sole.

I. Sub occidente.

Ex initiis huius seculi si quis de ingentibus regni *Francici* successibus vates coniicere voluerat: vix ausus fuerat tantam rerum, quae subnata est, magnitudinem praedicere. Perpetua dissidia res *Francicas* turbabant inde ab anno 600; *Brunehildis*, (parum fidae auiae *Theodorici*, Burgundiae, et *Theodeberti* Austrasiae,) consiliis, bellum in *Neustriae* regem *Chlotarium* 2, satis ferociter gestum, non sine *Reccaredi*, Visigothorum regis, auxilio. Anno 612. *Theodericus* fratrem diro praelio vicit; et Brunehildis consilio nec patri nec 2 filiis pueris pepercit; sequenti anno tamen immatura morte occubuit. Iam *Chlo-*

tarius solus supereſt; et Monarchiae *Francicae* instar reſtituit, 613. *Bertrudis*, coniugis, fide, feliciter insidiis ereptus, quas vel episcopum Sedunensem, *Leudemundum*, facere non puduit; inde cum *Longobardis* foedus iniit; *Dagobertum*, filium, in societatem regni adsciuit, 622; Austrasia ei tradita; post victoriam a *Saxonibus* non sine multa caede reportatam, moritur, 628. *Dagoberto* successore relicto; alter filius, ex alia vxore, *Charibertus*, partem prouinciae Aquitanicae ad montes *Pyrenaeos*, a fratre accepit, *Toloſae* iam habitaturus. *Dagobertus* vsus fuisse legitur (*Fredegarius* c. 58.) consilio *Arnulfi*, metensis ep. post mortem eius *Chuniberti*, ep. colon. et *Pippini*, maioris domus. Mortuo 630 *Chariberto*, solus monarcha fuit *Dagobertus*, quem satis mulierosum faciunt, praeter tres reginas, quas simul amabat, concubinis multis deditum, vt pigueret *Fredegarium*, tot nomina perscribere. A. 633. *Sigebertum*, filium vix triennem, Austrasiae regem fecit, *Mettis* habitaturum, sub procerum quorumdam auctoritate, ob *Vinidorum* (Slauorum) frequentem irruptionem in *Thuringiam*; minorem alium filium, Clodoueum, *Neustriae* et *Burgundiae* praefecit. Leges, quas *Theodoricus*, Clodouei M. fil. prouinciis francicis trans Rhenum *Alemannis* et *Baioariis* iam scribi iusserat, *Childebertus* autem 2, et *Chlotarius* 2, emendari instituerant, quia multum olim paganorum consuetudini datum fuerat, *Dagobertus* renouauit, (*Pagi*, ex Lindenbrogio, ad a. 637. n. 4. *Muratori* hist. ital. *germanice* tomo 4. p. 90.) cum *Baioariis* praeesset dux *Garibaldus*; post *Garibaldum* secuti *Theodo* primus et secundus; post hunc filius *Theodebertus*, sub initium seculi sequentis, cum fratribus, *Theodebaldo* et *Grimoaldo*, dimiserat enim Theodo prouincias. A. 638. videtur *Dagobertus* mortuus esse. E filiis *Chlodoueus* 2, regni auctoritate potior fuit; *Sigiberto* 656 mortuo, *Grimoaldus* maior domus perfide suum ipsius filium *Childebertum* per aliquot menses intrusit in *Austrasiae* regnum; *Dagobertum*, regis filium tonsum

in

ih Hiberniam misit; sed *Chlodoueo* facile et *Austria* subiecta fuit; paulo post tamen, hoc eodem anno, et hic Franciae monarcha mortuus fuit. Successit *Chlotarius* 3, vix aetatis annum sextum agens, in vniuersa monarchia (*Pagi*, 656. n. 22.); a. 660 autem mater *Bathildis* tumultuantibus *Neustriis*, *Childericum*, secundum, filium, praeficit; cui filiam *Bilihildem Hymnechildis*, Sigiberti vidua, despondit, *Dagoberto* in Hibernia neglecto. Mortuus fuit *Chlotarius* 3, a. 670, sine liberis; *Theodericus* frater vix per aliquot menses nomen regis gessit, quia *Ebroinus*, maior domus, intolerabili superbia optimates contemserat; itaque *Childericus* et istud regnum capessiuit; nec tamen regis negligentia magis placuit; eum certe cum regina et filio occiderunt, 673. Successit iam *Theodoricus* frater; in varias partes scindebatur populus; alii falsum Chlotarii filium Chlodoueum sufficiebant, duce *Ebroino*, qui fuerat maior domus in Austrasia sub Chlotario, nec defuerunt successus in Neustria et Burgundia; in Austrasia vero *Vulfoaldus*, qui ex Austria vix euaserat, cum aliis *Dagobertum* 2, illum iam annos 18 fere exulem, ex *Hibernia* reducunt, 674. Non omnes Austrasiani ei paruerunt; *Ebroinus* cum episcopis quibusdam a. 678 mortem eius procurauit, suffecto *Theodorico* 3; in *Burgundia* et *Neustria Warato*, in Austrasia vero, *Pippinus* maior domus factus; illi succesit *Bertharius*, a. 686, quo, post cladem apud *Textricium* villam, 687, occiso, *Pippinus* iam solus tribus regnis et regi ipsi praefuit; nec eripi maioribus domus summa potestas potuit. *Radbodus*, Frisonum regulus, a *Pippino* a. 689. vel 690 victus, obsides tributi caussa dedit. *Theodorico*, 691, mortuo succesit nomine tantum rex *Chlodoueus* 3, e filiis tribus maior. Sub ista tempora *Pippinus*, quem *Heristallum* solent dicere, *Alpaidem* (post primam, *Plectrudem*) duxit, e qua celebrem illum *Carolum Martellum* suscepit, qui 764 mortuus est quinquagenarius. *Chlodoueus* 3 mortuus est 695, (*Pagi* ad a. 692. n. 18.), cui succesit frater

Childebertus 3. Citerior *Friſia* Radbodo erepta fuit *Pipino* belli duce; vlteriorem *Friſiam* ſemper *Radbodus* tenuit. Ceterum legati et *graeci*, et *Chagani*, Auarum, non raro ad aulam *Francicam* miſſi fuerunt hoc ſeculo.

In *Italia* Longobardorum rex *Agilulfus* a ſeculi ipſis initiis cum Exarcha graeco, *Callinico* bellum geſſit; *Patavium* a *Longobardis* funditus euerſum fuit; cum *Auaribus* ſeu *Hunis* foedus habuit *Agilulfus*. Non defuerunt S. *Sabini* auxilia *Ariulfo*, Spoletano duci, contra *Graecos* eodem tempore praelium committenti; *Gregorius*, papa, in Epiſtola ad Epiſcopos *Siciliae*, Lib. XI, 51. de iſtis calamitatibus, quas Romani (qui Imperatori graeco adhuc adhaeſerant, cuius et laureatam imaginem accipiebant, (Tom. 1. pag. 00.) et annis imperatorum vtebantur ad tempus deſignandum,) perpetiebantur, atque omni *Siciliae* male ominatur. *Iſtriam* Longobardi cum Auaribus inuadunt. A. 603 dedit rex coniugis precibus, vt filius *Adaloaldus* a catholicis baptizaretur; expugnauit rex *Cremonam*, et omnino euertit; occupauit et *Mantuam*; quare et *Gregorius* inſtantius a Phoca auxilium petiit, quia iam per XXXV annos Romani ſatis atrocia a Lombardis paſſi ſint, (lib. 13, ep. 38.) Idem Gregorius *Theodelindae* phylacteria miſit, (pro excellentiſſimo filio noſtro, Adalvaldo rege;) et pacem cum Longobardis, vt potuit, promouit; quam Exarcha *Smeraldus*, 605 ſolidis aureis 12000 porro redemit; eadem turpitudo poſtea vel *Heraclio* ſubeunda fuit. Foedus regis cum *Viterico*, Viſigothor. in Hiſpania rege, cum *Chlotario* etiam et cum *Theodeberto*, contra *Theodericum*, qui *Viterici* filiam, *Brunehildis* artibus inductus, turpiter remiſerat; quem euentum habuerit, ignoratur. Ao. 611. Auarum *Canus* fines *Venetiarum* ingreſſus eſt; *Giſulphi*, in praelio occiſi, ducis Forojul. coniux, *Romilda*, foediſſimum facinus perpetraſſe dicitur; libidine in *Canum* incenſa, *Forumiulium* cum 4 filiis et 2 filiabus tradidiſſe, (*Paulus* diac. lib. 4, c. 38.) Cetera tamen Italia ſatis pacata fuit; cum

Graeci

Graeci quotannis CCC pondo auri penderent *Agilulfo*, cui circa a. 615 mortuo ſucceſſit *Adaloaldus*, filius; patris tamen adhuc ſtudiis *Longobardos* a tributo 12000 ſolidorum aureorum, qui *Francicis* regibus pendebantur, liberatos fuiſſe ſcribit *Fredegarius*, (in chronico, a. Chlotarii ſecundi 34.) *Rauennates* Exarcham cum aliis graecis praefectis occidunt; *Neapoli* etiam quidam Graecorum infirmum imperium excutere audent, 617, licet neutris res ſucceſſerit; nec conſilium Exarchae, *Eleutherii*, feliciter ceſſit, qui Italiae, qua Graecis ſuberat, ſe dominum facere propoſuerat, 619. Poſt matris mortem, incertum quam ob cauſſam, rex a. 625 a Longobardis deiectus, ſucceſſorem habuit *Arioldum*, ſororis maritum, *Arianum*; *Honorius* papa, primus, omnem operam fruſtra impendit, vt *Adalualdum* reſtitueret; (Epiſtola ad Exarcham *Iſaacium*) *Gundeberga* regina, quam rex falſae accuſationi confiſus tres fere annos in arce *Lomellina* incluſerat, per *Chlotarii* 2, legatos in libertatem vindicata, cum ordalio vinceret; *Taſo*, dux Foroiulii, et frater *Caccus*, qui Slauis Winidis in *Stiria* multum damni intulerant, regi autem minus placebant, Exarchae perfidia interfecti, (Fredegar. chronic. c. 69. *Paulus* diac. IV, 40.). Poſt mariti mortem (poſt annum 630—636) *Gundeberga* elegit maritum alium, Crotarium, (*Rotharin*), ducem *brixienſem*, qui coniugem priorem cum noua commutaret. Sed fidem *Gundebergae* datam non ſeruauit; tandem cum annis quinque in palatii *ticinenſis* parietibus incluſa fuiſſet, legati regis *Chlodouei* opera throno reſtituta fuit. Fuit et hic dux *Arianus*. A. 639 *Exarcha* theſaurum ſacrum palatii *lateranenſis* partim ſtipendiis militum diſtribuit, partim Conſtantinopolin transmiſit, (*Anaſtaſius* bibliothecar. in *Seuerino*). A. 641 *Genuam* (hic mediolanenſes Epiſcopi quidam ſolebant verſari, inde a Longobardis regibus,) et alias vrbes *Romanas* ſibi ſubiecit *Rotharis*; nec *Iſaacius*, Exarcha, repellendis hoſtibus par fuit; *Rotharis* autem a. 643 legum corpus, *Edictum*, prodidit; quarum

fuit magna per longum tempus auctoritas. Contra *Isaacium* rebellionem Romae fuscitauit Chartularius *Mauritius*, facile ipse oppressus. *Plato* et *Olympius*, qui sequebantur in eo magistratu gerendo, litibus ecclesiasticis se immiscere iubebantur ab imperatore; nec tamen aut persuaderi *typus* Constantis potuit, aut insidiae in *Martinum* papam locum commodum habuerunt; *Olympius* tamen postea dicitur cum Papa contra graecum imperatorem consilia iunxisse. *Rotharis*, qui sub annum 652 videtur mortuus esse, Modoetiae in templo S. *Iohannis*, baptistae, sepultus fuit, (qui τυμβορυχον quemdam dicitur terruisse, vel Ariani regis patronus;) patrem excepit rex *Rodoaldus*; hunc *Aribertus*, e *bauarico* sanguine; a. 653, quo tempore *Martinus* papa per vim a *Ioh. Calliopa Roma* abductus fuit. Post *Aribertum* inter filios diuisum regnum, a. 661; *Bertharidus* Mediolani; *Godebertus* Ticini habitauit; dissidia fratrum locum faciunt 662, nouo regi, *Grimoaldo*, qui dux fuerat *Beneuenti*; alter frater occisus, *Bertharidus* ad *Chacanum* Auarum fugit; a. 663 *Constans* ipse in Italiam venit, sed parum aduersus Longobardus profecit; *Grimoaldi* monitis dimisit Chaganus *Bertharidum*, qui sponte regi nouo se tradidit; sed cum liberalem regis animum consilia aliorum corrumperent, inusitata fide seruitiorum quorumdam feliciter in *Galliam* euasit; atque rex ipse hominum fidem miratus in honore eos habuit. Non defuit *Chlotarius* supplici; cuius in gratiam exercitum misit contra *Grimoaldum*, sed astutia hic superior fuit. Infelicius cessit, quod *Grimoaldus Canum* aduocauit aduersus *Lupum*, rebellem ducem; vix enim nouas incolas e prouincia *Foro iuliana*, quam occuparant, eiecit. Inde irae et vltioni nimis indulsit, in *Forum Popilii*, 667. Adiecit a. 668 legibus salubrem definitionem: XXX annorum spatium ius ita confirmare, vt fas non sit duello alium prouocare. A. 670 pars Bulgarorum sub *Alzeco* duce a regis filio, duce Beneuentano, terras habitandas accepit. *Dagoberto*, qui ex Hibernia redux partem regni *Francici* tenuit,

tenuit, gratulabatur *Grimoaldus*, et foedus impetrauit; itaque *Bertharidus* minus ſe iam tutum ratus in *Angliam* fugit; ſed diuina vox eum e mari reuocauit, *Grimoaldus* enim 671 mortuus fuit; cum venam, quae ante dies nouem ſecta fuerat, arcum vehementius tendens rurſus ruperit. *Bertharidum* lubentiſſime omnes receperunt. Pax floruit per multos annos; filium *Cunibertum* rex regni ſocium fecerat, qui in rebellem *Alachiſum*, Tridentinum ducem, vel inuitum patrem iuſto mitiorem fecit; mortuus eſt pater a. 686 aut ſerius; *Cunibertus*, angloſaxonicam *Hermelindam* vxorem duxit; incertum tamen, an *Ceadwallae* filiam, qui nondum chriſtianus, *Romam* viſurus, *Cunibertum* inuiſit, 689. Iam recruduit *Alachiſi* rebellio, quem tamen atroci praelio *Cunibertus* vicit; regia inſignia diaconus geſſit aliquis in praelio; qua arte et poſtea quidam vſi ſunt. *Granſonem* et *Aldonem*, brixienſes ſatis potentes fratres, muſcae, ſi placet, ſeu diaboli indicio de periculo vitae monitos, in gratiam recepit. *Rauennates* ciues ex ludicris vſitatis pugnis in apertam clandeſtinamque caedem vertuntur, 696; rei atrociam vix Aepiſcopus *Damianus* triduanis ſupplicationibus tandem procurauit. *Venetiis* a. 697 primus dux *Pauluccius* electus, vt inſularum incolae aduerſus *Longobardos* finitimos eo fortius defendi poſſent. Mortuus fuit *Cunibertus* a. 701. ſucceſſit filius *Liutberdus*, ſub *Anſprando* tutore.

II. Sub oriente ſole.

Graecorum imperium *Mauritii* fortitudine aduerſus *Perſas* et *Hunos*, licet non feliciſſime ſemper, defenſum, ſatis ſtare videbatur; ſed quia 12000 captiuos a *Chagano* redimere vel vili pretio noluerat, militum in odium incurrit; a quibus *Phocas* imperator creatur; *Mauritius*, poſtquam filiorum quinque caedem oculis ſuis ſpectarat, et ipſe occiſus. *Gregorius*, papa, deo gratias agit, quod cum *Phoca* redierit *leue iugum*, quod libeat portare ſub-

iectis; in epistola ad *Leontiam*, Phocae coniugem, lib. 13, ep. 39; non desunt tamen, qui *Mauritium* ita laudant, vt Phocae barbarica illa tyrannis negari nequeat; Papa vero, cuius legati antea Constantinopoli nulli versabantur, iam aduersus *Lombardos* auxilia petit, frustra tamen, *Leontiam* hortatus, vt *Helenam* imitata S. Petri ecclesiam defenderet; idem vero sacra olea et reliquias ad reginam *Theodelindam* misit; supersest catalogus, apud *Muratorium* in *anecdotis latinis* tomo 2. pag. 194. *Imagines Augustae* anno 604 Romam aduectae; caerimoniam describit *Ioh.* diac. in vita *Gregorii*, lib. 4, c. 20. *Cosroes*, persarum rex, *Mauritium* vlturus, bellum infert Phocae; hic, forte coniurationem veritus, *Constantinam* et tres filias, *Mauritii* reliquias, interfici iubet; idem 607 *Bonifacio* 3, hoc dedit, vt romanum pontificem caput omnium aliorum professus sit, odio in patriarcham Constantinopolit. *Pantheon Bonifacio* 4 donauit; *Persae* fere ad portas vrbis victores progressi. Itaque, etsi Constantinopoli varia nouarum rerum consilia repressserat *Phocas*, tamen ex Africa *Heraclius* 610 mense Octobri classe appulit; iam facile omnes, tyranni pertaesi, vel in vrbe bellum apertum gerunt. *Phoca* occiso, *Heraclius*, iunior, fit imperator; hic tamen *Persis* repellendis nondum par fuit, qui 612 Cappadociam, 614 Syriam, Ierusalem &c. opprimebant. Imperator *sororis suae filiam*, Martinam, coniugem secundam *duxit*, nec patriarcha *Sergius* eam coronare detrectauit, (*Theophanes*); frustra pacem tandem a Cosroë exorari posse sperans, qui et *Saitum*, sui exercitus ducem, (quod cum *Heraclio* colloqui maluisset, quam eum capere,) et legatos graecos miserae morti obiecit. *Auares* praeterea ingentem stragem Graecis inferunt, vix ex insidiis *Cacani* elabente imperatore; captiuorum, quos trans *Danubium* secum reduxerunt, et praedae vix numerus iniri potest; paulo post tamen pacem a barbaris impetrare licuit. Iam in Persas bellum, vasis sacris etiam impensis, parabatur et diligentius et felicius 622; succubuit

ali-

aliquoties Perſarum vel maximus exercitus; nec profecit *Cosroes*, *Auarum Cacano* contra Conſtantinopolin vſurus, *Gazaros* autem, (ſiue *Hunos*, *Turcos*,) in Perſas excitauit *Heraclius*, 626. *Theophanes* copioſius iſta deſcribit; tandem belli anno ſeptimo, 628, *Coſroes* a filio *Siroe* occiſus fuit, et pax aequior locum habuit; ſunt, qui de recuperata ſ. *cruce* non minus gratulantur, quam de cetera fortuna. Sed 633 nouum bellum a Saracenis, *Abubecro* Califa, Palaeſtinae illatum; iſtorum ſeruitiis nuper Heraclius in bello perſico vſus fuerat. A. 635 *Damaſcus*, *Phoenice*, *Aegyptus* occupantur, cum alexandrini patriarchae *Cyri* conſilium, (*Omaro* annuum argentum, et filiam aliquam Auguſtam, promitti) in tempore opportuno imperator non admitteret; 637. 638 Hieruſalem occupata, et *Perſae*, ſub vltimo *Izdegerde* ſubacti; *Syria* etiam, et *Oſrhoena* (licet 650 demum mortuus rex fuerit,). Mortuo imperatori ſuccedunt 641 filii 2, e duabus coniugibus, *Heraclius Conſtantinus*, (qui vix menſes 4 ſuperſtes fuit) et *Heraclion*, qui naſo abſciſſo cum matre, ob veneficium in ſocium imperatorem, in exilium mittitur, ſuffecto iſtius filio Conſtantino, aut *Conſtante;* Longobardi vero in *Italia* romanam ditionem expugnant; 646 rebellat praefectus Praetorio Africae, *Gregorius;* eo facilius *Saraceni* Africam etiam inuadunt; 648, *Cyprum*, etiam *Iſauriam*. Poſt aliquot annos in Armenia rebellat *Paſagnas*, patricius, cum Saracenis foedere iunctus. Nec felicior Exarcha *Olympius* in repellendis Saracenis a Sicilia, quem *Dorotheus*, Ciliciae patricius, cum papa *Martino* vnius fuiſſe dicit conſilii, inimicum imperatoris et romanae vrbanitatis; atque eam ob rem papa Conſtantinopolin captiuus ductus. *Rhodus* a *Saracenis* occupatur; *Conſtantinus Pogonatus* a patre 654 imperii ſocius adſcitus. Saraceni nauali victoria potiti, vix imperatore fuga elapſo, 655. Anno 659 filios minores Heraclium et Tiberium Caeſares creat; *Muauiae*, qui ob inteſtinum cum *Ali* bellum pacem petiiſſe et dona annua promiſiſſe dicitur, minime

nime facilis. Fratrem, *Theodoſium*, licet diaconorum numero iam intruſum, occidit, 660, vrbe ipſe excedit, 662, vario metu actus; in *Italiam* venit 663, et bellum Longobardis infert, paruo ſucceſſu; ex vrbe Roma aeneos lateres auferri iubet, in Siciliam diſcedens; ciuibus et hic non minus grauis et exoſus, in balneo tandem *Syracuſis* 668 interfectus. *Mecetio*, qui fuerat e coniuratis, feliciter opponit ſe Conſt. *Pogonatus*, iam imperator; videtur tamen *Mecetius* a *Saracenis* auxilium petiiſſe, qui poſt ipſius caedem, Siciliam nauibus inuadunt, 669. Anno 673 Saraceni Conſtantinopolin vehementer oppugnant, etiam 674 reduces vrbem premunt continua vexatione, per annos quinque; *Maronitarum* circa *Libanum* fortitudine *Muauias* ad pacem Graecis concedendam facilius mouebatur; per annos XXX a Saracenis auri non parua vis promiſſa. *Concilium* VI oecumen. in *Trullo*, a. 680 habetur; a. 681 fratres imperatoris, *Heraclius* et *Tiberius* dignitate priuati, quia nouas res moliri dicebantur; filius *Iuſtinianus* fit *Auguſtus*. Aurum, quod romanus papa, inde a *Iuſtiniano* ſolebat honoris ſui adeundi cauſſa pendere regi *Gothico* et imperatori graeco, *Pogonatus* remiſit; ſeruato tamen iure, vt noui papae auctoritas litteris ab imperatore ſcriptis demum locum haberet. *Mallones* filiorum, *Iuſtiniani* et *Heraclii*, imperator *Benedicto* 2, Romam miſit, quaſi ius adoptionis impetraturorum; (*du Cange* diſſert. 22 ad *Ionuill. Pithoeus* lib. 1. aduerſariorum c. 1. in *Euchologio* formula legitur, de primitiis capillorum). Anno 685 patri mortuo ſuccedit fil. *Iuſtinianus* 2, annorum nondum XVI; a. 686 pax cum *Saracenis* in X annos, parum ſalubribus legibus; *Maronitae* magno numero in *Armeniam* per *Iuſtinianum* ablegati, qui Saracenos non mediocriter ſolebant reprimere. Cum vero *Abimelecho*, Sarac. principi, domeſticae turbae obſtare viderentur, pacem imperator non ſine fortunae quadam ſpecie ipſe infregit; etiam cum Bulgaris bellum praeceps placuit adoleſcenti. Milites *Slauonia*, quorum

rum magnam multitudinem locum mutare, et in *Asia* habitare iusserat, in praelio cum Saracenis ad hostem facile transeunt. Praeterea turbae nouae in Italia oriuntur, quia Papa *Sergius* decreta ista *Trullana* non approbabat. Inde ab anno 694 non obscure in populi odium incurrit imperator; atque 695 *Leontius*, quem ex trium annorum squalore imperator parum prudenter statim copiis praefecerat, monachorum quorumdam vaticiniis, (valebant hoc tempore ista studia apud bene multos) *Iustinianum* throno excutit; qui, ob nasum amputatum solet inde *rhinotmetus* appellari. *Africam*, quam *Saraceni* occuparant, per Patricium *Iohannem* imperator recipit; sed a. 698 *Saraceni* omnes istas terras sibi subiecerunt; repulsus *Iohannis* exercitus cum in *Creta* staret, *Leontii* in locum Tiberium *Apsimarum* sufficit, qui Constantinopoli ciuium quorumdam perfidia potitur, et *Leontium*, naso exciso, in exilium mittit. A. 699 *Apsimarus*, quod *Agnellus* narrare audet, *Iohanni* cuidam, abbati rauennati, pro monasterii defensione Constantinopolin profecto, quas petiit, litteras tribuit; abbas vna nocte per aerem feliciter aduectus in tecto monasterii consedit. Adeo miris miraculis huius generis iam isto tempore adsueti homines fuisse finguntur. Episcopus certe abbati poenitentiam iniunxisse dicitur, qui principis tenebrarum vehiculo vti ausus fuit.

CAP. II.

De propagatione religionis.

Non exscribemus iam inficetas omnes narrationes, quibus e. c. inter *Anglos* religionis christianae publicae incrementa solent describi; praeter *Cantiam*, etiam *orientales* Angli, quorum *Londonium* caput *Ethelberti* nepos, *Sebertus*, (Saberethus aliis) tenuit, *Mellito*, huius vrbis episcopo, lubenter paruisse dicuntur. *Mellitus* a. 610 Romam

Romam profectus, publicae sacrae rei caussa; atque, vt quidem *Baronius* (ex vita S. *Eduardi* per Alfredum) suspicatur, papae sententiam rogaturus, de auctoritate *apparitionis* S. Petri, qui a piscatore quodam per *Tamesin* fluvium, in vrbem, noctu, se transuehi petierit, aedificatam extra muros a rege ecclesiam ipse, cum ciuibus caelestibus, *dedicaturus*; prohibueritque episcopum, ne dedicationem superuacaneam die altera perageret. *Dedicationum* serior omnis caerimonia hic a S. Petro diligenter peracta est. Scimus autem praecipue de monachorum caussa requisiuisse: quos quidam in Anglia negabant *christianitatem*, poenitentiam, absolutionem largiri posse. (Meminimus, iam in orientalibus partibus discordias ob monachos non defuisse.) Nempe monachi praecipuam laudem ad se transferre didicerant, eximiis, si placet, studiis et ingentibus conatibus, pro adducendis ad Christianismum gentibus. Mirum vero, filios *tres Sabarethi* regis, retinuisse paganismum; hi *Mellitum* et *Iustum* e ditione sua expellunt, quia noluerit episcopus illis *panem nitidum* (Eucharistiam) dare, quam patri dederat, nisi baptizarentur. *Ethelberti* etiam filius, *Eadwaldus* noluit Christianus fieri; itaque ad vomitum redierunt ii, qui viuo patre *vel fauore vel timore regis*, fidei et castimoniae iura susceperant. Sequi in Galliam Mellitum et Iustum volebat aepisc. *Laurentius;* sed hunc nocte quadam S. *Petrus flagellis* acrioribus laceranit; iam vulneribus istis scatens regi se monstrauit; qui statim idololatria reiecta baptizatus fuit; etiam reuocati post annum fugae, a. 617 *Mellitus* Londinum, et *Iustus* in Roffensem sedem. *Londinenses* vero noluerunt episcopum christianum, idololatris pontificibus magis seruire gaudentes. (Haec *Beda* libro 2.) Fatetur *Beda*, hunc regem minori in regno potestate fuisse, quam patrem, nec potuisse *nolentibus* et *contradicentibus paganis* antistitem ecclesiae reddere. Intelligimus facile quaenam fuerit ista christianae religionis propagatio. Non videtur autem *apostolatus* iste ad gentes magno honore caruisse; quae-

ritur

ritur certe scriptor vitae *Eustasii*, *Columbani* successoris Luxouii, de *Agrestino*, qui vel inuito abbate gentium praedicator esse voluit; nihil tamen inter *Baioarios* proficiens, Aquileiam transiit, a romana communione seiunctus.

Columbanus, qui annis fere XX ex Hibernia profectus, *Luxouiensi* monasterio praefuerat, a *Theoderico* et *Brunehildi*, e regno a. 610 tandem eiicitur; in *Austrasiam* igitur perrexit, et *Moguntiâ* relicta, venit ad locum, *Tucconia*, (in capite lacus *tigurini*) ibi moraturus, ob vicinas *Sueuorum* nationes. Ad loci habitatores progressus reperit, eos sacrificium litare velle; vas magnum, *Cupam* dicunt, quod XXVI modios capiebat, cereuisia plenum, *Vodano*, (alibi, *Wodant* seu Mercurius) sacrum. Eminus sufflat vir sanctus, et statim cum fragore in frusta dissoluitur; manifeste dabatur intelligi, diabolum in eo vase fuisse occultatum, qui caperet animas sacrificantium. Videntes barbari dicunt, magnum eum habere anhelitum; ipse castigatos dictis euangelicis, vt ab his segregarentur sacrificiis, domum redire iubet. Multi tunc conuersi baptismum consecuti sunt; alios, quos iam lauacro ablutos error detinebat profanus, ad cultum euangelicae doctrinae reducebat. (Haec vita S. *Columbani* tomo 2 *Mabill.* acta SS. ordin. Bened. p. 25. 26.) Facile credimus etiam homines obsecutos tanto miraculorum auctori, cum vel vrsus non ausus sit diuisa in duas partes poma deuorare, (ibid. p. 27.) Inde animus fuit, Venetiorum (*Venedorum*) qui et *Slaui* dicuntur, terminos adire, caecasque mentes Euangelii luce illustrare; sed angelus ei apparuit per visum, qui, velut in *paginali solent stilo orbis describere circulum*, mundi compagem ei paruo ambitu monstrauit, iussitque dextra laeuaque pergere. Intellexit igitur, nihil se inter *Slauos* promoturum; aditumque iam in Italiam quaesiuit. *Chlotarius* enim, deleta *Theodorici* stirpe, tribus regnis potitus fuerat, sicut praedixerat *Columbanus*; iam is *Italiam* ingreditur, atque ab *Agilulfo*, rege

rege Longob. honorifice fuſcipitur; elegit viciniam *Mediolani*, et *contra Arianos* (quaſi hic ſolum morarentur,) libellum florenti ſcientia edidit. (Sic illa vita, pag. 28.) *Siſibutus*, Viſigothor. in Hiſpania rex, anno quarto, ſeu 615 lege publica *Iudaeos* ad chriſtianismum amplectendum compulit; eo carmine: Cum veritas ipſa petere et *pulſare* nos doceat, praemonens, quod regnum caelorum *vim patitur* — ſi quis Iudaeorum aut ſe baptizari diſtulerit, aut filios ſuos vel famulos nullo modo ad ſacerdotes baptizandos remiſerit, vel ſe ſuosque de baptismo ſubtraxerit, et vel *vnius anni ſpatium* poſt legem hanc — ſine gratia baptismi transierit: horum omnium transgreſſor, quisquis ille repertus fuerit, 1) et *centum flagella decaluatus ſuſcipiat*, 2) et debita mulctetur *exilii poena*; 3) res tamen eius *ad principis poteſtatem* pertineat; qualiter, ſi incorrigibilem durior eum cuſtodierit vita, perpetua in eius, cui princeps largiri voluerit, poteſtate, permaneat. Haec legis verba. Iudaeorum alii in Galliam elapſi, XC millia tamen dicuntur baptizati fuiſſe. Similem legem *Heraclius* imperator tulit, ſi *Fredegarium* et recentiores quosdam negligentiores ſcriptores (eis hic et alibi adde *Basnage* hiſtoire des Juifs tom. 4. p. 1410 ſeqq. etiam *Longueval* hiſtoire de l'Egliſe gallicane tome 3. p. 528.) audimus; dicitur enim ad *Dagobertum* regem ſcripſiſſe, vt Iudaeos in chriſtianos conuerteret; *Mariana* vero ad *Siſebutum* etiam ſcripſiſſe *Heraclium* confingit, *Marianam* quidam ſecuti ſunt, licet recte iam *Pagius* fabulam reiecerit. E Graecis ſcriptoribus nihil eius generis poteſt deriuari, nec de Aſtrologia hi quid narrant, qua territus *Heraclius* (gentem *circumciſam* imperium romanum concuſſuram), operam dederit *Iudaeis* cunctis conuertendis. Quaſi ignorauerint graeci eius temporis *Saracenos*, quorum adeo opera in bellis ſolebant non numquam vti. Videtur de *Dagoberto* fabula inde orta eſſe, quod ſciebant quidam regis huius ad imperatorem graecum legationem, (*Theophan.* a. 22 Heraclii;) gratulandi cauſſa. De vno

Iudaeo

Iudaeo, praediuite, narrat *Theophanes* (p. 273 edit *parisinae*) *Beniamin*, quem imperator reprehenderit, ὡς κακοποιοῦντα ipsos, a Christianis accusatum. Imperator vero νουθετησας και πεισας ἐβαπτισεν εἰς τον οἰκον *Eustathii*, neapolitae, qui et ipse christianus factus erat. Inde *Hierosolymas* vbi venit *Heraclius*, *Hebraeos* eiecit, atque ab vrbe vltra lapidem tertium abesse iussit. Sed nihil aliud de Iudaeis narratur. Nec *Baronius* fidem meretur, qui in margine, legis quasi fidem facturus, citat *iur. orient.* lib. 1. Nam hic (pag. 2. τῶν ἀνατολικῶν νομιμῶν, iuris orient. libri 3 ab Enimundo *Bonefidio* digesti, a. 1573 ap. *Henr. Stephanum*) eadem omnia illa verba exstant, quibus *Theophanes* ipse vsus fuit.

A. 620, (*Pagi* ad a. 621. n. 7.) *Heraclii* 12, (aut 11.) narratur de *Persa* quodam, *Magundat*, qui relicto Persarum exercitu ad christianos transierit, Hieropolin et tandem Hierusalem profectus, ibi a. 620 baptizatus, nouo nomine *Anastasius*. Cum vero LXXX dies mansisset apud presbyterum, quibus *non licet egredi recens baptizatos*, etiam habitum monasticum rogauit &c. (vita S. *Anastasii*, de qua et in concilio Nicaeno 2. mentio;) hic Anastasius dicitur martyrii ardore rediisse Caesaream Palaestinae, Persis tum subiectam, magos ob falsam religionem reprehendisse; rogauit, vt ne cum ipso etiam suum *sanctum habitum monasticum* verberarent &c. Abductus in *Persidem* dicitur copiose disputasse, tandem post alios LXX in flumine summersus, capite tamen ad regem relato.

Angli boreales, quibus rex *Eduin* praeerat, (Nordanhumbri) christiani nominis admittendi spem faciunt inde ab anno 625. postquam *Eduin* in matrimonium duxerat *Edelburgam*, filiam regis *Ethelberti*, cantuariorum; quam frater *Eadbald* idololatrae regi negauit dari posse. Cum sponsa igitur episcopus (*eboracensis*) *Paulinus* missus an. 625; ad regem *Bonifacius* papa epistolam misit, qua eum verbose hortatur ad christianismum; scripsit et ad coniugem, eadem de causa. Anno 626 rex in vitae periculum

per ſicarium adductus fuit; regina feliciter parit filiam, *Eanfled*, quam *gentis primam Paulinus* cum 12 aliis de eius familia baptizauit; rex ſpondet, ſi victoriam nanciſceretur in bellum egreſſus aduerſus regem *occidentalium Saxonum*, qui ſicarium miſerat, et ſe baptismum ſuſcepturum; tandem, e difficili dubitatione, cum in mentem ei reuocaretur apparitio angeli, qui illi longo tempore ante, e vitae periculo erepto, etiam regnum adeundum proiniſerit, lubenter religionem mutauit; etiam primus pontificum gentilium, *Coifi*, ceteris praciuit in deſtructione templorum, altarium, idolorum &c. (Beda, lib. 2. c. 10 ſeqq.) *Carduella*, (*Ceadwalla*, *Cedoald*,) Britonum indigenarum rex, etſi ipſe chriſtiano vſus nomine. auxilio *Pendae* cuiusdam, de regio *Merciorum* genere, 633, in *Eduinum* rebellis, praelio eum ſuperauit, eumque cum filio *Offrido* exſtinxit; ſucceſſit *Eduino* in vna parte *Nordanhumbriae*, Elfrici, eius patrui, *Edelfridi* filius, *Osrich* (*Deirorum*); in altera *Eanfrid*. Hi fratres apud Scotos exules vixerant, atque ibi etiam baptizati fuerant; ſed iam reges facti ad *idololatriam* redierunt; vtrumque *Ceadvalla* oppreſſit; atque iam, vt *Beda* ſcribit, placuit Chronologis, vt *ablata de medio regum perfidorum memoria*, idem annus ſequentis regis, *Osvaldi*, regno aſſignaretur. Victo *Ceadvalla*, ex *Scotia*, in qua ipſe *exulans* cum militibus quibusdam baptizatus fuerat, petiit ſacros Antiſtites; voluit enim omnem, cui praeerat, gentem (*Berniciorum*) fide chriſtiana imbui, cuius experimenta in expugnandis barbaris ceperat. Cum auſterior aliquis parum proficeret, *Aidanus*, ex inſula *Hy*, miſſus, mitior et prudentior; (*Beda* lib. 3. cap. 1-6.) eum rex ipſe *interpres* dicitur adiuuiſſe; atque iam facile rex omnes nationes Britanniae, 4 linguis diuiſas, ſibi ſubiecit. Narrat *Beda*, etiam gentem occidentalium Saxonum, qui olim *Geviſſi* dicebantur, regnante *Cynigilſo*, fidem chriſtianam ſuſcepiſſe, praedicante *Birino* epiſcopo, a. 635. quem *Honorius*, papa, miſerat, a *genuenſi* epiſcopo, *Aſterio*, conſecratum. Iſtum regem

e ba-

e baptismo exeuntem leuauit *Oswaldus*, (*contigit* enim, eum interfuisse;) qui eius filiam in matrimonium accepit. Reges donarunt ciuitatem *Dorcestriam*, ad faciendam sedem Episcopalem, (in *oxonienſi* comitatu;) *Beda* lib. 3. cap. 7; qui cap. 8 narrat, a 640 regem *cantuar.* Eadbaldum mortuum, cui succeſſit *Earconbert*, filius. Hic primus regum Anglorum in toto regno ſuo *idola relinqui et deſtrui*, ſimul et ieiunium XL dierum obſeruari, principali auctoritate *praecepit*. Fuit omnino diligenter promota *Anglorum* amicitia; haud dubie enim papae ſtudiis, *Cunibertus*, Bertharidi Longobard. filius, *Hermelindam*, angloſaxonis regis cuiusdam filiam, coniugem duxit. Narrat etiam *Paulus diaconus*, lib. 6. c. 15. *Ceadvallam*, angloſaxonum regem, *Romam* veniſſe, *Sergii* 3 tempore, vt relicta idololatria, chriſtianam fidem ſuſciperet; (forte, vt regni partem eo facilius retineret.)

In *Italia*, nondum *paganismus* omnino exſtirpatus fuit hoc ſeculo; nam in vita S. *Bertolfi* (Mabillon. acta SS. Benedict. ſec. 2. p. 164.) narratur, de monacho *bobienſi Moroueo*, qui fanum inter arbores viderit, ſupra fluuium *Iriam* (*Scrivia*), illudque combuſſit. Cultores fani *Moroueum* diu fuſtibus caeſum in fluuium merſerunt, impoſita lapidum maceria, qui tamen facile emerſit et *Terdonam* vrbem ingreſſus eſt &c. Huc praecipue pertinet illa narratio, (in vita S. *Barbati*, Epiſc. beneuentani, ap. *Vgbellium* tomo IV. *Italiae* ſacrae, in aepiſc. benev.) *Longobardi*, dicebantur quidem chriſtiani, et baptismum admittebant; ſed ſeruabant ritus gentiles, ſicut et Franci facere ſolebant (vid. Vol. I. *ſelect. cap.* pag.) obſeruabant *viperam* quaſi familiarem deum; arborem aliquam ſacram, appendicibus ornatam, quas in ſacris exercitiis et ludis auferebant. Parum valebant admonitiones *Barbati;* tandem voti cuiusdam compos dux *Romoaldus* permiſit, arborem a *Barbato* ſuccidi. Idem viperae auream imaginem e ducis palatio clam ſuſtulit, et calicem aureum fieri curauit; nec aegre tulit dux hoc factum.

De *Chrobatorum* baptismo narrat *Constantinus*, Porphyrogen. de administrando imperio cap. 31. in *Bandurii* imperio orientali pag. 97 edit. *parisin.*) *Chrobati*, qui *Dalmatiae* partes nunc habitant, (scribit,) confugerant ad *Heraclium*, cuius iussu *Abares* ex istis terris eiecerunt; praeerat iis tum temporis *Porgae* pater; *Romam* iam imperator misit, et *sacerdotes* arcessiuit; e quibus aliquem fecit *Aepiscopum*, episcopum, presbyteros, et diaconos; sic baptizati fuerunt, atque *Porga* iis dux praefuit. A romano papa, cuius iussu sacerdotes venerant, χερσμον et ὁρισμον ἐλαβον, itaque nolunt bellum aliis extra prouinciam suam bellum inferre; post baptismum συνθηκας και ἰδιοχειρα ἐποιησαντο, atque ὁρκους βεβαιους ad S. *Petrum*, Apostolum; papa contra spopondit, si quis eos bello petat, *Petri* adiutorio victoriam ipsos habituros &c. (Adde *Lucii* de regno Dalmatiae lib. 1. cap. 11. *Lucius Thomae*, archidiaconi historiam euulgauit; *Thomas* papae (*Honorii*) legatum, *Ioannem*, patria rauennatem, missum fuisse narrat in partes *Dalmatiae* et *Chrobatiae*.) *Bandurius* in notis ad *Porphyrogen.*, *Muratorius* etiam in histor. Italiae (tomo 4. p. 78 edit. german.) *Lucium* sequitur, atque de *Heraclio* iuniore, seu *Iustiniano* rhinotmeto intelligit eam narrationem; sed satis refutat *Iosephus Simonius Assemani*, in *calendariis* ecclesiae vniuersae tomo 1. romae 1755. 4to. pag. 499 seqq. Longe magis a fide abesse videtur, quod *Paulus*, diaconus, narrare sustinet, sub *Constantino*, seu Constante, persicam reginam, *Caesaram*, Constantinopolin fugisse quasi minoris loci feminam, atque baptismum ibi suscepisse; a marito repetitam negasse se redituram, nisi et ipse velit christiano nomine censeri. Venisse igitur et regem cum LX M. suorum; hos omnes baptizatos atque ab imperatore muneribus eximiis donatos. *Baronius* ista anno 593 affert, n. 4; sed et ipse mendaciis adnumerare non dubitat. *Fredegarius* anno 589 multo adhuc fabulosiora narrauit; isti ergo sub *Mauritio*; *Paulus* sub *Constantino*; fabula enim nullo tempori

pori bene conuenire potest. *Graeci scriptores* nihil quicquam de re tanta narrant.

Sub occidentem solem fere continuae narrationes de propagatione christianae religionis; inter orientales *Anglos* per *Furseum*, Hibernum; (*Beda* lib. 3. cap. 14. eius vita apud *Mabillon.* seculo benedictino 2. pag. 300 seqq.) Nempe praedicauit ea, *quae viderat* vel *audierat*, Scotorum populis, p. 306. Vidit autem meras stultitias, daemonia, angelum, qui purgauit corpus suum &c. S. *Amandum*, leodiens. episcopum, papa *Martinus* huic apostolico ministerio ad gentes praefecit, cum sociis, *Landoaldo* et *Amando*; (Acta S. *Bauonis*. Vide *Mabillon.* ibid. pag. 397. Idola apud castrum *Gandauum* destruxit, et omnes ad christianitatem adduxit;) eius Vita p. 713 ibidem: gentibus euangelizare coepit, accepto pontificatus honore; scil. *Tornacensibus*, Gandensibus, &c. Ab eodem papa S. *Foillanus*, Scotus, petiit benedictionem, ad conuersionem infidelium profecturus. Videtur idem esse, qui in vita S. *Sigiranni* ep. *Mabillon.* sec. 2. pag. 435 dicitur *Faluius*, quem ignorabat *Mabillonius*. Non vero opus erat, vt *Baronius* (ad annum 650. n. 2.) vel a tabula plumbea inventa cum corpore S. *Valentini*, episcopi *Petauionis*, in Norico, repeteret auctoritatem: neminem ad gentes praedicatorem abiisse, nisi a papa missum; quia partim falsa est sententia, et historiis istis multis contraria, partim facile creditur, Papae adiutorio non facile carere voluisse quosdam Apostolos, per quem et commendarentur regibus, et noua ipsi auctoritate ornarentur. Sub annum 653 *Middelangli*, sub principe *Penda*, filio Pendae gentili, ad religionem christianam adducti, vt *Beda* narrat c. 21. Nempe *Penda* postulabat, filiam regis *Osui Nordhumbrorum*; sed negabatur, nisi christianus fieret, persuasit et filius regis, qui *Pendae* sororem vxorem habebat. Itaque a *Finnano* episcopo baptizatus fuit cum omnibus comitibus et militibus, eorumque famulis. Adduxit secum in suum regnum 4 presbyteros, qui omnem gentem facile ad christiana sacra transtulerunt.

tulerunt. Hoc anno 653 regina *Ositha*, quae ex matrimonio virgineo tandem in monasterium secesserat, a piratis *Danis* occisa, quam inter martyres retulerunt, ne deesset genti et hoc decus domesticum. Inter *orientales Saxones* etiam christianum nomen promotum, adiutore rege *Sigberto*, (quem *Osui* dicitur eo adduxisse;) per *Cedd*, aliumque presbyterum; ille a *Finano*, lindisfarnensi episcopo, saxonibus orientalibus episcopus postea datus; *Beda* lib. 3. cap. 22. qui et narrat, hunc regem, qui cum excommunicato Comite tamen epulum sumere inuitatus ausus fuerit, obviam venisse Episcopo, qui regem *virga*, quam tenebat (equo iam descenderat vterque) *tetigerit*, praedixeritque ei mortem; addit *Baronius* grauiter, (ad annum 655. n. IX.) quanto damno suo principes non pareant sacerdotibus, et quanta iactura quis cum excommunicato communicet! Idem *Beda Mercios* ad christiana sacra traductos scribit, postquam rex *Osui* hostem, *Pendam*, Merciorum regem, voto de filiae sua virginitate nuncupato, feliciter acie vicerat. Cap. 30 *Beda* de apostasia Reguli *Sigbere*, qui cum aliis maiori Merciorum regi subserat, narrat: eum ob pestem procurandam fana idolorum instauraſſe; regem vero *Wulfher* misisse episcopum *Iaruman*, cuius industria fanis destructis ecclesiae rursus apertae fuerint. In vita S. *Eligii* verbosius describuntur labores, quos susceperit hic *nouiomensis* episcopus, pro *Flandrensium*, *Autoverpiensium*, *Frisonum*, *Sueuorum* et aliorum circa maris littora populorum christiana emendatione. (Mortuus is est anno 665.) Anno 678 *Wilfridus*, episc. eboracensis a rege *Ecfrid* sede deiectus, alio suffecto, papam aditurus, annum fere inter *Frisios* egit, praedicandi euangelii caussa; (*Beda* et vita S. *Suidberti*.) Sed nil eum papae auctoritas aduersus regiam potestatem iuuit; itaque in *Angliam* redux vel inuitus *Saxonibus australibus* operam dedit; ii simul ac baptizati fuerunt, etiam pluuia larga decidit, qua per triennium terra caruit, peste ideo non mediocriter grassante, (*Beda* lib. 4. c. 13.) *Kilianus*, *Colomannus*,

Tot-

Totnannus, (epiſc. primus; presbyter alter, diaconus tertius,) qui inter *Francos* euangelium, a *Sergio* papa iuſſi, propagabant, et *Gosbertum* ducem de ſimili matrimonio monebant, ob quod Herodem Iohannes reprehenderat, huius vxoris artibus, anno 689 occiſi, martyrum honore poſtea aucti. (Vita S. *Kiliani*, apud *Caniſium* tom. 3. lect. antiq.) Sub finem ſeculi *Ecbertus*, qui rem monaſticam in *Hibernia* diligenter promouit, gentibus in aduerſa parte, (*Freſones*, *Rugmos*, *Danos*, *Hunnos*, *Saxones*, *Boructuarios*, nominat *Beda*, lib. 5. cap. 10.) ad chriſtiana ſacra adducendis dedit operam, viſione admonitus, vt ipſe domi maneret. E ſociis *Vitbertus* annos fere 2 inter *Friſios* vixit apoſtolus, ſed parum ibi profecit; rediit igitur in *Hiberniam*; *Wilbrordum* et alios, numero XII, miſit poſtea, qui ad *Pipinum*, Francorum principem, ſe contulerunt, qui *Friſiae* regulum, *Radbodum* interea vicerat; *Pipinus* imperiali auctoritate eos miſit, et praecepit, ne quis praedicantibus aliquid moleſtiae inferret; inde factum eſt, vt multos ab idololatria in breui ad fidem Chriſti conuerterent, ſic *Beda* ipſe ſcribit, lib. 5. c. 12. *Wilbrordus* iam *Romam* profectus eſt, vt a papa *reliquias ſanctorum* impetraret, quae locum *idolorum* inde occuparent. Nomina apoſtolorum, *Willebrord*, *Suidbert*, *Wichert*, *Acca*, *Wilibald*, *Vnibald*, *Lebuin*, Evvaldi duo, *Werenfrid*, *Marcellinus*, *Adalbert*; omnes *anglo-ſaxones*; qui praedicare potuerunt in *lingua Germanica*; (ſic *Marcellinus* in vita *Suidberti*;) haud dubie etiam plerique genere non humili; nam *Adalbertus* filius regis *Deirorum* fuiſſe dicitur. Anno 690 in *Wiltemburg* (oppidum wiltorum) ſeu *Traiectum* (fuit iam ſub poteſtate *Francorum*,) appulerunt; *Willebrordus* poſtea ep. Traiecti creatus a *Wilfrido*, merciorum epiſcopo, atque porro, anno poſt, a papa Romam iterum profectus, 696, *Pipini* auctoritate, Aepiſcopi nomen impetrauit. Eius vitam *Alcuinus* ſcripſit. *Ewaldus* vterque, (*niger* et *albus* diuiſi;) a *Saxoniae* quodam Satrapa occiſus, quaſi

prouinciam proditurі, corpora in *Rhenum* proiecta. *Radbodus*, qui *Traiecto* a *Pipino* pulsus in insula *Fostelandia* morabatur, *Wicbertum* eo venientem occidit; *Pipinus* autem denuo in citeriorem *Frisiam* misit; *praecipiens* paganis sibi subditis *auctoritate regia*; *Suidbertus* cum 2 aliis grandem vicum *Duerstad* intrauit; fuit et hic sub ditione *Francorum*; inde porro *Hollandiam*, *Teisterbandiam*, *Westfaliam*; post mortem *Radbodi* vbique libere sacra christiana per Frisiam propagata; extra Frisiam etiam, ad *Danos* vsque *Clemens*, hoc nouo nomine papa *Willebrordum* ornauerat, peruenit. Post *Synodum traiectensem* a. 697 *Willebaldus* episcopus *Eistadensis*, seu Aureatensis, in Francia orientali factus; *Marcellinus* in partibus *transisalanis*, &c. Celebratur etiam *Lambertus*, apostolus *Taxandriae*, tandem a quibusdam *Francicis* aulicis occisus. Anno 700 *Vulfrannus*, aep. senonensis, cum licentia regis et *Pipini* ad Frisios accessit apostolus; (nempe, vt recte *Baronius* addit, opus fuit Regis mandatis, ad compescendos barbaros;) ne soli *Angli* istum honorem ad se transferrent. *Vulfrannus* puerum, quem Frisones ex more patrio, diis immolandum suspenderant, e patibulo precibus suis demisit; *Quo*, hoc ei nomen, inde christianus, et presbyter tandem vrbis *Rothomagensis* factus; eruditus in arte scriptoria, qui plurimos codices scripsit, et testamenta et largitiones plurimas, quas fideles ei loco conferebant. (*Ionas* in vita *Vulfranni.*)

Non iam verbosius de istis christianismi ministeriis sententiam dicimus; saepe ad pristinos mores redierunt reiectis nouis sacris isti populi, si quidem potestati se nouae subducere licebat; tandem vis bellica cum potestate etiam religionem christianam confirmauit. Ita sub *Dagoberto* *teruanensis* populus a S. *Audomaro* iterum ad christiana sacra traductus, quia ad idola redierant; (vita S. *Audomari* sec. 2. Mabillon. act. Bened. p. 560.) S. *Faro* legatos *Saxonum*, a rege *Chlotario* morti iam addictos, vna nocte conuertit, atque sic baptizatos morti subtraxit; quae

prima

prima christianismi inter *Saxones* semina dicuntur fuisse, vita S. *Faronis* seculo 2. Mabillon. p. 617; vbi et carmen rusticum affertur a scriptore de ista historia.

Tandem sub orientem solem *Nestoriani*, quod facere iam ante solebant, etiam hoc seculo late christianum nomen propagarunt per Asiae multos tractus, atque vel in *Chinam* adeo, si quidem *monumentum* illud hodie celeberrimum *Siganense* satis fidem apud nos inueniat, quod sub *Iesujabo*, Nestorianorum *Patriarcha*, sacra christiana in terram illata fuisse prodit; sed nec alia desunt documenta, quibus hoc efficiatur: hoc seculo, nisi iam superiori, istis in partibus christianum nomen non ignoratum fuisse; licet *publicam religionem* hic floruisse, parum sit credibile.

Liceat et hoc loco de *Muhammedanorum* noua religione pauca verba facere; historiam enim describere siue *Muhammedis* siue vniuersi, cuius auctor fuit imperii, nostri non est instituti. Magnae solent res e minimis crescere. *Muhammed* ipse haud dubie tam prosperos rerum successus mente sibi non conceperat, qui nouis quidem rebus studiosissime operam dedit in *Arabia*, inde post seculi huius initium; sed de rapidissima, qua successores eius fere versus orbis omnes plagas, ferebantur fortuna, ne somniasse quidem videtur. Occasio varia non deerat; sub occidente sole latissimum olim Romanorum imperium in multas partes discerptum fuerat; Graecorum vero imperatorum potentia similiter labi coeperat atque deficere; virtutis bellicae et prudentiae ciuilis iusta illa adiumenta et ministeria non mediocriter impedita aut amissa fuerant. Aurum argentumque in vanam pompam tam sacram quam priuatam consumebatur; Episcoporum et Clericorum partim publica prauitas, partim foeda ignauia et superstitio vel magistratuum vim infregerat, aut corruperat; christianae religionis, vt solet hoc nomen varie confingi, falsa auctoritas et recentes sacrorum publicorum appendices frequentes, ciuium animos fere iusta prudentia et sobrietate priuabant; de sacris sententiis interna et domestica bella, aliorum in alios funesta odia, vi-

tiorum et fraudum fere publica consuetudo vel maius imperium facile labefactabant. Itaque mirum non est religionis, (quae si vera est atque ingenua, neminem laedit, omnes iuuat,) ad humana consilia abusum etiam aliis, Christianorum tot exemplis inuitatis, placuisse. Locum nouis consiliis satis commodum sibi elegit *Muhammedes* in *Arabia*; nouarum rerum consilium etiam studioso et satis honesto nomine texit, dei melius cognoscendi et colendi modum prae se ferens. Facile hoc nomine imperitioribus placuit, quos dei immisto numine et confictis rerum inusitatarum narrationibus deliniuit; *aduitores* (*Ansarim*) adsumsit homines constantes aut pertinaces; aduersarios alios vel vi et praeliis, si nomen conuenit, oppressit; fortuna tandem plures ei adiunxit, praesertim cum sacrorum modum talem elegerit, qui nouis difficilibusque sententiis exercitiisque vix aliquem offenderet. Facile enim constat, ex *Corano*, (quo vno libro societati vinculum satis firmum tandem post mortem *Muhammedis* repertum fuit): *Muhammedem* e Christiana, Iudaica et gentili religionis consuetudine, talem modum informasse, qui praeceptionum indole facile magis placeret, quam Iudaeorum ineptus stupor, gentium rudis barbaries, et Christianorum, post tot corruptiones primae et mitissimae religionis, et clericorum ancipitem potestatem, molesta sedulitas. Non est autem omnino a verisimilitudine alienum, quod quidam produnt, vel monachum *Nestorianum* Muhammedi a rerum ministerio per aliquod tempus fuisse, *Boheiram*; facile etiam intelligimus leni imperio, quod neminem ad religionem publicam per vim cogeret, etiam christianos, qui belli iure subiiciebantur, sensim sic adsuetos fuisse, vt vix reperiamus, qui studiosam operam dederint reducendis super se christianis dominis. Nempe in hoc maxime spectatur eximia prudentia horum principum, quod Iudaeos, Iacobitas, Nestorianos, Armenos cet. suo quemque modo religioni se dedere passi sunt, si modo legibus regni publicis se non subduceret; falsum enim est, quod dici et credi solet, Muhammedanos magis ad-

aduersus religionem christianam, quam aduersus regionem, solitos bella susciperе. Atque parum abest, quin dicamus, non parum etiam christianae meliori religioni profuisse istam *Muhammedanorum* principum potentiam; quia maior sacrorum libertas locum habuit inter Christianos Muhammedanis, seu Saracenis subiectos, quam sub tot dominis christianis, qui vel humana iura tollere ausi sunt, ex peruerso religionis studio.

Mortuus fuit *Muhammed* a. 632; iam longe feliciores sub *Califis*, seu successoribus, noui imperii res; quarum magnitudinem nec *Califarum* dissidium impediuit. Subiecerunt sibi multas et magnas prouincias, Aegyptum, Syriam, cum Palaestina, Persiam; *Africae* partem non exiguam, *Italiam* saepius terruerunt, atque inferiores praecipue regiones, insulasque quasdam non raro in potestate habuerunt; *Hispaniae* partem exteriorem occuparunt. Praeter vetustum schisma, ob successorem *Muhammedis* verum, quod sectatores, *Alii* et *Abubekri* diuisit, *Schiitarum* et *Sonnitarum* nominibus insignitos: non defuerunt factiones et dissensiones de capitibus religionis, vt qui sub occidente sole *Scholasticorum* nomine recensentur, iam inter *Arabes* maiores suos habuisse dici possint. Sunt enim similia hominum ingenia et consilia, nec christiani soli ex *orthodoxiae* studio inuenustas atque insulsas lites continuarunt. Praeter *Gagnerii* vitam Muhammedis gallice scriptam ex arabibus libris, *Relandi* libellus de religione Turcarum; Io. H. *Hottingeri* histor. orientalis, et *Chardini* iter ad Persas suscептum, (ob *Schiitarum* κυριας δοξας,) legere operae est pretium; *graecis* vero commentariis plerisque parum inest veritatis et lucis; adeo scribendo hi certe vincere Saracenos studuerunt, qui armis non poterant.

CAP.

CAP. III.

De Conciliis.

Initio ſeculi *Beda* narrat, ſynodum *Wigornienſem* in Anglia habitam fuiſſe, promotore Rege *Ethelberto*, per *Auguſtinum dorobern.* ſeu cantuar aep. in confinio *Vectiorum* et occidentalium Saxonum, in loco *Auguſtineizac* (robur Auguſtini) ob Paſcha, ne eſſent, qui ipſa *decima quarta* celebrarent; ſed cum nollent a *traditione* antiqua ad romanum ritum transire, Auguſtinus caeleſtia ſigna in auxilium adſciuit. Oculorum luce priuatum cum cetera pars ſacerdotum reſtituere aegrum non poſſet, Auguſtinus ſanauit; itaque ſynodus denuo pluribus aduocatis habita fuit; *Britonum* epiſcopi VII, et alii ex monaſterio *Bancornaburg.* ſub abbate *Dinoth*; irati primum, cum venientibus non adſurgeret Auguſtinus. Poſtulauit igitur Aep. 1) vt Paſcha, 2) baptismum more *Romano* celebrarent; 3) et genti *Anglorum* ad chriſtiana ſacra traducendae coniunctam operam darent. Nolentibus annuere, bellum praedixit, quod paulo poſt Aepiſcopi mortem intulit *Edilfred*; praelio adfuerunt, qui precibus militem iuuarent, ſupra mille monachi e monaſterio Bancor. Numerus monachorum in monaſteriis per 7 Claſſes diuiſus fuit, quaelibet non minus quam CCC complectebatur. *Edilfred* primum in monachos aciem inſtruxit; eorum circiter MCC caeſi; cetera plebs eo facilius victa. Haec *Beda* lib. 2. cap. 2; et facile credimus, Auguſtinum cum ſuis potius Romanis ritibus et conſiliis, quam liberae religioni chriſtianae dediſſe operam. *Concilium cabilonenſe* a. 603, ſeu *Theodorici* regis a. 8. in quo *Brunehildis* artibus *Viennenſis* epiſcopus, *Deſiderius*, deiectus fuit, et *Aridio* lugdun. auctore, tandem, cum de exilio egreſſus eſſet, lapidatus fuit, *Fredegar.* in appendice ad *Gregor.* Turonenſem. *Bonifacii*, 4. *ſynodale* decretum anno 610 proditum,

ditum, pro monachorum maiori honore et potentia, vt sacerdotes esse et sacerdotali officio fungi iis liceat; exemplo vtitur *Gregorii*, qui e monacho episcopus R. factus est; *Augustini* porro, Anglorum praedicatoris, et *Martini*, pannonienſis. *Monachi* vti Cherubim, *ſex alis* velantur; duae *capitium*; illud tunicae, quod *brachiis* extenditur, duas alas esse dicimus; et illud, quo corpus conditur, ſex alarum numerum implet; quando quis ergo celsior, eo potentior &c. Hinc forte posteriores tantum laudant *angelicum* monachorum statum; illud autem nos perspicimus, Romanum episcopum monachorum nouis his subsidiis aduersus ceteros clericos feliciter fultum fuisse. Est autem *duplex recenſio* huius decreti, excusa in *Hardvino* tom. 3. pag. 543. 544. aliam *Holstenius* edidit; alia est e codice collegii Iesuitarum *parisienſis*. *Toletana* synodus a. 610. sub *Gundemaro*, qua constitutum dicitur, *Toletanam* sedem *metropolitani nominis* habere in ceteras ecclesias auctoritatem; fertur et Regis illius constitutio, aduersus *carthaginenſis* prouinciae episcopos, vt subsint primati *toletano*; sed non desunt quae fidem harum scriptionum dubiam reddant. *Egarenſis ſynodus*, a. 614, sub *Sisebuto*, confirmat breuiter decretum synodi *Oscenſis* a. 598, de castimonia clericorum; aduersus malam famam, adulteriorum &c. Falsa epistola papae, *Deus dedit*, separat coniuges, qui proprios natos de baptismate susceperunt; vt sunt 7 dona spiritus S. ita sunt 7 dona baptismi; ergo a *primo pabulo ſacrati ſalis vsque ad ſeptimum* nullus christianus suam commatrem in coniugium accipere debet. Separati, post annum, aliud coniugium ineant. *Parisienſe* V. Concilium, a. 614. 615, ex *euocatione* Clotarii regis, canonum XV. 1. Vt Episcopus non sine *metropolitani* consensu eligatur. 2. Vt nullus vnus adhuc alium suo loco eligat. 3. Ne Clerici ad principem vel potentiores patronos confugiant, aduersus episcopum. 4. Vt nullus *iudicum* (secularium scil.) clericum vllum, aut *iuniores ecclesiae*, sine scientia episcopi, distringat aut damnare

prae-

praesumat. 5. *Liberti* ingenuorum a sacerdotibus defensentur, nec ad publicum reuocentur. 6. Ne subducatur aliquid eorum, quae sunt pro *sartis tectis* ecclesiae delegata. 7. Vt defunctorum clericorum res a dominatione ecclesiae non auferantur; sed ab *archidiacono* aut clero defensentur. 8. Ne quid, mortuo episcopo aut presbytero, auferatur ab aliis clericis. 9. Vt nemo ex alterius ecclesia aliquid peruadere aut possidere audeat. 10. Vt testamenta et donationes valeant etiam si a legum secularium ordine aliquid discrepet. 11. Ne episcopus cum episcopo rem habens, neglecto metropolitano, iudicem publicum adeat. 12. Si monachus aut monacha se de congregatione rursus subtraxerit, nec redire voluerit admonitus, careat eucharistiae gratia. 13. De viduabus et puellis, quae sibi in domibus propriis *vestes in habitu religionis* mutauerint, et coniugium ineunt — 14. Contra *incestas* coniunctiones; *relicta* fratris; soror vxoris, priuigna, consobrina, sobrina, relicta patrui, auunculi, religionis habitu vsa — 15. Vt nullus Iudaeus *militiam* aut actionem publicam super Christianos petere a principe aut agere praesumat; aliter ab episcopo eius ciuitatis cum omni familia baptizandi gratiam consequatur. (quasi *poenam?*) subscripserunt episcopi LXXIX. Adhaeret edictum *Clothacarii* regis. *Confirmat* superiores canones; sequuntur ex alia synodo, loci incerti, canones, quae paulo post fuit celebrata; vt *altaria* non consecrentur, nisi in his ecclesiis, vbi corpora sepulta non sint; vt monachi peculiare nihil habeant, sed abbas omnia dispenset. 5. Vt intra septa monasterii non baptizentur, *nec missae defunctorum secularium* celebrentur, nec corpora secularium ibi sepeliantur. 8. Mulier, quae cum clerico in vna domo habet, (praeter matrem, sororem, amitam) vt adultera condemnetur. 9. Ne ius confugiendi (asyli) ecclesiis detrahatur. 11. Ne *seculares archipresbyteri* ponantur, nisi, si paroecianos defensare sine isto, cuius est meritum singulare, non posse statuat pontifex. 12. Presbyteri vel diaconi, nulla ratione

matri-

matrimonium ineant; aliter ab ecclesia sequestrentur. 14. *Ingenui*, qui se vendiderint aut oppignerauerint, si idem pretium reddant, statim ad statum istum reducunt. Concil. *Hispalense* a. 619. (apud *Iuonem* dicitur *bracarense*.) praesente *rectore rerum publicarum*, atque *actore rerum fiscalium*. Quaestio de *parochiis* quibusdam dubiis; *tricennalis* obiectio silentium imponit; vt *secularium principum* edicta praecipiunt, et praesulum romanorum decreuit auctoritas. 3. Reducatur clericus ad priorem ecclesiam, qui ex ea ad aliam se contulit; *scribitur* enim in *lege mundiali*, de colonis agrorum, vt vbi iam esse quisque coepit, ibi perduret. 7. Episcopus aliquis *chorepiscopos* vel *presbyteros*, qui tamen iuxta canones vnum sunt, destinauerat, qui absente pontifice, altaria erigerent &c. Id reiicitur; presbyteris enim non licet (partim auctoritate veteris legis, partim nouellis et eccles. regulis) *consecrare* presbyt. diaconum, virginem; constituere altare, ecclesiam consecrare, nec per *impositionem manuum* baptizatis aut conuersis ex haeresi, spiritum paracletum dare, nec *chrisma* conficere, nec chrismate frontem consignare; nec publice in missa *poenitentem* reconciliare, nec *formatas* epistolas mittere. — nec praesente episcopo, populum docere, benedicere, *salutare*, exhortari. 9. Ne porro sint *laici oeconomi* in rebus diuinis. 11. Vt vnus monachorum probatissimus eligatur, cuius curae sit, *praediis* monachorum *rusticis* vel *vrbanis* intendere, fabricas exstruere: — is, qui ab abbate praeponitur, episcopi iudicio comprobetur. *Vestes* autem *illae iisdem* faciant, a quibus tuitionem exspectant. XII. XIII. contra *Acephalos*, qui duarum in Christo naturarum proprietatem negant; afferuntur latinis vsitata testimonia ex libris sacris V. et N. T. testimonia, pro *diuina* et *humana* natura. Sequuntur carmina, quae efficiunt *passionem* in *sola* humanitate — nec enim diuinitas suspensa &c. Iudas proditor prodidit *hominem*, non deitatem; — propter vnitatem personae ipse deus, natus, passus, mortuus, *praedicatur*, sicut

ſicut *dicitur* de martyribus, quorum tamen animae non ſunt occiſae — ergo *ſola caro* mortua, ſepulta, reſuſcitata. Excitatur locus S. *Hilarii* in explicatione epiſtolae ad *Timotheum* qui nondum reperiri in variis commentariis potuit.

Matisconenſe concilium, iuſſu *Chlotarii*, commemorat vita S. *Euſtaſii*, pro defenſione *Regulae Columbani*, aduerſus *Agreſtinum*, (e notario regio monachum *luxovienſem*,) *Apellinum*, genauenſem epiſc. *Warnacharium*, (quem haereticum nominabant,) et alios, qui regulam reiicere audebant, vt ſuperſtitioſam; abeuntem ob omnium hominum conſuetudine, comae praeciſione &c. Res tamen compoſita, vt potuit, fuit. Hic *initia* monachatus videmus bonorum virorum reprehenſione liberali non caruiſſe; ſed vicit tamen ſancta improbitas ob inuſitata, quibus fruebatur, beneficia, et *romanam* auctoritatem. Concil. *Remenſe* ſub 625 — 630, canonum 25. (*Flodoardus* lib. 2. hiſtor. eccleſ. remenſ. cap. 5.) 1. Ne res eccleſiae, per *precatoriam* ab ea impetratae in ius proprium transeant. 2. De clericis, *qui rebellionis cauſſa* ſacramentis aut ſcripturae coniuratione ſe conſtrinxerint. 4. Si qui *haeretici adhuc* eſſe ſuſpicantur in Galliis, perquirantur, et ad fidem cathol. reuocentur. 8. Inceſtuoſi nec in palatio *militiam* nec agendarum cauſarum licentiam habeant. 12. Nullus clericus ſine epiſtolis pontificis profectus recipiatur. 14. De his, qui *cum paganis* ſuperſtitioſos comedunt cibos, auguria et ritus paganorum imitantur — Adhaerent capitula 21. 1. *Sine fide* nemo poteſt deo placere; ideo mandamus, vt iuxta verbum dei et S. eccleſiae *romanae* traditionem teneant. 8. Nemo tempore *quadrageſimae* poenitentium confeſſiones audiat, praeter paſtorem. 9. Euchariſtiam celebraturus, ſacerdos, ſe praeparet et vt minimum *bis in* menſe id faciat. 10. Feratur aegrotis vaſe honeſto, et *lumine antecedente;* qui peregrinari volunt, eam ad viaticum, ſuſcipiant. Ad mortem condemnatis cur renuitur. 20. *Feſta* absque omni opere forenſi colenda; *natiuitas*

dom.

dom. *Circumcisio*; *Epiphania*; *annuntiatio* Mariae; *resurrectio* Domini cum die sequenti; *adscensio*; dies *pentecostes*; natiuitas *Iohannis* baptistae; app. *Petri* et *Pauli*; *assumtio* Mariae, eiusdem *natiuitas*; *Andreae* apostoli, et dies omnes dominicales. (Ista statuta videntur, quod iam alii obseruarunt, haud paulo serioris temporis.) *Concilium toletanum* a. 633. episcoporum 60, canonum 75, *imperiis* et *iussis* regis *Sisenandi*; de diuinis sacramentis, quae *diuerso* atque *illicito* modo in Hispaniarum ecclesiis celebrantur; seu, quae in moribus praue vsurpata sunt. 1. Fides. 2. Vnus ordo orandi et psallendi per omnem *Hispaniam* et *Galliam* (al. Galliciam) seruetur, in missis et cunctis diuinis officiis. 3 Concilium *saltim semel* in anno; aut *generale* totius Hispaniae et Galliae; aut *speciale* vnius cuiusque *prouinciae*, vbi metropolitanus elegerit — 4. Describitur longo ordine modus *eundi* et *sedendi* in Concilio in ecclesia, ianuis clausis. 5. Contra varietatem solemnitatis *paschalis*. 6. *Baptismum* alii *trina* alia *simpla mersione* faciunt — teneamus *simplam* — mare rubrum significat baptismum; *semel* populus transiit; tota tamen ibi erat trinitas; in *igne*, pater significatur; in *columna*, filius; in *nube*, Spiritus S. 7. In die *sextae feriae* passionis oportet mysterium crucis praedicari, atque *indulgentiam* criminum clara voce omnem populum postulare. 8. Ieiunium non ante peractas *indulgentiae* preces soluatur. 9. *Lucerna* et *cereus* in praeuigiliis paschae apud quasdam ecclesias non benedicuntur; sed propter vnitatem pacis obseruetur. 10. Nonnulli sacerdotes *orationem dominicam* non quotidie, sed tantum die *dominica* dicunt. 17. *Apocalypsin* librum plurimi sunt, qui non recipiunt, eumque in ecclesia praedicare contemnunt; sed excommunicabitur, qui eum non receperit, aut a pascha ad pentecostem missarum tempore in ecclesia non praedicauerit. 26. Quando presbyteri ordinantur in parochiis, *libellum officialem* accipiant. 30. Finitimi hostium sacerdotes, praeter eos, qui a *regia*

potestate licentiam acceperunt, quodlibet mandatum *a gente extranea* occulte accipere vel dirigere non praesumant. (Itaque et *missionariis* non licebat sine auctoritate principis aliquid conari.) 41. Omnes clerici detonso toto superius capite, inferius *solam circuli coronam* relinquant; non sicut huc vsque in Galliciae partibus facere *lectores* videntur, qui prolixis, vt laici, comis, in solo capitis apice modicum circulum tondent; ritus enim iste in Hispania huc vsque *Haereticorum* fuit. (An *Arianorum?*) 49. Monachum aut *paterna deuotio*, aut propria deuotio facit. 57. De Judaeis; nemini *deinceps* ad credendum vis inferenda — 58 multi sacerdotes et laici a Iudaeis accipientes munera, perfidiam eorum suo patrocinio fouent. 60. Iudaeorum filios, vel filias, ne parentum vltra inuoluantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus. 63. *Iudaei*, qui mulieres christianas in coniugio habent, aut christiani fiant, aut separentur; nati autem, sequuntur conditionem matris. 70. *Liberti* ecclesiae, quia numquam moritur eorum patrona, a patrocinio eiusdem numquam discedant; nec posteritas quidem eorum; itaque *professionem* episcopo suo faciant, per quam se ex familia ecclesiae libertos esse fateantur. 75. Pro fidelitate in regem et incolumitate regni, longa admonitio, ne seditiones fiant et rebellio; etiam contra regum superbiam aut crudelitatem; ne soli in causis capitum aut rerum, sententiam ferant, *sed cum rectoribus* &c. (Concilia itaque vix a *comitiis* publicae rei causa differunt.) Concilium *Toletanum* V, a. 638. primo regis *Chintilae*. 1. A die Iduum Decembr. *litaniae* triduo per annum peragantur, et indulgentia delictorum lacrimis impetretur; *noua* consuetudo, ob nouam malitiam. 2. De fide in regem et defensione regni eius. 3. Ne ad regnum perueniat, quem nec *electio* omnium probat, nec *Gothicae* gentis nobilitas ad eum honoris apicem trahit. 4. Ne viuo adhuc principe quis de futuro successore consilia agitet. 7. Vt in synodis publice pronuntietur decretum illud, pro principum salute.

8. *Po-*

8. *Potestatem indulgentiae* (aggratiandi) in culpis delinquentium principi reseruamus. 9. Acclamatio regi fauens. Concilium *Toletanum* VI. a. 638. Capitulum 1. professio fidei. 2. Contra Iudaeos; rex non finit in regno suo degere eum, qui non sit catholicus. 3. Rex non ante conscendat thronum, quam sacramento pollicitus, fidem catholicam se non passurum a Iudaeis violari. 7. Si contra potestatem *poenitentes*, in monasterium, qui religiosum habitum abiecerint, reduci nequeant, excommunicati interea sint. 10. *Liberti* ecclesiae, intra ecclesiam *causa eruditionis*, enutriantur. — multa, pro salute regni. Concilium *Toletanum* VII. a. 646. Capitulum 1. contra *clericos*, qui *alium regem* eligere adiuuant. 4. Contra episcoporum nimias exactiones, quas tandem in publicum examen deferre opus fuit. 5. Contra vagantes monachos, qui docere audent, imperitissimi.

Concilium *Lateranense* 649. sub *Martino*, in quo haeresis monothelitarum damnata; epistola ad imperatorem *Constantinum*, cui acta transmittuntur; ep. ad *carthag.* ecclesiam catholicam, qua ipsius confessio fidei, synodalis, approbatur, missa per monachos S. *Laurae*; in ea pag. 638. Harduini tomo 3. exstat: *Deus noster*, ignis consumens aduersarios, quem, vt lucem inaccessibilem et splendorem gloriae, et characterem *paternae* substantiae &c. *Deus noster*, hic, vt saepe, de Christo. Ep. ad *Iohannem* episc. *Philadelphiae*, vt papae *locum* in istis partibus orientis implere velit; — vt constituas per omnem ciuitatem, quae Hierosolymae et Antiochiae sedi subsunt, episcopos, presbyteros, diaconos (orthodoxos), ex auctoritate apostolica, propter angustias temporis nostri et συνοχην των ἐθνων; (eadem phrasis in epist. ad Pantaleonem, p. 653.) in ep. ad *Antonium*, episc. Bacathorum scribit: vt, *qui super omnes est deus et dominus noster* Iesus Christus, medium parietem maceriae soluens &c. Epistola ad ecclesiam Antioch. et Hierosol. de damnatione monotheletarum et contra ordinationem Macedonii et Petri. Ep.

ad *Paulum* theſſalonic. cui applicat Rom. 2. v. 3 ſeq. legatos romanos corruperat. — ſi tu non omnia anathematizas, quae nos; nos vero etiam gentilium et Iudaeorum errores anathematizamus, ſequitur te et hos amplecti. Epiſt. ad eccleſiam Pauli, theſſal. vt haereticum vitent. Sequuntur ſcriptiones, de iis, quae *Martino* Roma ablato, acciderunt; eximie papa queritur, quod nemo Romae eius memor ſit, et victum adiuuet, cum inter gentes fere viuat exſul. In Concilio *Lateranenſi* ſupra centum epiſcopi; quos inter et Iohannes Συνοδικὸς nominatur; plerique omnes ex partibus Italiae. *Secretario* 2 ſcribitur: Anaſtaſius, notarius *regionarius* apoſtolicae ſedis romani, qui e lingua graeca in latinam transtulit libellum *Stephani*, dorenſis ep. &c. ex hoc libello, hiſtoriae cauſſa, quaedam deſcribimus, quibus carere non poſſumus. *Sophronius* Hieroſolym. dum viueret in ſancto *Caluariae* loco *Stephanum*, diro carmine vſus, iuſſit ire ad apoſtolicam ſedem, quia ob *Saracenos* ipſe proficiſci non poſſet &c. poſt Perſarum diſceſſum, *Sergius*, ep. *Ioppenſis*, ordinauit, quaſi τοποτηρητὴς ſedis Hieroſolymitanae, epiſcopos, per ſecularem poteſtatem adiutus; hi facile conſenſerunt cum ſede conſtantinopolitana; hanc rem *Stephanus* detulit ad papam *Theodorum*; hic *Stephanum* fecit τοποτηρητὴν ſuum, eumque iuſſit epiſcopos, qui parere nollent deiicere. Romae fuit hoc tempore monaſterium *Armeniorum*, quod appellatur *Renati*; eius abbas et alius monaſterii de Cilicia, ad *Aquas Saluias*, libellum graecum ſynodo obtulerunt; eum alius notarius *regionarius*, Theodorus praelegit; vnde patet, graecos multos *Romae* habitaſſe. Libellus contra *Typum* inſurgit; ſubſcripta nomina fere XL. Nominatur porro *Exuperantius*, notarius regionarius, *Theophylactus primicerius notariorum* apoſtolicae ſedis. Ex Epiſtola Synodali *Africanae* prouinciae clarius patet, non parum aemulationis, de honore *romani* epiſcopi, adverſus Conſtantinopolitanum, interueniſſe talibus controverſiis. Haec ſuggeſtio, ἀναφορὰ, p. 735 dicitur *catholica*;

lica, i.e. ab vniuerſo, quod ibi eſt, dei ſacerdotio eccleſiaſtico; ſic hic additur. Epiſtolae Africanae ad imperat. *Conſtantinum* ſubſcripſerant, contra *Paulum*, 43 epp. Synodalis epiſtola epp. concilii *proconſularis* (Africae) ad Paulum; habet eadem teſtimonia, *Ambroſii* et aliorum patrum latinorum, quae in ſynodo VI et epiſtola *Agathonis* exſtabant. — Chriſtus pro me et in me doluit, pro ſe nihil habuit, quod doleret &c. nomina 67. *Secretario* 3 graecorum aduerſariorum ſcripta praeleguntur; nempe loca *iam praenotata*, de graeco in latinum verſa. *Theodori*, Pharanitae; *vna operatio* vnius Chriſti, μοναδικως και ἀδιαιρετως ἐπραττετο omnia. Opponit *Martinus*, hac ratione non eſt *mirificum*, ſeu ſuper naturam aliquid factum — Legitur ex *Cyri*, alex. ep. *nouem capitulis*, quae coram *Acephalis* praelecta fuerunt; ex *Themiſtii*, haeretici epiſtola ad Marcellinum presbyt. et Stephanum, diac. (eius diſcipuli et fructus dicuntur *Cyrus* et *Sergius* in dogmatibus). Ex *Pyrrhi* tomo dogmatico, pag. 790. Harduin. *Ecthefis* Sergii, nomine Heraclii edita; alia, quae pro ea acta fuerunt. Epiſtola *Pauli* Conſtantinopolit. ad papam *Theodorum*; exemplar *Typi*; Secretarius 5. ſententia *ſynodi quintae*, qua damnatur, quotusquisque non ſuſcipit ſynodos et doctrinas *patrum*. Teſtimonia ex *Ambroſio* aliisque multis ſcriptoribus; citatur adhuc *Cyrilli* commentar. in epiſtolam ad Hebraeos. E *Colluthi* haeretici de ἀπολογια pro Theodoſio haeretico, (latine, de *ſatisfactione* pro Theod.) ſequuntur, p. 920 canones et anathemat. 20. θεανδρικη ενεργεια non eſt *vna* ſed duplex intelligenda. Can. 17, niſi quis omnia, quae a patribus tradita ſunt et 5 *oecumen.* conciliis, *vsque ad vnum apicem omnia tenuerit:* anathema. 18. Haeretici, qui anathematizantur, — Diodorus, Theodor. Neſtor. *Theodulus* perſa, *Origenes*, *Didymus*, *Euagrius* &c. — Ecthesis, typus — Epiſtola *encyclica* Synodi ad omnes fideles; ep. papae ad *Amandum*, traiect. epiſc. qui ob vitia ſacerdotum epiſcopatu abire volebat —

Concilium *Cabilonenſe* ſub a. fere 650. can. 20. ex *euocatione* vel ordinatione *Clodouei* regis. Can. 18. vt die dominico *ruralia* opera nulla fiant. 19. Per *dedicationes* baſilicarum aut feſtiuitates martyrum chorus femineus (iſtae voces in alio codice abſunt) *turpia et obſcena cantica* decantant. Concilium *Toletanum* VIII. a. 653. praeſente *Receſvintho* rege; rex *tomum* (i. e. fidei confeſſionem) obtulit, regni ſui firmandi cauſſa — vos etiam *illuſtres* viros, quos ex officio palatino, ſynodo intereſſe *primatus* obtinuit, et experientia aequitatis *plebium rectores* exegit, quos *in regimine ſocios*, in aduerſitate fidos amplector, per quos iuſtitia leges implet — Can. 1. Fides; ſicut in *Miſſarum* ſollennitatibus concordi voce profitemur. *Sepultus*, (ſine *deſcenſu* ad *inferos*) — ex patre *et filio* procedentem — 2. De mitigatione rigoris in alios, qui regi minus fideles fuerant; manent *iuramenta* noſtra pro tutatione patriae et gentis regiae; ſed ceſſat membrorum truncatio et mortis ſententia. 4 Contra *flagitia* epiſcoporum, qui cum feminis polluuntur. 5. Matrimonia clericorum dirimenda. 6. Ne *ſubdiaconis* quidem licet vxoribus iungi; licet dicant, *benedictionem* ſe ab epiſcopo non accepiſſe; itaque praecipimus cum *ordinantur*, vt *cum vaſis* miniſterii benedictio eis ab epiſcopo detur. 7. Non licet abire ab eccleſiaſticis miniſteriis ad vxorem et priorem vitam, licet inuiti et coacti acceſſerint; (Character indelebilis ſubnaſcitur.) 8. Nemo ad eccleſiaſticum gradum admittatur, niſi totum pſalterium, vel canticorum vſualium et hymnorum ſiue baptizandi, perfecte nouerit ſupplementum. 9. *Quadrageſimae*, totius anni *decimae* deputantur; non licet *carnes* edere per iſtos dies; nec ſenes aut languidi ante *permiſſum* ſacerdotis. 10. *Regni rectores* adhinc cum pontificum maiorumque patricii *eligantur* aſſenſu; nec ante thronum obtinet, niſi iuramento promiſerit — 12. Decretum Concilii tolet. ſub *Siſenando*, contra Iudaeos, impetratur; indignum eſt, principem orthodoxum *ſacrilegis* imperare, et *fideles infidelium* ſo-

cietate

cietate pollui. Nomina pontificum 52. adhaeret lex, de rebus a principibus acquisitis; ne scripturae possessoribus extorqueantur. Concilium *Toletanum* IX. a. 655. Cap. 2. *fundatores* ecclesiarum, quamdiu viuunt, ipsi offerant rectores earum episcopo, ordinandos. 10. De *incontinentia clericorum;* filii ab episcopo vsque ad subdiaconum, vel ex ancillae vel ex ingenuae connubio nati, in *seruitute ecclesiae* illius manent. 13 — 16. contra excessus *libertorum* ecclesiae. Concilium *Toletanum* X. a. 656. Cap. 1. cum festum natiuitatis et mortis Christi vno stato die habentur, cur non et *matris eius?* ergo ante octauum diem, quo natus est dominus, *genitricis* eius dies habeatur. 4. Quomodo *vidua* religionem suscipit; faciat *scripto* professionem; veste accepta, semper vtatur; pallio purpurei aut nigri coloris, caput contegat ab initio. 6. Si vel in *minori aetate*, tonsuram, aut religionis vestem, in vtroque sexu liberis, aut vnus, aut ambo parentes dederint, aut talia palam habere permiserint; iis non licet ad secularem reuerti habitum. A. 664. *collatio Pharensis*, rogatu *Hildae*, abbatissae (in sinu *Phari*, seu *Strenishale*), sub rege *Osvvi*, et filio Alcfrid, de ritu paschatis; *Scoti* nolebant vetustum morem per recentiores e *Gallia* ministros cum *romano* more commutari. (*Beda* lib. 3. c. 25.) Concilium *Emeritense* a. 666. Cap. 1. Fides; qui ab ea discesserit, cum diabolo poenas luet. 2. Post lumen oblatum, dicatur *vespertinum*, sicut in aliis ecclesiis. 3. Si rex in bello, omnibus diebus offeratur sacrificium, pro eius et exercitus salute. 4. Episcopi in ecclesiis, cum fuerint ordinati, *faciant placitum* (de fide.) in nomine metropolitani, vt caste, recte sobrie viuant. 7. Concilia non extra regiam voluntatem aguntur. 10. In cathedralibus ecclesiis *archipresbyter*, *archidiaconus*, et *primiclerus* habetur, qui humilitatem erga pontificem praestent. 14. Diebus festis pro consuetudine et mercede, communicationis tempore a fidelibus nouimus pecuniam poni; ex ea fiant tres partes: 1) episcopo; 2) presbyteris et diaconis;

conis; 3) subdiaconis, quibus *primiclerus* dispensat. Can. 19. Singulis dominicis sacrificium deo presbyter in parochia offerat, et nomina eorum, qui aliquid ad ecclesias contulerunt, si viuunt adhuc, tempore missae ante altare recitentur — — *Chlotarii* 3 praeceptum, de fundatione monasterii corbeiensis, circa 669. Concilium *Augustodunense* a. 670. C. 6. vt monachi in ciuitatibus non inueniantur. 14. Seculares, qui natale domini, pascha, pentecost. non communicauerint, inter catholicos non habitent. Concilium *Herudfordiae*, a. 673. sub *Theodoro* cantuar. aep. anno tertio regis *Ecfrid*, (*Beda*, 4, 3.) regnante in perpetuum ecclesiam suam domino Christo. Interfuerunt *Bisi*, oriental. anglorum Ep. *Wilfrid*, nordanhumbror. *Putta*, castelli cantuariorum, seu *Rothchester*; *Lutherius*, occid. Sax. *Vinfrid*, Merciorum. 3. Ne episcopo liceat *monasteria* inquietare. Concil. *Toletanum* XI. 675. a. 4. regis *Wambani*; custodes ecclesiae tamquam sal infatuatum scandali dant materiam, *purpuratae meretricis* sequebantur incitamenta, (quia nulla fuerunt concilia) confessio copiosa de fide *trinitatis*, (quae multum conuenit cum *Athanasii* symbolo.) C. 1. Concilia sine tumultu, risibus, fabulis — 2. Vt episcopi diligentius legant et discant. 5. Contra excessus clericorum; varia poenitentia. Si quis episcopus magnati cuiusdam vxorem, filiam, adulterina pollutione foedauerit; qui homicidium — 8. quicquid invisibilis *gratiae* collatione tribuitur, sine simonia fiat; nihil pro *baptismo*, consignatione, chrismate, promotione, sumatur. 11. Explicatur canon. 4 concil. *tolet.* primi, si quis oblatam eucharistiam non sumserit; excipitur infirmitas et siccitas; fuerunt enim, qui *praeter calicis* dominici haustum, eucharistiam non possent deglutire, aut, qui *tempore infantiae*, aut in *mentis alienatione* positi fuerunt. 13. Qui in *terram* arrepti a daemonibus illiduntur, ad ministerium non admittuntur. Concilium *Bracarense* 3. a. 675. C. 2. cum omne peccatum oblatis deo sacrificiis delcatur, *quid dabitur domino pro delictorum expiatio-*

piatione, si in oblatione erratur? quidam lac pro vino dedicant; alii *intinctam* eucharistiam populo pro complemento communionis porrigunt; alii non expressum vinum, sed oblatis vuis populos communicant; mista *aquæ* cum vino, vt *populus* cum Christo vniatur. 3. Quidam sacerdotes *vasa domini* in proprios vsus sumunt, et ex iis epulantur. 4. *Orarium* habeat in oblatione, quod vtrumque humerum ambiat, vt imperturbatus inter prospera et aspera virtutum ornamento vtrobique circum septus appareat. 6. Ne episcopi in festis martyrum, reliquias illorum collo gestent, nec sic a diaconis in sellulis vectentur, sed eant cum populo. Concilium generale anglicum, *Hedtfeldtae* 679. contra Eutychetis et Monotheletarum haeresin; *Beda* 4, 17; item *Romae*, sub *Agathone* papa, de ecclesiastico statu in *Anglia*; de restituendo *Wilfrido*, (vita Wilfridi tomo 4. *Mabill.* parte 1. acta SS. ordin. bened. p. 492.

Concilium *sextum* oecumenicum in *Trullo*; imperatoris *Constantini* diualis seu σαγρα ad *Donum*; tradita *Agathoni*, qui ei iam successerat. Epistola *Mansueti*, episc. mediol. ad imperatorem; cum expositione fidei *synodi mediolan.* — cum nominamus Spiritum S. *ab* aeterni patris *persona eum procedere* monstramus. In *Trullo* legati romani *Theodorus* et *Georgius*, presbyteri, cum *Iohanne*, diacono. — vnam voluntatem et operationem dogmatizare coeperunt inde a 40, plus minus, annis, Sergius, Paulus, Pyrrhus, Petrus, constantinopolitani; *Cyrus*, alex. et *Theodorus*, Pharanensis, et alii —

Actio 3. romani legati dicunt: *falsatus est liber* quintae synodi; non legatur sermo Mennae ad *Vigilium*, quia fictus est. — inuenerunt *tres quaterniones additos* in principio libri, non habentes subnotationem numeri — esse etiam dissimiles litteras. *Actio* 4. ex *Augustino* quaedam contra *Iulianum*; ex *Hilario* lib. 9. de trinitate, Christus *carne se exspolians*, την σαρκα αποθεμενος, (contra graecos omnes libros Coloss. 2.) *Ambrosius* ad *Gratianum*; (ex Epistola *Agathonis*) pro 2 voluntatibus;

haec epiſtola cum ſubſcriptionibus inſerta eſt. Actio 5. *Macarius* Antiochenus 2 codices protulit, teſtimoniorum e patribus, pro *vna* voluntate. Actio 6. truncata eſſe teſtimonia, authenticos codices proferendos eſſe. Actio 7. *romani* proferunt contraria teſtimonia. Actio 8. accedunt plerique omnes ad hanc partem; non conſenſit *Macarius* aep. Antioch. Expoſitio fidei ab ipſo prodita, — in ſpiritum S. ex *patre* procedentem, et per filium manifeſtatum — *tria* vnum, in quibus, ſeu quae eſt deitas — deiuirilem operationem nouam confitemur, non in 2 naturarum peremtionem — non exſiſtente in eo *alia voluntate obſiſtente* aut aduerſante diuinae voluntati — non confiteor 2 voluntates naturales in oeconomia ἐνσαρκῶ Chriſti, dei noſtri, ne quidem ſi in mare proiiciar (ne in Chriſto ſit peccatum). Actio 10. ex *Ambroſio* in Lucam, collatum cum codice latinis (*romanis*) litteris ſcripto, *Conſtantino*, grammatico latino, recenſente; καὶ ἐσοιχησεν. Ex libro crocato *Athanaſii*; — ex *Iuſtini* M. de *expoſitione* fidei; etiam teſtimonia *haereticorum*; — multa verboſa loca deſcribuntur e variis ſcriptoribus, pro vna et pro duabus voluntatibus; nempe vtrumque recte dici potuit, ſi quis accuratius requireret; valuit autem pars eorum, qui cum *romano* epiſcopo coniungebantur. Actio 13. recitatur ſatisfactio inter *Cyrum* alexand. et *Theodoſianos*, can. 9. anathema ſcriptis *Theodoriti*, *Ibae*, *Theodori*, mopſueſt. Sequitur ſedula et moleſta deſcriptio infrugiferarum diſputationum, de modo agendi, qui Chriſto conuenerit. — P. 1363. codex *latinus* quinti concilii, quem Macarius et Stephanus dixerunt ſe emiſſe ſex ſolidis, ab vxore Innocentii. — dixit mihi Paulus patriarcha, aſſume Sergium diaconum, quia bonus ſcriptor eſt, et oſtende ei, *quomodo debeat latinis litteris* ſcribere, et adde, quae minus ſunt (in 7. actione quinti concil. latinus liber minus habebat.) *Sergius* diac. magnae eccleſiae, dixit, ante multos annos Paulus patriarcha vocauit me, — et ſicut ſeruus obediui, et ſcripſi. Concilium exclamauit anathema libro, qui dicitur

citur *Mennae* ad Vigilium, et qui eum finxerunt; anathema libellis, qui dicuntur facti esse a *Vigilio*, ad Iustinianum et Theodoram; anath. omnibus, qui falsarunt acta 5 concilii. Actio 15. *Polychronius* presbyter et monachus defendens dogmata Macarii, dixit, ego expositionem fidei meae do in *opere mortui*, rogans filium dei, vt suscitet eum. — appositus est ei, in argenteo feretro; mortuus; ei imposuit chartulam (vna voluntas et operatio deiuirilis,) et precatus est per plures horas, insusurrans ei. Tandem dixit, se non posse eum suscitare. Populus exclamauit, anathema nouo *Simoni*; deiectus est gradu. Actio 16. *Constantinus* presbyter apameensis rogauit: vt fidem suam scriberet *syriace*, quae graece reddatur, de *henotico* quodam. — Quid graece sit *hypostasis*, nescio; *voluntatem* dico vnam personae dei verbi — humana voluntas mansit cum carne et sanguine, quia non indiget comedere, bibere; exuit voluntatem hanc cum carne et sanguine. Sequuntur anathemata; rogauit *Georgius*, constantinopolit. vt ne nomina *Pyrrhi*, *Sergii* &c. in exclamationibus personarent; sed synodus abnuit. Actio 17. *latina*, definitio orthodoxae fidei; exstat demum in actione 18, graece 17. Sequuntur multae *acclamationes*, ex more, saepius repetitae. In προσφωνητικῳ ad imperatorem dicitur: *Constant.* M. cum *Silueſtro* romano, *nicaenum* concilium congregarunt, contra Arium. — tandem rogatur, vt imperator his omnibus signaculum et firmitatem addat. Exemplum litterarum ad ep. *Romanum; Edictum* imperatoris pro concilio; Maria *anima* et *corpore* per spiritum *praepurgata* fuit — anathematizamus omnem haeresin — etiam *Honorium*, antiquae romae papam, haereseos confirmatorem et fautorem. Exemplar *Sacrae* ad *Leonem*, papam; (*Baronius* eam pro *spuria* habet.) *Leonis* ad imperatorem, qua approbat gesta in concilio *sexto; Honorius* similiter damnatur in hac epistola, quae ceterum inepta declamatione, vt pleraque huius temporis, constat. Sequitur ap. *Harduinum* p. 1481 seqq. alia vetusta *latina* versio

verſio huius concilii. In epiſtola *Sophronii* Hieroſolymi. p. 1574 exſtat claris verbis: deum, λογον, aſſerimus *ſuſtinuiſſe* temporalem generationem; et ideo *duas eſſe* generationes eius.

Supereſt, vt quaedam hic colligamus breuiter, quae ad hoc concilium adhuc pertinent. Notabamus pag. 42. abeſſe *filioque* ab hoc concilio; *Baronius* falſo dixit, per fraudem *filioque* abraſum eſſe, quem iam *Combefiſius*, et *Pagi* refutarunt; in concil. enim *Florentino* tantum de concilio VII actum, non de ſexto. *Trullus* fuit hemiſphaerium, quod 4 arcubus templi *Sophiae* impoſitum fuit. Quod legati *romani* exclamarunt, non eſſe iſtas *Vigilii* epiſtolas: intelligendum eſt, non eſſe ingenuas, ſed recens *interpolatas* a Monotheletis, qui eam phraſin, *vna operatio*, interiecerunt, atque ideo veterem quaternionem mutarunt, additis foliis 4, recentius ſcriptis. De damnatione *Honorii* aliis multis liberalius ſentit *Thomaſſinus* diſſertatione XX in Synodum hanc; fatetur, quia nulla ratione conuelli poteſt, *Honorium* hic, a *Leone* 2 etiam, publice damnatum fuiſſe; nec erraſſe Synodum; ſed *Honorium* iſtas epiſtolas *priuatas* et familiares ſcripſiſſe, non pertinuiſſe igitur ad cathedram; qua quidem excuſatione parum proficitur, ſiquidem eadem ratione et ceteri aepiſcopi et patriarchae excuſari poſſunt. Noluit, nec ſine ratione, *Honorius*, nouis ſemper ſententiis ferendis operam dari. *Cyro* et *Sophronio* ſcripſit, abſtinendum potius eſſe vtraque phraſi, tam *vnius* quam *duplicis* operationis; ne *praedicare* pergant alii *duplicem*, alii *vnam*; (atque ſic fere et *typus*; fatetur etiam *Lupus*, Honorii decretum eſſe ἐκθεσεως et typi *fundamentum*;) ſed *Anaſtaſius* bibliothec. qui dubitare audet, vtrum auctorem habeat *Honorium* iſta epiſtola, profecto non vſus eſt iſta diſtinctione, inter *priuatam* et cathedralem, quicquid *Thomaſſinus* obmoueat. *Chriſtianus Lupus* tomo 3. operum in concilia, ſatis verboſe de Haereſi *monothelitarum* agit, atque hoc concilium hic ibi non nihil illuſtrat, et

et haud paulo ſtudioſius *Honorium* defendit, (ſi quidem rem hodie a nobis ſedulo repeti et deſcribi operae ſit pretium) quod contrarias voluntates negauerit; nec dubio caret, etiam multos *monotheletarum* hoc voluiſſe, Chriſtum ſubieciſſe humanam volendi facultatem diuinae voluntati. Tandem *Lupus* putat, (quod *Pagi* ad a. 681. n. 8. probat,) romanos legatos duplicis generis *mandata* habuiſſe; vt, ſi res ferret, ob Graecos conſentire poſſent in *Honorium* damnandum, licet eum *Romana* ſedes numquam damnarit. Sed noſtrum tempus non eſt ſatis opportunum talibus quaeſtionibus; videtur certe tempori, iam tum, non nihil datum fuiſſe et ab *Honorio* et a concilio, licet nemo concilii tempore ignoraret, *apologiam pro Honorio*, quam Ioh. 4. ſcripſerat. Ἔκθεσιν et typum, *Romani* pontifices reiecerant; par igitur pari referendum, vbi commode fieri poſſe videretur. *Honorii* ſapientia et prudentia non carebit aequorum iudicum mitioribus ſententiis, quibus iſta inepta ſedulitas non placebit, quam alii, ob rerum hominumque malignitatem, atque ob conſilia varia, praetulerunt. *Orthodoxiae* nomine iam ſimul de terrarum aut obſequiis continuis aut diſſidiis et rebus nouis, atrocibus, agebatur. Multa debebat *Conſtantinus* Vitaliano, rom. ep. inde ab initiis regni, contra *Mezenium* ab illo adiutus; ſed *Honorii* memoria ſacra cum ceterorum honore ſacro ſtare non poterat; *ineruditis* hominibus et parum cultis mitior et aequabilis ſententia perſuaderi non poterat. Sed *tales legatos*, qui inter gentes poſiti e labore manuum victum quaererent, ſcientia igitur alia carerent, quam quae e ſimplicitate et pertinacia coibat, ſeipſum mittere, fatetur Papa. Multum datum eſt *Latinis* in hac ſynodo, quia res *Italiae* et *Africae* ſic ſecum ferrent; itaque nec legati *romani* vacui redierunt; ſed cum iuſſionibus, quae releuarent annonae capita patrimoniorum Siciliae et Calabriae, praeceptum frumenti &c. (*Anaſtaſius* in vita *Iohannis* 5, qui fuit e legatis) miſſi etiam *Macarius* et ſocii in vrbem Romam (Epiſtola imper. ad *Leonem* 2.) ii igitur per diuerſa mo-

naſteria

naſteria in carceres miſſi; haec tam ſunt clara, vt mirum ſit, non iam multo ante nos haec in oculos eruditorum incidiſſe. *Theophanius*, (*Georgius*) abbas monaſterii ad *Baias*, in locum *Macarii* poſitus; ſed *Theodorus* expatriarcha Conſtantinopolitan qui *Macarium* maxime ſequebatur, non exſtat inter anathematizatos, *Georgio* adeo ſucceſſit, quia eum poenitere videbatur priſtini conſilii. Nempe res omnis exterorum praecipue cauſſa agebatur.

Acceſſit poſtea huic et quinto concilio quaſi *appendix*, *Quiniſexta* ideo nominari ſolita, πενθεκτη, ſimiliter in *Trullo*, ſed minus certi temporis; *Pagius* in annum 691 non ſine rationibus poſuit; *canones* nulli proditi fuerant in 2 iſtis ſynodis, itaque hac ſynodo *ſupplementum* quaſi additum fuit. *Patriarchae* non interfuerunt, vt *Anaſtaſius* narrat; (*Blaſtares* vero nominat *alex. Antioch. Hieroſolym.* &c.) *legati* vero Apoſtolici praeſentes fuerunt, (*Apocriſiarii* tantum, non legati maiores, ſic certe de *Marca* et *Pagi* deſcribunt;) hi, ſi hac illa ratione inducti nomen ſuum ſcripſerunt, tamen negantur concilii *oecumenici* auctoritatem efficere poſſe. Graeci vero ſolent hanc ſynodum *Latinis* oggerere, licet papa adduci non potuerit, vt ſubſcriberet. Fatentur plerique omnes, etiam pontificii, canones eſſe tantum non omnes optimos, qui antiquam redolent diſciplinam; verum ſunt inter Canones CII, *quatuor* aut *quinque*, qui a romana eccleſia approbati non fuerunt, *Pagi* ad an. 692. n. XV. Canon. 2, canon. 13. (qui *caelibatum* reiicit, et vſum coniugii vel clericis permittit;) C. 67. . qui abſtinentiam a ſanguine et ſuffocato et *clericis* (ſub depoſitione) et *laicis*, (ſub excommunicatione) imperat; nec canon. 82. omnino approbatus fuit; (ne pingatur Chriſtus imagine agni, ſed in imagine hominis;) plura recenſentur, quae eccleſiae romanae non placebant, pag. 1651, *Harduini*; e. c. quod *Cypriani* ſententia de *rebaptizandis* haereticis non reprobatur; quod orientalium canones tantum recenſentur, non romani aut alii occidentalium; c. 36. vt romanae ſedi par

ſit

sit Constantinopolitana; quod romana ecclesia reprehenditur ob ieiunium sabbati tempore quadragesimali). In praefatione Synodi 2 ad Ioannem 8 dicitur de his cunctis canonibus: quamuis *omnes* maneant hactenus *ex toto* latinis incogniti, quia *nec interpretatae*, nec in ceterarum *patriarchalium sedium*, licet graeca vtantur lingua, reperiantur archiuis. Recte autem *libellus synodicus* scribit: canones esse tales, quibus ab omni *graeca* f. gentili, *iudaica* et haeretica traditione ecclesiae purgatae fuerint. Subscripsit cum aliis *Basilius*, episc. *Gortyniorum* metropolis cretensis, locum tenens *vniuersae synodi romanae ecclesiae*, (quod satis luculenter effici non potest; licet legationis aliquod instar antea habuerit.) Canon. 2. vt *apostolorum canones* 85 suscipiantur; et διαταξεις seu *constitutiones*, seiunctis tamen iis, quae ab haereticis inserta fuerunt. Recensentur nomina synodorum et episcoporum, quorum canones recipiuntur. 3. Qui 2 coniugibus vsus est, aut concubina; qui viduam habuit, vel dimissam, vel meretricem, vel seruam aut scenicam: non potest esse in catalogo clericorum. 4. Clericus qui cum muliere ἀφιερωμενη θεῳ, coierit: deiicitur. 6. *Ante ordinationem* licet presbytero — matrimonio iungi mulieri. 13. Ne quis presbyter — cogatur vel audeat vxorem dimittere, pietatis praetextu. 14. Presbyter ante annum aetatis 30 non fiat; *diaconissa* non ante XL, diaconus, 25. subdiaconus, 20. Can. 18. Actor. 6 de 7 diaconis, non agit de iis, qui sunt in ministerio mysteriorum, sed de ministerio in vsu mensarum. C. 19. scripturam nemo aliter (*apud populum*) interpretetur, quam quomodo ecclesiae doctores suis scriptis expossuerunt. 28. *Vitae* non cum incruento sacrificio simul, sed separatim tamquam primitiae benedicantur et *petentibus* distribuantur. 32. Contra *Armenos*, qui vinum, *sine aqua*, in eucharistia offerunt. 40. *Monachus*, qui fit, minor non sit annis X, aut, si videbitur praesidi, pluribus. 41. De *inclusis*, quomodo probandi? 42. *Eremitae*, qui nigris vestibus induti et capite

capite comati vrbes obeunt — expellantur vrbibus. 52. Ne matrimonium a quopiam ineatur cum iis, quorum liberos e baptismate susceperat. 54. Matrimonium cum filia patrui; patris et filii, cum matre et filia; patris et filii cum sororibus puellis; matris et filiae, cum fratribus; fratrum cum 2 sororibus, prohibita; incidunt in canonem septennii, et separantur. 56. Per quadragesimam etiam ab ouis et caseo abstinendum; sunt fructus eorum, a quibus abstinemus. 59. In aede oratoria, in domo, non licet baptismum peragere. 60. Ii, qui *simulant* se a daemone correptos, et prauitate morum eos imitantur, iis laboribus et duris afflictionibus puniantur, *quibus ad ἀπαλλαγην subiiciuntur* vere daemoniaci. 61. Qui vatibus se tradiderunt, aut iis, qui hecatontarchae dicuntur, vt discant aliquid eorum, quae reuelari volunt — etiam, qui *vrsas* aut similia animalia ad ludum et imperitiorum noxam circumducunt — *nubium expulsores*, incantatores, amuletorum auctores. 62. Calendas et *βοτα*, et brumalia, et conuentum primo die Martis, prohibemus. 64. Laicum non conuenit publice docere; sed eos qui docendi *gratiam* acceperunt. 65. Qui in *nouiluniis* a quibusdam accenduntur rogi ante officinas et domos, super quos *salire* solent: cessent. 68. Liber sacer ne deleatur, aut detur vnguentariis, nisi sit omnino a tineis, aqua &c. corruptus. 72. Irritae nuptiae catholici cum haeretica. 73. Ne crucis figura in pauimento pingatur. 74. Non oportet in ecclesiis *agapas* facere. 79. Partus ex virgine *ἀλοχευτος*; quare non deinceps post Christi natiuitatis diem *similam* coquere liceat, et eam sibi invicem impertiri, in honorem *λοχειων* virginis impollutae. 82. Loco *agni*, Christus in humana forma in imaginibus pingatur. 86. Qui meretrices colligunt et alunt, aut deponantur, aut segregentur. 95. Qui ex haereticis ad rectam fidem accedunt — alii *chrismate*; alii alio baptismo suscipiuntur, vt *Pauliani*, *Eunomiani*, *Montanistae* et *Sabelliani*; et alii, maxime qui ex *Galatarum* regione veniunt;

veniunt; (vt *Hieronymus* in praefatione ad commentarium in epiſtol. ad Galatas.). Cap. 99. Inter *Armenos* dicitur fieri, quod quidam intus, in ſacris altaribus membra carnium coquunt, et fruſta offerunt ſacerdotibus; quod non licet — 101. Manus in modum crucis componendae ab iis, qui euchariſtiam ſumunt; non vero in receptaculis *aureis* &c. Ex codice monaſterii S. *Bauonis*, gandau. canones 9 adhaerent concilii 6 editioni; quos inter Cap. 4. ſi quis ex presbyteris voluerit nepotem ſuum — mittere ad *ſcholares* in eccleſiis aut coenobiis, concedimus. 5. Presbyteri per villas et vicos *ſcholas* habeant; nec aliquid pretii exigant, niſi quod parentes paruulorum volentes dederint. 7. Omnes fideles orationem dominicam et ſymbolum diſcant — et quotidie ſaltim 2 vicibus orent, mane et veſpere. — 9. De hoſpitalitate; per hanc enim quidam *placuerunt deo*, angelis hoſpitio ſuſceptis; (ita Hebr. 13. hic latine ſatis imperite citatur.)

Concilium *Toletanum* 12. 681; iuſſu regis *Ervigii*, qui *tomum* epiſcopis obtulit; (poſtquam *Wamba* tonſuram ſacram ſuſceperat.) Cap. 2. *poenitentiae* donum etiam *neſcientibus* datum, ſic valet, ſicut baptismus infantum. 3. Quos rex in gratiam aut *ad menſam* receperit, hos etiam communioni eccleſiaſticae reſtitui oportet. 5. Quale eſt ſacrificium, cui nec ipſe ſacrificans participare noſcitur? tot vicibus ergo communionis ſanctae gratia ab illo ſumenda, quot ſacrificia in vno die offert. 9. Renouantur atrocia in Iudaeos decreta; libros non legant, quos chriſtiana fides repudiat &c. *Iudaeorum* cauſſa ſolis clericis attribuenda. 10. Qui in eccleſiam fugiunt, per 30 paſſus eis licet progredi. 11. Admonemus *cultores idolorum*, lapidum, accenſores facularum, ſacra fontium vel arborum colentes, — eos etiam vi licet prohibere a talibus factis; ſeruos ferro et verberibus coercere — 12. Synodus per prouincias quotannis *calendis* Nouembr.

Concilium *Rotomagenſe* 682; alii decem annis ſerius, e vita S. *Ansberti*, epiſcopi rotomag. *Leo* 2, ad epiſcopos *Hiſpaniae*, miſſis concilii 6 actis; alia ad *Quiricum* ep. ad *Simplicium*, comitem; ad regem *Ervigium*; iſtas omnes *Baronius* confictas putauit; ſed ſcrupulos *Pagi* exemit. Concil. *toletan.* 13. 683. C. 1. perfidiae crimen datur obliuioni, et dignitatem recuperant, qui in *Pauli* coniuratione fuerunt; omnes, inde a regis *Chintilae* tempore. 2. Nemo a *palatino* ordine arceatur a regiae domus ſeruitio, niſi cauſſa ſatis cognita. 4. Pro tuitione domus regiae et filiorum, et reginae. 5. Ne quis vnquam defuncti regis coniugem ducat vxorem. 6. Nemo ex ſeruis ad palatina miniſteria euehatur. 7. Ne ob iurgia cum aliis, iſtorum altaria nudentur, luminaria ſubtrahantur &c. Sequitur, vt ſolet, regis confirmatio. *Toletanum* 14. 684. de transmiſſis actis *concilii* 6. *Toletana* 15, 688. Papa putauit, incaute a nobis dictum, *voluntas genuit* voluntatem; diximus autem ſecundum eſſentiam diuinam; hoc enim deo eſt eſſe, quod velle et ſapere; (refutant copioſe romanam admonitionem). Idem Papa, nos incaute dixiſſe putauit, *tres ſubſtantias* in Chriſto filio dei; forſitan quosdam *pudebit*, quae vera ſunt, ignorare. Homo enim ex 2 ſubſtantiis; diuina natura addita, *tres* ſunt; multa de *ſynecdoche*, caro, anima. — iam *ante biennium* iſta reſpondebamus. p. 1767, ſi tamen diſſentiant, *non eſt cum illis contendendum; (romanis* ſcil.). Iam ſequitur de *capitulatione* regis *Egica*. *Theodori cantuar.* aep. capitula; (ex *Dacherii* ſpicilegio). C. 2. de *ordinationibus* monachorum; ſicut in baptismo *ſeptimo die* presbyter velamen infantium abſtulit, quia *ſecundum baptisma* eſt, et omnia peccata dimittuntur ſicut in baptismo. (haec ſententia ex Hieronymo haud dubie eſt; antiquior ergo, *Thoma*, et aliis ſcholaſticis.) Multa de de *differentia conſuetudinum* ſacrarum apud *Romanos* et *Graecos*. 10. De carnibus animalium; piſces et aues, ſi in retibus ſtrangulantur, non commedenda. 18. *Vota*

ſtulta

ſtulta frangenda ſunt; mulier non debet vouere, ſine licentia viri ſui; aliter, dimitti poteſt. 22. *Infans* pro infante poteſt dari ad monaſterium; quamuis alium quis vouiſſet. 25. *Reliquiae* ſanctorum candelis honorandae; ſi paupertas loci non ſinit, non nocet eis. 37. Miſſae *ſecularium* ter in annum; die *tertia* (qua *die* dominus reſurrexit;) *nona*, (qua *hora* emiſit ſpiritum). die 30, Quia Moſen 30 dies planxerunt. 45. Si vxor eſt infidelis, et (vir) eam non poteſt conuertere, dimittit eam. 57. Mulier quae ſemen viri ſui cibo miſcens, vt inde plus eius amorem ſuſcipiat, 7 annis poeniteat. 63. Qui ſe ipſe occiderit, pro eo miſſas facere non licet; ſed tantum orare. 69. multi dicunt, pro *infantibus* ante 7 annos (mortuis) miſſam agere non licet; ſed licet. 72. Muliere mortua, liceat viro *poſt menſem* alteram accipere; mulieri, poſt annum. 75. Patri et filio, matrem et filiam, licet in matrimonio habere. 82. Pater in filiam vsque ad annum 15, habet coniugii poteſtatem; poſtea, ſine voluntate filiae, dare alii non poteſt in matrimonium. 86. Non licet baptizatis cum *catechumenis* manducare communiter. 90. Mos eſt *romanae* eccleſiae, religioſos mortuos in eccleſiam portare, *chrismate* pectus vngere, et miſſas pro eis celebrare; miſſa etiam 3. 9. 30 die; etiam poſt annum, ſi voluerint. 93. Qui *paſcha* ante *diem aequinoctii* celebrat, deponatur. 113. Laicus, ſi vxor diſceſſit ab eo, poſt annos 7 aliam ducit cum Epiſcopi conſenſu; ſi in captiuitatem abducta eſt, poſt *annum* aliam ducit. Finis: *Baſilius* iudicauit, pueris licentiam, nubere ante 16 annos, ſi abſtinere non potuerint, quamuis *monachi* fuiſſent.

Concilium *Caeſarauguſtanum* 3, a. 691. ne eccleſiae *extra diem dominicum* conſecrentur; ne quis ſecularium intra clauſtra monaſteriorum habeat receptaculum; ne monachis detrahant. Leges eccleſiaſticae regis *Inae*, *Saxonum* occiduorum ſeu *Gerviſorum*; 692. Infans intra 30

dies baptizator. *Primitiae feminum* ad festum *Martini* redduntur — *Toletanum* 16. 693. — nec personarum *confundimus* proprietates, nec vnionem subſtantiae *separamus* (sicut in *Athanaſ.* symbolo.); longa tractatio de trinitate; tartarum penetrauit Christus *in anima*, et sanctorum animas exemit. Cap. 1. contra Iudaeos diligentius agendum; conuersi, liberi ab impensis in fiscum — 2. Contra idolorum cultum; *transeunt* ea, quae voto sacrilego dedicata fuerunt, in vicinas ecclesias. 3. Contra *Sodomiticae* operationis malum — 6. Contra sacerdotes, qui non panes mundos et studiose praeparatos, sed *de suis panibus* crustulam super altare offerunt — Christus panem *integrum* confringens — ergo et nos non *particulam* panis, — sed panis integer — nec grande aliquid, sed *modica* tantum *oblata*, vt ecclesiastica consuetudo retentat — 9. *Sisbertus*, ep. toletanus deiectus honore et in perpetui exilii ergastulo maneat, qui regem *Egicanem* regno priuare, eumque cum filiis et vxore et aliis occidere voluit; pro regis securitate grauia decreta. *concil. Becanceldae* habitum 694 praesidente rege *Cantii Withredo* et *Berthualdo* aep. britan. *Tobia*, roſſensi &c. vt ecclesiae liberae sint ab omni tributo seculari; ex duplici recensione. Concilium *Toletanum* 17. Cap. 1. in honorem trinitatis per *triduum* res spirituales, nullo secularium adsistente, agantur. C. 2. initio quadragesimae *ostia baptisterii* anulo pontificali claudantur, vt monstretur, per totum orbem non licere fieri baptismum; referatur in dominica resurrectione. 3. In coena domini pedes fratrum a sacerdotibus lauentur. 5. Ne *missa pro requie defunctorum*, pro viuis celebretur. 6. *Litaniarum* vota per omnes menses iam olim instituta; igitur pro statu ecclesiae, incolumitate principis, saluatione populi, indulgentia peccati, et expulsione diaboli a fidelium cordibus, *exomologeses* per omnes menses 12 celebrentur. 7. Pro familia regis defendenda. 8. Contra *Iudaeorum conspirationem*, qui

qui et baptisma reiecerunt et *regni fastigium* vsurpare voluerunt. Concilium *Berghamstedae*, seu iudicia regis *Withredi*, 697, aep. cant. *Berwaldo*, (regi intimus a consiliis dicitur,) *Gibmundo*, roffensi, et omnibus gentis illius ordinibus — 12. Si paganus *diabolo* quid obtulerit, fortunis omnibus plectitor et *collistrigio*. 18 seqq. De modo *iuramentorum*.

CAP. IV.

De statu societatis christianae interno et externo.

Societatem christianam amplificari, fere per cuncta secula, facile perspicimus; *religionem* vero christianam, seu diuinam illam atque caelestem, benefica ista et liberali indole, audemus dicere, vix reperimus, vel in ista ingenti nouorum sacrorum, ministeriorum, officiorum, honorum, miraculorumque pompa et copia; nempe sub oculos non cadit vera illa atque ingenua religio; quae hominis mentem animumque deo consecrat, isto autem caerimoniarum et exercitiorum splendido satellitio tantum ad imperitiores et tirones carere non potest. Colligemus autem publica illa documenta publicae, qua societas christianorum ab aliis societatibus publicis distinguitur, religionis; salubria profecto ad nos, si maxime recte iudicemus, hoc illud vitii aut morbi istis hoc tempore adiumentis sacris inesse.

Sunt autem numero multa ista documenta; satis pauca vero illa eius generis, quod casta et ingenua religione continetur. Vel ex *Gregorii* M. scriptionibus, quantum inuenustatis malignitatisque sacrae colligi potest! Ex *actis sanctorum* vero? Ex *conciliis* adeo et comitiis, publicae sacrae rei caussa coactis? Ex continuis litibus et

iurgiis cum *haereticis*, ſi hoc nomen porro patimur? Temporis, fateor, quaſi domeſtica prauitas atque infauſtum ingenium, inſignia decora atque ornamenta minus ſecum ferebat, quam ingeniorum vel non ſceleſtorum, quaſi propriam peruerſitatem, qua chriſtianae virtutis vera omnis vis atque pulchritudo tantum non vniuerſa oppreſſa, religio vero ſtudioſiſſime ad politica conſilia adaptata et compoſita fuit. *Gregorius* miracula inepta narrat de monaſterio S. *Andreae*, qui apoſtolus, ac ſi ipſe abbas eſſet, diligenter omnia procurarit. e. c. *Monachus* aliquid *furatus*, alius clam *diſceſſurus*, daemonio ſtatim traditus; 2 alii monachi *fugitiui* in crypta quadam ab equis, qui progredi nolebant, proditi; decebat ſane *Gregorium*, qui *Conſtitutum* illud (in ſynodo *romana* 4.) pro monachis, contra Epiſcopos edidit, (*Baronius* e *bibliotheca vaticana* edidit primus, ad a. 601. n. 9.) etiam monachos ſacris fabulis compeſcere. De eo tamen papa, auſus eſt *Petrus*, diac. eius, cum quo 4 libros dialogorum diſputauit, narrare, *ſpiritum ſanctum* in ſimilitudine columbae ſuper eius caput ſe vidiſſe, (*Iohannes* diac. in vita Gregor. lib. 4. c. 69.) Forte ignorarunt iſti homines, ſimilem rem etiam in *Muhammedis* commendationem ab amatoribus narrari. Hac tamen fabula *Petrus* impediiſſe dicitur, ne libri *Gregorii* comburerentur omnes; *pictores* fabulam ſolent conſeruare. Huius ſeculi fuit etiam illa foeda leuitas, vt *Traiani* animam precibus *Gregorii* nunc liberatam ex inferno ſcripſerint; *Ioh. Damaſcenus*, in orat. de fidel. defunctis, *totum orientem* atque *occidentem* ad rei teſtimonium appellauit; operam vero perdit *Baronius*, ad a. 604. n. 35 ſeqq. qui multis agit de eo, vt efficiat, falſo id narrari; de hoc enim nemo facile dubitat, per feliciora tempora; ſed hoc ſeculo, ſequentibusque id vel eccleſiaſticis hominibus perſuaſum non fuiſſe, numquam quisquam efficiet, vt perſpiciamus. *Dialogos* certe ſi quis legerit, (vid. volum. 1.) non paruo numero inſanas ineptias turpiſſimasque fabulas indignabitur, *Gregorii* vel vera vel ficta auctoritate ornatas.

Mona-

Monachorum nouae religioni maxime debetur illa et christianae et sanae mentis insignis corruptio. De *Amati*, (quem *Agrestinus* suis monitis ab ista *Columbani* nouitate abstraxerat,) poenitentia inusitata narrat, vita *Amati*; eius autem mentem non melius perspicimus, quam ex *epitaphio*, quod ipse composuit, (*Baronius* ad a. 617. n. 15.) rogat, vt omnes pro eo deprecentur; vt, si mea prauitas de meis peccatis obtinere (veniam) non potuit, tepide poenitendo: obtineat vestra caritas — hic de Christo et Deo nihil sciuit. *Heraclius* imper. ex *Euangeliis* sententiam exspectauit, quam in regionem exercitum duceret, (*Cedrenus*). In vita *Anastasii*, persae: Christus ideo mortuus est, vt *peccatum tolleret*, quod ex maligni insidiis *inflictum erat hominibus*. De *Muhammede* affert *Baronius* ex codice *Legerensis* coenobii, a S *Eulogio* narrata: mortuus est, et sepultus *in inferno;* (sic solent latini locum istum dividere, cum debeat legi — sepultus. In inferno positus &c.) Huius generis molestis nugis multum impendit operae *Baronius*, grauiter talia commemorans, e. c. istam lepidam fabulam, quam *Theophanes*, imperitorum in gratiam, vt solent multi scriptores, narrauit: cum *Omar* templum suae religionis caussa exstruere Hierosol. coepisset, aedificia non stetisse; Iudaeos de ea re interrogatos, facile docuisse, *crucem* in templo montis *Oliuarum* positam, impedire; itaque cruce ista deposita, templum nouum constitisse; hic *Baronius* a. 643. satis serio addit, *stante cruce* necesse esse, daemones cedere, eorumque vires infringi &c. Cur igitur stolidos atque infantes lectores suos occupat? Haec historiae sacrae seu ecclesiasticae nostrae vis est et dignitas, vt ridendos nos aliis vltro offeramus? *Mendacia* autem *monastica*, documentis scriptisque multis, fictis olim, aliis suggesta, quis satis et perspiciat, et eorum malas in animis appendices non exsecretur! *Dagoberti* regis, si placet, testamentum, sic inter alia loquitur: — ex caducis substantiis *intra aeterna tabernacula* vitam *mercari* perpetuam — Nec defuerunt, qui monachorum istum mercatum historiae

auctoritate confirmarent; *Aimoinus* certe, lib. 4. de morte *Dagoberti* ſcribit, *Antoaldum* pictav. eccleſiae defenſorem, in Siciliam profectum, collocutum eum ſolitario quodam de rege, hic ſolitarius narrauit: aſtitit mihi in ſomno quidam veneranda decorus canitie, qui me monuit, vt ſtatim pro rege, qui hac hora mortuus eſſet, orarem. Apparuerunt ſtatim daemones, vinctum regem per mare trahentes ad *vulcania* loca, verberibus etiam inflictis; rex ſanctorum ſuffragia audiebatur poſtulare; repente e caelo inter fulmina deſcenderunt, *Dionyſius*, *Mauritius*, *Martinus*, qui arreptam animam ſecum ad aethera leuauerunt; *Antoaldus* (Anſoaldus) haec in Gallia narrauit S. *Audoeno*, et hic poſteris reliquit in chartula conſcripta; addit, praeter *Aimoini* concionem monachalem, *Baronius*, inſaniam *nouatorum*, qui purgatorium negant, *vel vna hac hiſtoria* refelli et confutari poſſe; veram eſſe hiſtoriam, quam et rex *Ludouicus* in epiſtola ad *Hilduinum*, *Areopagiticis* praefixa, confirmet. Ex *Hiſpania* rex *Chindaſuinth*, *Taionem*, caeſarauguſt. epiſc. romam miſit, vt reſiduos libros *Moralium Gregorii* afferret. Longae moraе pertaeſus epiſcopus, cum Romae inueniri praе librorum multitudine non poſſent, ad veſtigia Petri precatur; luce caelitus lapſa vidit introire ſanctorum agmina; oratione completa ab iis, duo dealbati ſenes, eum rogant, quis et vnde eſſet; petenti ſtatim monſtrant loculum, vbi libri illi latebant; narrant, adeſſe Petrum et Paulum, ipſos vero *Gregorium* eſſe et *Auguſtinum*. Hac viſione ſtatim *Taio* id conſecutus eſt, vt haberetur Romae in honore, cum antea contemneretur, vt ignauus. Iſta omnia in appendice concilii *toletani* 7, ap. *Harduin.* tomo 3. pag. 625. *Peregrinationes* in vrbem *Romam*, religionis cauſſa, multae; ad earum indolem pertinet, quod narratur in vita S. *Audoeni*, rothomag. epiſcopi. Cum Romam aditurus eſſet, vndique conueniunt religioſi homines ad virum dei, auri argentique pondera multa afferentes, et obſecrantes, vt ad corpus SS. apoſtolorum et martyrum, *pro redemtione*

tione animarum suarum deferri iubeat, partem pauperibus, suis sacris manibus, distribuat, ipsosque precibus Christo commendet. Nec comites itineris multi defuerunt — cum ad Petri confessionem hunc versum inciperet: exultabunt sancti in gloria: *responsum fuit diuinitus*, laetabuntur in cubilibus suis. — rediit cum multarum *reliquiarum* suffragiis. S. *Erconvald*, apud Anglos, tanta sanctitate floruit, vt *Beda* scribat: vsque hodie *feretrum eius caballarium*, quo infirmus vehi solebat, seruatum a discipulis eius, multos aegrotos sanare non destitit; siue imponantur feretro, siue assulae de illo abscissae ad aegros ferantur. Idem *Beda* de *Sudario*, Christi capiti, in sepulcro, impositio, ex auctoritate *Arculphi*, ep. qui hoc seculo in Palaestinam profectus fuit, narrauit lepidam historiam; sudarium hoc statim *christianissimus* (hac indole enim spectatur) Iudaeus furatus fuit, vnde diuitiae affluebant ipsi; mansit ad 5 tam generationem apud fideles, inde venit in manus impiorum. Lites oriuntur de sudarii iusta possessione; *Muauias* rex rogo imposuit ardenti; sed euolat in aërem et diutissime quasi ludendo volucritans se tandem in christiani alicuius sinum demisit; habet 8 pedes; aliud maius linteum, fertur a Maria contextum, imagines habet Christi et 12 apostolorum; vno latere rubro, altero viridi. *Beda* idem, postquam de praelio narrauerat, in quo *Elbuin* rex occisus, scribit de milite, *Imma*, qui inter occisos iacuit, sed feliciter sanatus fuit. Hunc enim frater eius, *Tunna*, (vnde ciuitas *Tunnacestir*), cum in praelio occisum audisset, venit, et quaesiuit corpus; inventumque simillimum ad monasterium suum detulit, et pro *absolutione* animae eius missas saepius facere curauit; hinc factum est, vt, cum *Imma* ab hostibus captus esset, *vinciri* non potuerit aut alligari; a tertia enim hora, quando missae fieri solebant, vincula soluebantur. Haec cum tandem aliis narraret, multi accensi sunt in fide, — ad offerendas deo victimas sacrae oblationis *pro ereptione suorum*, qui de seculo migrarunt; intellexerunt enim,

quod *sacrificium* ad redemtionem valeret et animae et corporis. Haec *Beda*, et ex eo, vt dignum tanto historico fuit, *Baronius* ad a. 679. *Missam* alii etiam *contra hostes vivos* agere solebant, quod concil. *Toletan.* 17. C. 5. prohibuit. S. *Lamberti* martyris reliquias omnes osculari poterant; sed si qua pellex accederet, quasi turbine quodam retrocedere compellebatur; (sic aduersus *Alpaidem*, Pipini pellicem, monachi vlti sunt *Lambertum*)

Monachorum sub occidentem solem nouum quasi regnum, ingentem potentiam, miraculorum praesidia, varias artes et consuetudines, *Romana* etiam adiumenta, vix satis mente concipere, aut luculenter describere licet, nisi quis studiosius ista monumenta excusserit. Vel ille *catalogus* sanctorum benedictini ordinis huius seculi, qui est apud *Mabillonium* act. vol. 2. amplissimas res monachorum declarat. Initium ab a. 608. S. *Petrus*, qui cum Augustino in Angliam missus fuit, abbas primus noui monasterii, quod *Ethelbertus* fundauit; mortuus est *Petrus*, cum legationem in *Galliam* obiret. S. *Glodesindis*, abbatissa *mettensis*. *Columbanus*, multorum monachorum pater, et monasteriorum plurium auctor, *Luxov. Bobiensis, Fontanensis* &c. *Virgilius*, arelat. episc. ex *luxov.* monacho. *Laurentius*, ep. cantuar. e sociis Augustini; *Waldrada*, abbatissa S. Petri, mettensis. *Basolus*, confessor, prope *Remos*. *Walaricus*, abbas, auctor monasterii Leuconaensis. S. *Mellitus*, ex episc. londinensi, cantuariensis; auctor *Westmonasterii*, londini. *Austregisilus*, ex abbate *Nicetii* lugdun. episcopus bituricus. *Deicolus*, abbas primus monast. *lutrensis*. *Eustasius*, Columbani successor. *Attala*, abb. bobiensis. *Amatus*, ab. *Habendensis*. *Helladius*, ep. toletan. ex abbate Agaliensi. *Rusticula*, abbatissa *Arelat.* *Iustus*, ep. tolet. ex ab. *Agal.* *Arnulfus*, mettensis ep. anachoreta postea habendensis. *Bertulfus*, bobiens. abbas. *Sulpicius*, ex ab. castrensi, ep. bituric. *Richarius*, abbas primus *centulensis*. S. *Gallus*, abbas in alamannia, discipulus

Co-

Columbani. *Paulus*, e monacho *Theologiensi* episc. *verodun.* *Goar*, anachor. apud Treuiros. *Furseus*, ab. latiniac. *Agilus*, ab. resbacensis. *Donatus*, e luxov. monacho ep. *Vesontion.* *Bauo*, in monast. *gandensi.* *Romaricus*, ab. habendensis. *Salaberga*, abbatissa in Laudunensi vrbe. *Sigirannus*, conditor monasterii *Longoretensis* et Millebeccensis. *Burgundofara*, abbat. Eboriac. *Liuinus*, hibernus ep. martyr in belgio. *Gertrudis* abbat. niuialensis. *Geremarus*, ab. flauiacensis. *Clarus*, ab. Viennensis in Gallia. *Theodechildis*, abbat. *Iottensis*, in Briegio saltu. *Remaclus*, ex abbate *stabulensi* ep. traiect. *Waldebertus*, ab. Luxov. *Magnus*, fussensis abbas. *Germanus*, ab. grandiuallensis. *Ildefonsus*, ex abbate Agaliensi ep. *tolet.* *Wandregisil*, ab. fontanellensis. *Audomarus*, ex luxov. mon. *taruennensis* ep. auctor *sithiuensis* monasterii. *Iudocus*, in Pontiuo, anachoreta. *Serenicus* et *Serenedus*, fratres, conditores 2 monaster. *Fructuosus*, episc. bracarensis, coenobiorum variorum auctor. *Babolenus*, ab. *fossatensis*, prope Parisios. *Fiacrius*, anachoreta, in pago *Meldensi.* *Adelphius*, ab. Habendensis, seu Romaric. *Erembertus*, e mon. fontanell. episc. tolosanus. *Faro*, episc. Meldicensis, auctor coenobii S. crucis. *Frodobertus*, ab. cellensis in suburbio tricassino. *Praiectus*, ep. Aruernorum. *Emmianus*, *Mumeolus*, *Eloquius*, abbates latiniacenses. *Aigulfus*, abbas Lerinensis. *Vincentius*, seu Madelgarius, auctor coenobii *Altimontensis* et Sonegiensis, in *Hannonia.* *Mummolus*, ab. floriacensis. *Leodegarius*, ex ab. S. Maxentii, ep. Augustodun. *Amandus*, e mon. S. Martini turon. episc. traiectensis, auctor monast. *Elnonensis*, Gandensis, Blandinensis, in Belgio. *Ethildrita*, ex regina, abbatissa *Eliensis.* *Bathildis*, ex regina, monacha, condit. monast. *Kalense*, in agro *parisiaco*, et *corbeiense.* *Vltanus*, ab. monast. *perronensis.* *Gislenus*, conditor cellae in Hannonia. *Humbertus*, aedif. maricolense monast. *Aldegundis*, abbat. melbodiensis, in Hannonia,

nonia. *Filibertus*, abbas *Gemeticenſis*, *Herienſis* &c. conditor. *Barontus*, anachoreta *Piſtorii*, cum S. Deſiderio, *Bercharius* abbas *altiuillarenſis*, et *deruenſis*, in Campania. *Condedus*, monach. fontanellae et anachoreta. *Waltetrudis* abbat. caſtrilocenſis, in Hannonia. *Landelinus*, ab. *criſpinienſis*, in Han. *Cuthbert*, lindisfarn. ep. *Rictrudis* abbat. marcianenſis monaſter. in Flandria. *Aicadrus*, ab. gemetic. et auctor *quinciacenſis* coenob. *Waningus*, conditor parthenonis *fiſcamnenſis*, in Caletis. *Auſtrudis*, abbat. laudunenſis poſt S. Salabergam matrem. *Euſebia*, abbat. Hamaticenſis, in Flandria, poſt amitam, Gertrudem. *Kilianus*, ep. Herbip. *Tillo*, mon. Sollemniacenſis. *Benedictus*, ab. *viremuthenſis* et *Girvenſis*; cum eo *Sigfrid* et *Ceolfrid*, abbates. *Hadalinus*, conditor *Cellae* ad Moſam. *Hunegundis*, ſanctimon. Humolarienſis, in Veromanduris. *Theodorus*, ep. cantuar. et *Hadrianus*, abbas S. Petri. *Theodefrid*, ab. primus *corbeienſis* coenob. per *Bathildem* conditi. *Valerius*, ab. S. Petri de montibus, in Hiſp. *Chlodulfus*, Arnulfi fil. epiſc. mettenſis. *Ansbertus*, ex ab. fontanell ep. rotomag. *Angadrisma*, abbatiſſa oratorii prope *Bellouac*. *Claudius*, ep. Veſontion. *Trudo*, confeſſor et conditor coenobii ſui nominis, in Hasbania.

Iſto autem catalogo tantum celebriora nomina continentur; ſupereſt longus numerus aliorum ſanctorum; ex ſancta enim progenie credibile erat et alios non deeſſe, filios, filias, fratres &c. quorum non rara fit mentio. Iam, cum *de tot ſanctis* hiſtoriae aut fabulae narrandae eſſent, quibus vera rerum indoles ita mutaretur, vt apud populum religio et admiratio confirmaretur: facile perſpicimus, quantum ineptiarum, mendaciorum, ſtultitiarumque perſcribendum fuerit. Iſta certe *miracula*, quae a cunctis perpetrata dicuntur, ne alius alio minor aut inhonoratus fieret, tam ſtolidi ſunt ingenii, vt non ſolum chriſtianae religionis omnem naturam corruperint, ſed etiam imperitorum mera ludibria, vafrorum autem hominum peſtifera miniſteria

steria et malignitatis omnis adiumenta fuerint. Quis enim fando vel inter barbaras gentes et priscos naeniarum arbitros audiuit, radio solis, qui per angulum aedificii intrat, aliquem pro pertica vsum, et *cappam* suam in eo appendisse? At in vita S. *Goari* hoc miraculum describitur, p. 278 tom. 2. *Mabillonii*; ex eodem loco etiam illud hic annoto, *conchan marmoream*, iam seculo 7, inter christianos *Treviris*, publicam exstitisse, in quam infantes spurii, quorum parentes aut puderet aut pigeret, post partum exponerentur; qui per matricularios nutricarios episcopo tradebantur. Infantis expositi patrem episcopus *Rusticus*, trenir. *Goarum* iussit prodere, in documentum miraculorum suorum; infans clara voce dicit, ille episcopus *Rusticus* est pater meus; *Goar* ipse *pro Episcopo* poenitentiam 7 annorum suscepit, nec tamen regi *Sigiberto* rem ipse confirmare et episcopum testimonio suo accusare voluit. Huius ingenii miras fabulas, quis tandem cum historia religionis christianae cohaerere putabit? Quidni operam nostram in id impendimus, vt tandem in lucem protrahamus hominum, qui christiano nomine tam parum digni sunt, ignauiam atque peruersitatem, vt spretis abiectisque cunctis ministeriis et reliquiis pristinae malignitatis, nos hominibus nostris christianae et verae perfectionis felicitatisque ingenua illa pauca capita et adiumenta accuratius describamus, et facilius persuadeamus! Illud facile patet, publicae humanae vitae, qua societatem illam ciuium attingit, talibus caerimoniis et institutis, artibus, aedificiis, exemplis &c. quae barbarici stuporis in locum succedebant, isto tempore emendatam atque non parum promotam fuisse; sed fas non fuit, etsi ista temporum malignitas id patiebatur, perpetuum numen a religionis sanctitate et auctoritate istis rebus ad omnes homines adiungere, et *christianae religionis* veram indolem continuis mysteriorum miraculorumque his terroribus peruertere.

Sed paucis ad romanos episcopos transibimus, quorum cum fuerit iam hoc seculo magna auctoritas, si quid boni,

boni, ingenuique et diuini conſilii ipſi ſequebantur, ad alios etiam facile luculenta virtutis conſuetudo transibat. *Gregorius* ille, qui et multas alias ſuperſtitiones priſtinis addidit, auxit *Canonem* Miſſae, noua formula, *diesque noſtros in tua pace diſponas* &c. (vid. *Lilienthal* de canone Miſſae Gregoriano, p. .) Fecit ciborium ap. Petro, cum 4 columnis, ex argento puro; domum ſuam fecit monaſterium; alius *rogam* integram dedit Clero ſuo. *Honorius* inueſtiuit confeſſionem Petri ex argento puro; penſat libras 185; regias ianuas, quae appellantur medianae, 975 libras; ceroſtata maiora, paria duo, ante corpus b. Petri, ſingula lib. 272, et ſic longo ordine *Anaſtaſius*, qui meliora pontificum ſtudia, quae narraret, ignorauit. *Iohannes* 4 reliquias multas ex *Dalmatia* et *Iſtria* afferri iuſſit; quod *Baronius* ſic excuſat, quia ibi ob hoſtiles incurſus in periculo et ſine honore eſſent. Alii *coopertoria* ſuper altaria fecerunt; *Leo* 2, fecit conſtitutum, ne quis aepiſcopus *pro pallio* aliquid ſolueret. *Conon*, poſt lites inter clerum et exercitum, papa factus, fecit rectorem patrimonii Siciliae, hominem improbum, et ei licentiam dedit, *pallio vti ad caballicandum; Anaſtaſius*, qui id narrat, ſimiliter ſcribit, de vehementi ſtudio *Paſchalis*, Archidiaconi, contra *Theodorum*, archipresbyterum, et contra *Sergium*, qui e presbytero S. Suſannae, papa poſt *Cononem* factus eſt; Exarcha extorſit C libras auri, quia archid. promiſerat, etſi illum adiuuare non potuit in ſede occupanda; archidiaconus autem pro aliquibus incantationibus et lucis, quos celebrabat, in monaſterium truſus impoenitens mortuus eſt. *Sergii* multa anathemata ſacra recenſentur; ſtatuit, vt tempore fractionis dominici corporis a clero et populo caneretur, *agnus dei*, *qui tollis peccata mundi*, *miſerere nobis*.

Mendicum ſe finxerat aliquis, (e nobilibus,) eo facilius *Brunhildem*, Theodeberti aula electam, in Burgundiam deducturus; ea poſtea eum (e laico) epiſcopum *Autiſſiodorenſem* fecit, (*Deſiderius* haud dubie fuit); nempe *Epiſcopatus*

patus honore et diuitiis vel palatina miniſteria ſuperabat, itaque praemii loco dari ſolebant, licet clerici, antiqua carmina, de moleſtiſſimo onere epiſcopi, oggererent. *Columbanus* abbas, hibernorum paſchatis celebrandi morem ſatis fortiter aduerſus papam defendit; idem apud *Bonifacium* 4 cauſam trium capitulorum, hortante *Agilulfo* rege, ſcripto defendit vehementi; (epiſtola 4. in biblioth. patrum,) negat, *Vigilium* papam ſatis *vigilaſſe*; hortatur, vt cathedram Petri purget omni errore, quo non carere dicatur &c. videtur tamen ex iſto feruore remiſiſſe, ſiquidem monaſterium *Bobienſe* paparum non caruit fauore, et ipſe titulo *ſancti* ornatus fuit; auctor certe vitae eius, de iſta, qua aduerſus papam vſus eſt, libertate, nihil quicquam narrauit. Sanctitas monaſteriorum, verbis potius ſolet, quam exemplis et hiſtoria confirmari. Vt de *Columbani* et aliorum fatis nihil repetamus, *Ruſticula*, abbatiſſa, licet contra regulam S. Caeſarii id fieri diceretur, ad regem per ſatellites deducta. Rex idem *Chlotarius* in exilium eiecit *Lupum*, Senonenſem ep. qui *Landegiſilum*, cuius cuſtodiae ipſe traditus fuit, idololatram ducem, et Francos alios chriſtiano nomini addidit; ciues fenonenſes in ipſa eccleſia *Madegiſilum*, ſucceſſorem, qui Lupi accuſator fuerat, occiderunt; Lupus reductus. Hiſtoria fere nihil habet, quod narret de re chriſtiana publica, quam fundationes eccleſiarum, monaſteriorum, reliquiarum numina, earum translationes, miracula, *poenitentias* ſponte ſuſceptas, viſiones &c. Hic ibi regum iura aduerſus Clericorum nonos auſus defenſa; *Sigebertus*, rex Auſtraſiae, non paſſus eſt concilium haberi, cuius venia antea ab ipſo non petita fuerat; (Epiſtola regis ad *Deſiderium* epiſc. tomo I. Du *Chesne* p. 887.) Floruerant hic ibi leges haud paulo magis ſalubres, quam aliae, quibus iſtae oppreſſae fuerunt, eccleſiaſticae. Inter *formulas Marculfi*, (qui hoc ſeculo 2 libros congeſſit, epiſcopi pariſienſis iuſſu,) libro 2 exſtat formula *diuortii* cauſſa: ſi coniuges in pace inuicem non viuere poſſint, liberum ipſis eſt, vt ſeiungantur, atque aut in mo-

accu-

naſterium diſcedant, aut *aliud matrimonium* ineant. Sed accuratius multa perſpiciemus, de ſtatu chriſtianae ſocietatis, (in populo), ex iſtis ſententiia. E vita S. *Eligii*, epiſcopi nouiomenſis, (tomo 2. *D'Acheri* ſpicileg. pag. 97. edit. fol.)

Ex *Eligii* admonitionibus ad populum.

Ante omnia illud denuntio, vt nullas *paganorum* conſuetudines obſeruetis; non caragos, diuinos, ſortilegos, praecantatores; — ne auguria, vel ſternutationes obſeruetis, nec auiculas cantantes — nec *qua die* quis domum exeat, aut reuertatur; nec in calendis *Ianuariis* nefanda et ridiculoſa, vetulas, aut ceruulos, aut iotticos faciat; nec menſas ſuper noctem componat — nec in feſtiuitate Iohannis vel aliis, ballationes, choraulas, aut cantica diabolica exerceat; nullus nomina daemonum, *Neptunum*, *Orcum*, *Dianam*, *Mineruam*, aut *Geniscum*, credere aut inuocare praeſumat — nullus Chriſtianus ad fana, petras, fontes, arbores, vel ad cellos (colles), vel per triuia, *luminaria* faciat, aut *vota* (lampadum) reddere praeſumat; nec ad colla hominis aut animalis ligamina pendere, *etiamſi a Clericis fiant*, et dicatur, quod res ſancta ſit, (reliquiae) et lectiones diuinas contineat; — nec luſtrationem facere, herbas incantare, pecora per cauam arborem, vel terram foratam transire — nulla mulier ſucciños ad colla pendere praeſumat, nec in tela, vel tinctura Mineruam nominare — nullus, quando *luna obſcuratur*, vociferare (vince luna) praeſumat; nec *luna noua* timeat aliquid operis arripere; quia deus ad hoc lunam fecit, vt tempora deſignet, non vt alicuius opus impediat, aut *dementem faciat*, ſicut ſtulti putant, qui a daemonibus inuaſos a luna pati putant. — nullus ſibi proponat fatum, fortunam aut *geneſin*, quod *naſcentia* vulgo dicitur, (qualem naſcentia attulit, talis erit) — qui aegrotat, in ſola dei miſericordia confidat, euchariſtiam cor-

corporis et *sanguinis* Christi accipiat cum deuotione; *oleumque benedictum* ab ecclesia petat, vnde corpus suum in nomine Christi vngat — et non solum *corporis* sed etiam animae sanitatem recipiet — *pedum similitudines*, quas per biuia ponunt, fieri vetate et igne cremate — — Insunt etiam christianae vtiles et frugiferae admonitiones, quarum vim apud plerosque caerimoniarum illa copia sensim oppressit. *Crucis signum* vehementer commendat; sed addit, illis solis prodest, qui faciunt mandata Christi, — vt memoria dei et vigilantes protegat et in sopore custodiat.

Quod ad *Germaniam* huius temporis attinet, *Constantiae* post initium seculi, (a. 616 quidam designant,) *Gunzo* (*Conradus*) dux Alamanniae, synodum coegit; adfuit *augustodunensis*, *Virdunensis*, *Nemetum*, epp. presbyteri, diaconi, cum principibus et comitibus, pro nouo episcopo *Constantiae* eligendo; S. *Gallus* excusauit se; eius autem discip. *Ioannes*, vel inuitus, vt narrari solet, electus est. Illud non omittendum, S. *Gallus*, vt rogatus fuit, sacrum sermonem habuit, sed Iohannes *interpretis* officio functus est, (ergo in lingua vulgari) in vtilitatem *barbarorum;* (vita S. *Galli*, ap. *Goldastum*, in reb. *alam.* tom. 1. *Mabillonium*, tomo 2. act. SS. Bened. &c.) *Dagobertus* rex, donat Amando, *Wormaciensi*, ciuitatem *Laudenburg*, (*Ladenburg*, *Lupodunum*) palatium, aedificia, mancipia, vineas, agros, prata, syluaticum in *Otenwald*, aquas, teloneum, mercatum &c. ad Basilicam S. *Petri* in Wormatia, 635. 636. (Concilia *germaniae* Harzhem. tom. 1. p. 25.) *Sigebert*, Austras. rex 3, fundat monasterium *Casa conguidunensis*, (*Cougnon*, in ducatu luxemburg. treuir. dioeces.) 644. Ab hoc *Sigeberto*, papa *Martinus* per *Amandum*, ep. traiectensem, petebat, vt Episcopos Romam mitteret, quibus papa legationem ad imperatorem Graecum imponere volebat; nempe, sperabat *Francicam* auctoritatem a Graecis minus contemni posse. Adiecit huic seculo *Harzheimius* digressionem, de *legibus ecclesiasticis* seculi 7; hic inepte tricatur, leges ecclesia-

ſticas Regum et Principum, etſi eccleſiae honorificas et vtiles, tamen non poſſe recenſeri inter *canones*. Parum liberalis et erudito homine digna eſt haec ſententia. *Iura circa ſacra*, leges igitur *eccleſiaſticae*, tam in principum manu fuerunt, vt, qui negare id auſit, hiſtoriae verae nihil eum ſcire oporteat. Cur autem *conciliorum* nomine recenſentur iſta *comitia* regni, c. c. *toletana?* Nemo negare poteſt, de rebus ad regni ſtatum pertinentibus non minus actum fuiſſe, quam de rebus eccleſiaſticis, ſeu *Epiſcoporum*. Nec papae auctoritas in *Hiſpania*, Galliaque ad concilia vmquam acceſſit, quia epiſcopi regnorum hoc adhuc tempore regi ſuo adhaerebant, reges autem iſti nihil adhuc in *Italia* ſperabant aut quaerebant; quae res non parum mutauit ſeculo ſequenti octauo. Itaque reges, ſi res ſic ferebat, deiiciebant ſuos epiſcopos; quos papa reſtituere non potuit. Epiſcopi ſunt inter proceres regni, vt clariſſime patet ex conciliis *toletanis*, *gallicanis*, *anglicanis*; itaque res omnes regni in comitiis agebantur; tam eccleſiaſticae maiores, quam politicae. Titulus legis *Alamannorum:* Incipit textus legis Alamannorum, quae temporibus *Chlotarii* regis, vna cum *principibus* ſuis, 33 epiſcopis, 33 *ducibus*, 72 comitibus, vel cetero populo, conſtituta eſt; (*Goldaſti* collectio conſuetudinum et legum imperialium, Francof. 1613. *Lindenbrogii* codex legum antiquarum; et codex Mſtus D. *Krafftii*, patricii colonienſ. quem nominat *Harzhemius*, quaſi aliter de fide tituli non ſatis conſtaret.) Capitula priora 23 pertinent ad res eccleſiaſticas. Similiter lex *Baiuuariorum*, *Ripuariorum*, *Salica*; hic ſi quis ideo neget eſſe leges eccleſiaſticas, quia non ab epiſcopis, quaſi diuinarum rerum arbitris, ſolis latae ſint, nominibus et verbis ludit; huius enim generis et ominis leges hoc et ſequenti ſeculo nondum locum habuerunt, quia ſerius demum illa iuris veri et genuini corruptio ſuccreuit, quae a regibus et principibus vetuſtiſſimam et ſanctam auctoritatem auferre ſuſtinuit, paparum poſteriorum malignis artibus.

De

De Haeresibus.

Publica illa christianorum societas iam superiora per tempora in partes non obscuras aut ignobiles diuisa fuerat, quae etiam prouinciarum et terrarum diuisionem et separationem a maiori olim imperio, catholicorum fere continua imprudentia et iniquitate, secum ferebat: quia ecclesiasticorum hominum ministeria, quo iure, non interpretabimur, etiam palatium et aulam a vera regnandi peritia abduxerant. Ita *Arianorum* illa diuturna et vetusta publicae religionis diuersitas, quam catholici pati et ferre nolebant, multarum prouinciarum quasi secessionem a romano vniuerso imperio, effecerat. *Oriens* olim *arianus*, ab *occidente* catholico, sub *Constantini* filiis, iam diuisus fuit. Postea Africam et occidentis maiorem partem *Ariani* occuparunt, *orientem* catholici fere tenuerunt, sed continuatis dominationis vitiis, nouis partibus paulo post discissum. *Nestorianorum* et *Eutychianorum* ingens societas vix in publico imperii corpore potuit retineri, quum improbi atque imperiti quidam homines e maiori clero insanis anathematibus non parcerent. Hoc igitur seculo *Nestoriani* publice in *Muhammedanorum* dominorum fidem se dederunt; *Iesuiabus*, nestor. summus pontifex, foedus et non parua beneficia a nouis dominis impetrauit; nec *testamentum* illud *Muhammedis*, si maxime, quod quidam putant, a monachis syris confictum sit, hominum animos et studia non declarat. In Aegypto autem *Eutychiani* similiter nouos et aequiores dominos facillime amplectebantur; atque inde factum est, vt orthodoxi illi, qui inania odia continuabant, per longum tempus, suorum sacrorum Episcopos non habuerint istis in terris. Poterat ista experientia emendasse superiorum temporum imperitiam; sed secus accidit; quia qui religionem et sacrorum modum se vnos optime scire et docere dicebant, iidem etiam vni et soli per religionem imperare aliis, atque humanarum rerum omni apparatu in rem suam abuti, vt placebat, didicerant.

Iam vero, ſi ſacri pontifices, qui mentes hominum perfiecre atque emendare debebant, res externas regunt, regum regimen aut paruum aut nullum eſt, et respublica ſimul cum ſacra peſſum datur. Recte igitur *Heraclius* a maiorum infauſta conſuetudine abire decreuerat, vt, qui *Neſtorianos* fere omnes a graeco regno alienos videbat, quia perpetuis ſacris fulminibus obruebantur, *Monophyſitas* tamen retineret; nec verofimilitudine caret, *Heraclium*, qui ſe acquiorem praebebat, *monophyſitarum* in *Armenia* ſtudiis aduerſus regem Perſarum non parum adiutum fuiſſe. Colloquium illud cum *Paulo*, Seueriano, in *Armenia*, a. 622, de quo *Sergius* aliquid narrat in epiſtola ad *Honorium*, (in Actione 12. ſynodi 6.) rem facile confirmat; porro cum *Athanaſio*, monophyſitarum catholico, quem *Antiocheni* patriarchatus dignitate donaturum ſe promiſerat, ſi *chalcedonenſem* ſynodum approbaret; eruditus homo, (nec enim eruditione *neſtoriani*, *eutychianique* catholicis inferiores habendi, qui ſuperiores, aemulatione autem et moleſta ſedulitate pares fuerunt,) facile promittit, ſed ſtudioſius requirit, quid iam ſtatuendum ſit, vtrum ſic *duae* naturae, quas affirmare vellet, vt etiam *duae voluntates*, pro naturarum numero atque infinita diuerſitate, de Chriſto praedicandae ſint? *Heraclius* de noua re *Sergium*, conſtantinop. patriarcham rogat, *Cyrum* etiam, *Phaſidis* epiſcopum; vterque poſt vnitionem naturarum, ad vnum miniſterium et conſilium, *vnam* operationem et *vnam* voluntatem, (nempe *obiectiue*) definiuit; et tam *paſſibile* quam *impaſſibile* in Chriſto diſtinxit. (Epiſtola *Cyri* ad *Sergium*, in actione 13 Synodi 6.) *Cyrus* iam an. 630 ad ſedem alexandrinam ab Heraclio promotus. *Theodoſianos* igitur hic facile omnes adduxit ad ſocietatem maiorem; atque in *Synodo* alex. Cap. 7 ſatis bene loquitur, de 2 naturis, quarum ſit vna θεανδρικη operatio, ſic vt diſcrimen naturarum, (non diuerſis aut contrariis factis ſed) ἐννοιᾳ et ἐπινοιᾳ porro ad nos conſtet. Hic *Dionyſii* areop. illa falſa auctoritas, cum *Cyrilli* ſententiis connexa fuit. (Actio 13.

eius-

eiusdem 6 synodi). Sic satis bene res cedebant; nisi *Sophronius*, monachus, et paulo post *Hierosolymit.* post *Modestum*, episcopus, intercessisset; epistola ad *Sergium*, (quae prima non supereſt;) et alia *encyclica*, (hoc nomine enim digna est,) ad *Sergium*, *Honorium*, rom. (*Photius* in biblioth. cod. 231; qui iudicat, noua passim vocabula *Sophronium* adhibere, tamquam equi pullus saltibus luxuriantem, orthodoxam tamen sententiam accurate tradere;) Fuit autem *Sophronius* antea *Alexandriae*, cum *Cyrus* illam vnionem efficeret; nec placere sibi hoc, statim professus est; forte imperator eum ideo Hierosol. ep. fecit, quia patriarchae honore putaret mitiorem effici. Recte *Cyrus* oggessit: patres saepius prudenti oeconomia vsos, si nouae quaestiones inciderent; tot hominum millia hac vnione coniungi posse, itaque contentionem molestam abesse debere; sed oeconomiam, (vnam θεανδρικην operationem,) *Sophronius* non admisit. Recte et hoc displicuit Sergio, qui ad primam, quae periit, epistolam respondit, vt narrat in ep. ad *Honorium*. Idem *Sergius*, cum ad *Heraclium* Edessam mitteret, e libro dogmatico *Mennae* ad Vigilium, testimonia, quae imperator describi iusserat, suasit: vt quaestiones molestius non haberentur. Itaque et *Honorius* papa haec omnia, vt acta sunt, probauit, in epistola ad *Sergium*, atque tam *vnam* quam *duplicem operationem* ad populum celebrari noluit. Videbatur quiescere *Sophronius*, sed quacunque tandem ratione motus, legationem ad *Romanum* ep. misit; (concil. *Romae* sub *Martino*, secretario 2.) Itaque *Honorius* ad *Cyrum*, *Sergium*que scripsit, vt de *vtraque* sententia silerent, quia *noua* sit, et ad populi aedificationem nebulosae caligines verborum nihil facerent. Idem *Honorius* ad *Grammaticos* pertinere, ad vanos et *otiosos* negotiatores dixit; recte omnino, licet contra soleant statuere; vid. celebris Historia *monothelitarum* paris. 1679. 8. pag. 308. Istas inter turbas Saraceni *Hierosolymas* occupant, viuo adhuc *Sophronio*; successit ei ex seculari auctoritate Sergius, *Iop-*

penſis; *Heraclius* autem, qui iam antea *Cyrum* alex. confirmauerat in ſententia publica, ἐκθεσιν a. 639. promulgauit, quam per *Iſaacium*, Exarch. etiam Romam miſit, ad papam *Seuerinum* (Epiſtola *Cyri* ad *Sergium* narrat, in Synodo *romana* ſecret. 3.) et in Synodo Conſtantinopol. (ἐνδημουσῃ haud dubie) confirmari publice iuſſit. Sed *Ioh.* 4. romae, alii epp. in *africa*, ἐκθεσιν condemnarunt in ſynodis; videbatur enim ius definiendorum dogmatum praecipue penes occidentem eſſe, niſi imperator hanc regni partem ſimul alienari volebat. Iam *Maximus*, qui conſtantinopoli *Heraclio* inter palatina miniſteria ſeruiebat, cum *Pyrrhus* Sergio ſucceſſor datus eſſet, ad occidentales in *Africam*, ſeceſſit (atque inde *Romam*), vt ſuo conſilio aduerſus orientalium conſenſum daret operam. Ab imperatore nouo tandem *Pyrrhus* ipſe alienus, et veneficii adeo ſuſpicione non carens, vltro in *Africam* ſeceſſit cum latinis poſtea coniunctus, vt videbatur. Ei *Paulus* ſucceſſor datus. Studebant et alii orientales romano pontifici, adverſus Paulum, quia priuatis conſiliis ibi locus facilius patebat; *Stephanus*, dorenſis, romam venit, papae vicarius orthodoxus. A. 645 celebris illa diſputatio in *Africa*, *Maximi* cum *Pyrrho*, quae graece adhuc exſtat in vaticanis codicibus; latine *Turrianus* transtulit. Tandem 648 Τυπος editus, quo ἐκθεσις reiiciebatur, quae quaeſtionem iſtam vetabat, ſed vnam operationem definierat; τυπος autem ſilentium vtrique parti imperabat, eo fere modo, quo *Honorius* ſententiam tulerat. Sed cum experiunda eſſet ſumma poteſtas in ceteras eccleſias, non acquieuerunt *latini*; concil. roman. 649 damnauit et ἐκθεσιν et τυπον, nomina tamen imperatorum non addebantur. Suo iure imperator *Martinum* deportari iuſſit Conſtantinopolin, *Maximo* relegato; nec veroſimilitudine caret, quod *Martino* obiicitur, eum a fide in *Conſtantinum* alienum, alii domino non obſcure faniſſe. Compoſita, repreſſa certe, videbatur iſta publica tempeſtas; tandem, vt orientem cum occidente arctius coniungeret, *Conſtantinus* pogonatus, cum

Aga-

Agathone, romano, 680 oecumenicum concil. *Constantinopoli*, sextum, coegit; deditque multa Romanis, licet *Honorio* simul damnato. Sic iam caruit palatinis adiumentis ecclesiastica illa mitior πολιτεια, vt ne latini orbis istas partes graeci iam amitterent; sub *Saracenis* autem, atque inter *Mardaitas*, in *Libano*, porro sine offensione succreuit illa familia *Monotheletarum*; Maronitarum, paulo ante seculi finem, nomen successit, a *Ioh. Marone*, antistite copiosae sacrae familiae, deriuatum.

Arianorum societas inter Longobardos reges et duces in *Italia* publice floruit; sed, quia coniugiacum *catholicis*, ob reipublicae adiumentum non raro intercedebant, fuit etiam hic ibi locus mutandae religionis publicae. Fecit autem principum quorumdam *Arianorum* prudentia atque beneuolentia in catholicos, vt hi modis omnibus vel hos contra graecum imperatorem adiuuarent. De *Constante*, seu Constantino, narrat *Paulus*, diac. cum propositum ipsi esset, Longobardos in *Italia* bello petere, ad solitarium aliquem antea iuisse, vt sciscitaretur, vtrum eam gentem superare posset; post noctis spatium respondisse virum dei, superari eam gentem iam non posse; quia regina quaedam ex alia provincia veniens, basilicam *Ioh.* baptistae construxit, propter hoc ipsum b. Iohannem *pro Longobardis* continuo intercedere. Nempe non opus erat istis commentis; *Romani* episcopi graecum imperium pati nolebant, sed ex nouis studiis in Lombardos et Francos noua adiumenta sibi quaerebant. *Grimoaldus*, rex, dicitur a S. *Ioanne*, Bergomi Episcopo, ad catholica sacra traductas; *Columbanus* iam post initium seculi, *Mediolani* aduersus *Arianos* libellum scripsisse narratur, (in vita S. Columb. sub finem) qui non supereſt, haud dubie satis mediocrem. Sed discimus *arianos* reges perspexisse, obstare ipsis vetustorum sacrorum formulam. Cum *Lotharius*, tribus *Franciae* regnis potitus esset, in *synodo* dicitur iussisse, dirigere peritissimos viros, qui vicinas gentes ad gremium ecclesiae reuocarent; *Agilus*, ab. resbac. electus, cum *Eustasio*, abbate. Hi

Waraſcos adierunt, quorum alii idololatriae cultibus dediti, alii *Fotini*, vel *Bonoſi* errore, maculati erant. His ad fidem conuerſis, ad *Boios*, qui nunc *Boioarii* vocantur, tendebant &c. vita S. *Euſtaſii*, Mabillon. act. SS. tomo 2. p. 117. et vita S. *Agili*, p. 319. Videtur imperitior ille ſcriptor aberraſſe in eo, quod diſtinxit *Waraſcos* a *Baioariis*, quaſi iſti, non hi, Bonoſi erroribus dediti fuerint. In vita certe S. Salabergae ſic narratur, *Baioarios* per *Euſtaſium* a *Bonoſiaca* haereſi purgatos fuiſſe; nempe ex Italia in partem priſcae *Baioariae Arianismus* transierat, quem a *Photini* errore alio non ſolent ſcriptores iſti diſtinguere.

Acephalorum haereſis, qua Aquilegienſis eccleſia, eique adhaerens *Agreſtinus*, a *romana*, per longum tempus ſeiuncta fuit, etiam *Hiſpaniam* pulſauit, vt in Synodo *Hiſpalenſi*, actione 12 narratur, de *Syro* quodam Acephalorum Epiſcopo, qui tamen ad aliam ſententiam traductus fuerit. *Manichaeorum*, ſeu *Paulicianorum*, familia, *Conſtantino* quodam auctore, in *Armenia* praecipue ſuccreuit; a paruis iſtis initiis illa cauſſa ſenſim ſic auxiit, vt ſec. 8. 9. multum turbarum excitauerit. Nam ſeculo ſequenti, quo ſcripſit *Petrus*, ſiculus, aduerſus iſtam ſectam, in Armenia easdem partes prouinciae adhuc incolebant Manichaei, (vicum *Mananalim*, *Cibaſſa* &c.) vbi ille *Conſtantinus* inclaruit. Parum luculenta narratur hiſtoria, ſiue ex hoc *Petro*, ſiue ex *Photio* (inter *Wolfii* anecdota graeca,) ſiue aliis graecis colligatur; capitis poena in Manichaeos veteres conſtituta fuerat; itaque vetuſta nomina facile abiiciebantur, et hominum et librorum eius ſectae. Nouam viam hic iniiſſe dicitur, cum accepiſſet a peregrinante quodam diacono, ex Syria reduce, *ſyriacos* libros, Epiſtolas Pauli, et Euangelium; hos falſo ſenſu impleuit; non defuit adhaerentium multitudo; itaque per *palatinos* miniſtros auctor lapidibus obrutus, alii in carcerem miſſi. Sed, noua atrocitas ſuperuenit; idem ille *palatinus Simeon*, tandem ex multis diſputationibus rem ipſam ſibi perſuaſit; relicto regio officio, ſectae et ipſe praeſes. *Photius* mul-

tos

tos quasi διαδοχας nominat, qui sibi aliquod nomen eorum desumserint, quorum in *Pauli* epistolis fit mentio; *Silvani*, (ille Constantinus) *Titi*, (Simeon), *Timothei*, Epaphrod. *Tychici*; similiter societatum nomina imitabantur sex; *Macedoniae* ecclesia, *Achaiae*, *Philipp.* *Laodiceae*, *Ephesi*, *Colossensium.* Alios christianos, *Romanos* nominabant; ceteram Christi historiam in parabolam et *allegoriam* mutabant; Maria, est caelestis Ierusalem; crux, est ipse Christus; baptismus, ipse Christus aqua viuens; *Petrum*, quia Christum negauit, abiiciunt, ceteras vero epp. canonicas, Pauli et *Actus* admittunt; non patiuntur presbyteros et ceteros Ιερεας, (clericorum illud satellitium;) συνκδημας vero et νοταριας nominant, sed nec habitu nec cetero ritu ab aliis differentes. Mulier manichaea p. 100. *Wolfii*, in sacerdotes inuecta, quod sanctitatis et mysteriorum nomine homines laicos a scripturae sacrae vsu arcerent &c. Diuersa disciplina ad *exotericos* et magis exercitatos, &c. Facile intelligimus, hos homines noluisse subesse externo publicae religionis prauae modo, melioris instar sibi informantes; itaque vehementissime a cetero ecclesiastico senatu opprimi solebant, quia illa virtutum et benignitatis documenta, (de quibus *Photius* ipse p. 119 in Baane, αρετων σκηνη) ad alios paterent, haud dubie molestiora illa sacra, quae ingentibus clericorum vitiis non carebant, plerique homines reliquissent. Itaque sunt hos inter *Manichaeos*, si a nominis inuidia et solitis elogiis discedimus, maiores et parentes eorum quaerendi, qui semper abhorruerunt a publica sacrorum malignitate, *Waldensium* &c. atque a *Quackerorum* et similium singularium societatum institutis parum differunt. *Manichaei* a *Iustiniano* comburi iubebantur; atque inde videtur manssisse illud quasi *orthodoxorum* signum, vt in ignem mitterent haereticos.

Antiochus Homil. 84. narrat de monacho in monte *Sinai*, qui multis annis cellulae inclusus vixerit, diabolicis autem reuelationibus tandem ad *Iudaismum* delapsus sit,

atque apud Iudaeos, in *Noara* et *Libyade*, asylis Iudaeorum, circumcisus, vxorem duxerit, atque aduersus christianos *dogmata ediderit*, propugnator Iudaeorum acerrimus. A Iudaeis omnino metuere poterant christiani, cuius rei et in *Hispania* exstant documenta, et alibi non desunt; e. c. cum Persae Palaestinam occupassent, per Iudaeos multi christiani occisi, qui captiuos solebant a Persis emere, et trucidare; quidam XCM numerabant, vt Theophanes narrat.

Ceterum *monachis* in Gallia debetur forte *campanarum* seu tintinnabulorum maiorum artificium, cum sub oriente sole *lignis* pulsatis, σημαντρεσι, populum solerent conuocare. In vita *Lupi*, senon. ep. narratur de gratissimo sono campanae S. *Stephani*; eam igitur rex *Chlotarius* iussit Parisios asportari; sed, quia inuito *Lupo* fiebat, soni omnis gratia periit; cum vero redderetur campana, rediit etiam sonus, et ita quidem; vt, ob s. viri merita, septimo milliario audiretur.

CAP. V.

De statu eruditionis; et de scriptoribus huius seculi.

De *statu eruditionis*, per hoc seculum, visum fuit, quaedam sub huius capitis initium colligere; *scriptorum* enim indoles et argumentum fere simul illustratur, si eruditionis indolem accuratius nouimus. Hic primum omnium audemus sententiam ferre, monachorum incrementa morbum simul et pestem attulisse eruditioni, quae profecto a seculo sexto superiori minime omnis abfuit. Si *Cassiodorii* admonitiones atque exemplum sequebantur monachi, non poterant ab omni eruditione et animi cultu liberali adeo recedere; is enim vel in libro de *institutione diuinarum litterarum*, monachorum in vsum scripto, libe-

liberaliter admonet, de studiis secularium litterarum, e quibus non minimum ad SS. sensus noster instruitur, (c. 28); sacrorum librorum, seu scriptorum codicum, emendationem antiquariis, inter monachos, commendat, atque hanc curam praefert labori corporeo, c. 30; tardioribus autem, qui nec humanis nec diuinis litteris erudiri possent, laborem manuum imponit. Sed *Magnus* ille monachorum pater et fautor *Gregorius*, reprehendebat ipse sub initium seculi, *Desiderium*, episc. Viennensem, quod *grammaticam* episcopus alios doceret, atque eodem ex ore *Iupiter* celebraretur et laudes Iesu Christi; (epist. 48. lib. 9.) *Scholas* enim alicubi Episcopales non omnino iacuisse scimus; eas videtur plane obrutas voluisse, vt monachorum insanis ministeriis eo facilius locus esset. Atque ipse ille *Gregorius* graecas se litteras plane ignorare fatetur, in epistola ad *Eusebium*, Thessalon. (ep. lib. 9. ep. 69. Baron. ad a. 601. n. 19.) — — nos nec graecum nouimus, nec graecum opus aliquando scripsimus; queritur autem de monacho *Andrea*, graeco Romae, qui falsauerat epistolam *Eusebii*; idem *Gregorii* nomine *sermones* conscripserat. *Pallii* honorem, quem rogauerat *Desiderius*, ineptus papa ideo distulit in eum conferre, quia episcopum id facere non deceat. Faciunt, quod possunt, qui excusare aut laudare adeo *Gregorium* volunt, *indignum* esse Episcopo, (*Longueval* histoire de l'Eglise de France tom. 3. p. 599 et alii) Nempe in tanta eorum penuria, qui *grammaticam* callebant, indignum episcopo, alios instituere? Exemplum non parum nocuit; in regula *Isidori* similiter scribitur monachis: *libros gentilium* et haereticorum *legere nefas*. Ex actis SS. seu narrationibus monachorum saepius licet obseruare *scholas*; atque satis longum numerum inierunt auctores historiae litterariae Franciae, tomo 3. scholarum episcopalium et monasticarum; sed pauca memoratu digna narrari aut colligi possunt. In vita S. *Walarici*, ab. Leucon. narratur: eum adhuc puerum, cum ouiculas pasceret, audiuisse in locis vicinorum propinquis, qualiter *nobilium* paruulorum mos

est

est doctoribus, instruere *scholas*; inde et ipse desiderio tactus, fecit sibi tabellam, et a *praeceptore infantium* popposcit, vt sibi *alphabetum* scriberet &c. Nec negabimus, hic ibi aliquid vltra *alphabetum* et nomen scribendi, legendique consuetudinem, scholarum ministeria progressa fuisse; latina, si placent, carmina etiam non omnino desunt, vel in vitis sanctorum noui vetustique versus immisti. Sed rem iusto magis exornant, illi auctores benedictini, qui eo in corpore t. 3. p. 429, audent statuere: in monasterio logociacensi, (*Ligugé*) fuisse bibliothecam fere omnium patrum *graecorum* et latinorum; quoniam in libro *Defensoris*, quem *scintillas* nominauit, ex Clemente, Origene, Cypriano, Basilio, Eusebio, Iosippo, Gregorio &c. afferat multa testimonia. Nam etsi rem sic descripsit *Mabillonius*, tomo 2 annalium benedictinorum p. 92.) tamen in secul. 8 retulit scriptorem, non in nostrum; nec dixit, hominem e tam diuiti bibliotheca ipsum hausisse, qui e miseris latinis libellis, qui solebant vel graeca nomina crepare, ista corradere potuit. Similiter negligentissime *Columbano* tribuunt *graecae hebraicaeque* linguae peritiam. Sed non exscribemus istas satis rudes narrationes; quibus, si quis eruditionem in monasteriis latinis demonstrari putet, non inuidebimus. Ista vero perpetua fabularum theologicarum aut religiosarum consuetudo multo minus effecerit apud nos, vt statuamus, eruditionis haec esse monumenta, quam vt diligentiam atque industriam eorum perspiciamus, qui talibus adiumentis et regibus dominisque terrarum tum vtilia ministeria adhibuerunt, et sibi ipsi egregie prospexerunt. Prudentiam et πολιτικην illam facultatem facile fatebimur, licet praeferamus, ciuium ita informari animos, vt tali ministerio ad iusta et proba consilia promouenda opus non sit. Quis enim aequo animo patiatur, hominum ingenia et mentes continuis sacris mendaciis corrumpi et peruerti? Humanarum vero rerum modum plane tegi atque obscurari diuinarum rerum fictis miraculis? Quod si vero temporum sic tulit barbaries illa indoles, quam, quia feliciori fato vti-

mur,

mur, ne fingere quidem possumus: excusabimus quidem istam improbam sollertiam, vt maxime licet; minime vero eam laudare sustinemus. Atque non obscura sunt studia aliorum in alios, ob communia consilia, vt ecclesiasticam societatem iuribus et honoribus diuisam a societate ciuili cetera adiuuarent. Etiam Orientis forte quidam episcopi eam in rem aliquando consenserunt cum occidentalibus; licet plerique istum orientalem statum maluerint praeferre occidentali societati. *Anastasius* Antiochenus, pastoralem *Gregorii* M. regulam in graecam linguam transtulit, iubente imperatore *Mauritio*, qui hac ratione *Romanos* forte sibi magis obligare voluit.

Cetera eruditio, si a monachorum varia voluntate discedimus, vix mediocritatem apud Christianos tenuisse dicenda est; oppressa inuentustis de rebus theologicis, tam litibus et rixis pravis, quam quaestionibus molestis. Vix hic ibi *Boethii*, *Cassiodorii*, *Augustini*, nomen inter philosophica studia auditur; nec rebus vtilibus inseruire potuerat haec vel magna diligentia. Apud *Graecos*, inter monachos adeo, quaestionum multarum patronos, *Aristotelis* fere maior auctoritas, inde a *Ioh. Philopono*, qui contra *Proclum*, platon. scripserat, quam *Platonis*; *Aristotelis* dialectici libri etiam *syriace* translati, a *Iacobo*, Edessено, inter monophysitas, (*Assemani* biblioth. orient. tom. I. p. 498.) *Posteriorem* translationem N. T. syriacam post seculi huius initium scimus cum *alexandrinis* aliquot graecis codicibus collatam fuisse; haud dubie a Iacobita seu copto quodam monacho. (*Ridleyi* dissertatio, inter *Wetstenii* libellos criticos hic Halae recusa.) *Theologia* ex *Augustino*, atque inde ex *Gregorio* M. colligi coepit; apud *Graecos* similiter omnis Theologiae scientia e patribus graecis repeti solebat. *Romae* non pauci monachi graeci viuebant, quorum beneficio forte debentur codices *graecolatini;* cuiusmodi ille certe fuit, quem *Beda* in Anglia in *actus* apost. habuit, forte *Roma* per *Theodorum*, aep. cantuar. aut monachos allatus; cuius generis

alii

alii videntur inter *Gothos*, *Lombardos* et *Francos* exstitisse; e quibus ille *cantabrigiensis* supereſt, inter Hiſpanos aut in Italiae oris, *Sicilia*, olim arabicis quibusdam ſententiis inſignitus, e quibus *Wetſtenius* audebat ſtatuere, iſtum codicem *Alexandriae* hoc ſeculo vſurpatum fuiſſe. *Hiſtoriae* vero antiqua illa decora, et ingenua vis omnis ingeniorum malignitate tam apud Graecos quam Latinos oppreſſa fuit. Ad *Arabes* et *Saracenos* transire videri poſſunt hoc ſeculo bonae litterae, qui Graecis victis etiam graecos libros multos nacti ſunt, quorum arabicis translationibus populi ſtupor non parum emendatus fuit. Nec inter *Iudaeos* omnino deſunt quaedam ingenii monumenta. Eorum autem hominum, qui rebus politicis praerant, eximia mentis acies, iuſta prudentia, atque exercitata conſiliorum adiuuandorum conſuetudo, facile patet, licet *ignorantiae* inſcitiaeque hoc ſeculum ſoleat a plerisque dici. Res enim ingentes etiam hoc ſeculo geſtae ſatis oſtendunt politicorum miniſteriorum copioſum et magnum vſum.

I. Scriptores graeci.

Temporis ratio non parum obſcura eſt, atque difficile, accuratius definire, quo tempore hi iſti ſcriptores vixerint, itaque eruditorum hominum ſententiae non raro diviſae ſunt; e. c. *Caue Ioh. Malelam* in hoc ſeculum, alii in nonum, referunt &c. Huic igitur rei nos iam praecipuam operam dare non poſſumus, quia eſt multi otii atque praecipuae opportunitatis, ex variis et diuerſis ſententiis ita vnam praeferre, vt ex nouis rationibus, res omnino ſatis pateat. Nec ſolet plerumque magni momenti eſſe; ſiquidem rari ſunt ſcriptores magni nominis atque eximiae ad nos vtilitatis. Commemorabimus igitur tantum potiores ſcriptores; alios, qui ſunt minoris loci, aut omnino ſilentio praetereuntes, aut vix paucis verbis deſignaturi.

Leontius, byzantinus, ſcholaſticus, ſeu referendarius, initio ſeculi 7 adhuc floruit, vid. volum. I. p. 431.

ſcri-

scripsit πραξεις X de sectis; prodiit graece et latine cura Io. *Leunclavii*, cum similibus quibusdam scriptionibus, (*Leon.* magni. ep. graecolat. Ioh. Damasceni, contra Manichaeos; Const. *Harmenopuli*, de iisdem; confessiones fidei *Harmenopuli*, Augustini, Hilarii,) Basileae 1578. 8. Etiam in *auctario* bibliothecae patrum, paris. 1624. Iam, cum liber ad manum sit, excerpo ista. Dicitur: σχολια, ἀπο Φωνης Θεοδωρε, abbatis et philosophi. Actio 1. De quatuor vocabulis primum omnium, ὐσια, φυσις, ὑποστασις, προσωπον; post breuem repetitionem librorum Mosis, de 4 sectis sequitur; *Sabellianorum*, *Arianorum*; *Nestorius*, *Eutyches*. Actio 2. Omnes haereses numero 84, vt *Epiphanius*, numerat. *Catalogus* librorum sacrorum; historici libri V. T. 12 — paralipomena, Esdras. Prophetici, 5, 4 maiores prophetae et οἱ 12. libri *paraenetici* 4, Iob, Prouerbia, Eccles. Canticum, Psalterium. Noui T. libri 6, duo ex his continent 4 euangelia; primus Matth. et Marcum, alter Lucam et Iohannem. Tertius, *acta*; quartus, *catholicae* epp., quintus, *paulinae* 14; sextus, apocal. *Hebraeorum* secta; cum refutatione. *Samaritanorum* haeresis. *Esdras* dicitur libros combustos illos 22 ex memoria restituisse. Actio 3. Temporis diuisio; a Christo ad Constantinum, hinc ad nostram memoriam. Anni a natiuitate Christi ad Constantinum, triplices: 1) vsque ad adsumtionem; 2) ab adsumtione; 3) ab obitu Apostolorum. A Constantino vsque ad synodum *chalced.* atque inde ad nostram aetatem. Aliae sectae recipiunt doctores istos, vsque ad Constantinum; (*Ignat. Iren. Iustin. Clemens*, *Hippolytus*, episcopi romani; *Dionysius*, areop. *Methodius*, *Gregorius*, thaumat. *Petrus* alex.) Hos susceipiunt montanistae, Manich. Samosateni, Sabell. Altera patrum classis, a *Constantino* ad concil. chalced. Silvester, Alexander, alex. et constant. Eustathius, antioch. *Athanasius*, *Iulius*, *Hilarius*, pictauorum, *Ambrosius*, *Basilius*, *Gregorii* duo; *Amphilochius*, *Antiochus*, ptolemaid. *Gelasius*,

cae-

caeſar. palaeſtin. *Nectarius*, *Atticus*, Iohannes Chryſoſt. Proclus, Flavian. *Seuerianus*, gabal. Epiphan. Auguſtinus, Theophil. Cyrillus; hos omnes *ſectae ipſis poſteriores* recipiunt, at non itidem priores. Actio 4. Poſt *Arium*, Macedonius, *Apollinaris*, *Diodorus* tarſ. *Theodorus*, mopſueſt, viuis ipſis ideo nemo contradixit, quia contra maiores ſectas pugnandum fuit. *Neſtorius;* epiſtolae circumferuntur *Theodoreti* et *Neſtorii*, quibus ſe mutuo recipiunt, ſed fictae ſunt. Eutyches. Actio 5. Omnis plebs Aegypti cum Dioſcoro, contra *Proterium*, fecit; *Zenonis* henoticum; *Petrus*, Fullo. *Acephali*, qui ſeorſum, ſine capite, patriarcha, Petro, communicabant. *Anaſtaſius* imperator, fuit των διακρινομενων, *Gaiani* et Theodoſiani, alexandriae; *Agnoitae* ab his diuiſi; *Tritheitae.* Actio 6. Argumenta των διακρινομενων, contra ſynodum chalcedon. hiſtorica. Actio 7. Philoſophica. Actio 8, quae περι χρησεων ſanctorum patrum, ſynodo obiiciuntur. Actio 9. De phraſibus et vocibus Synodi; Actio 10. contra *Gaianitas*, ſeu aphthartodocetas; Chriſtum hi non naturali modo, vt nos, ediſſe &c. ſed ſponte, et quia ſic voluerit; &c. Ex his patebit, quam corrupta fuerit hominum etiam proborum theologiae conſuetudo; per. aliquot enim iam ſecula Chriſtiani inter ſe rixabantur, nec adhuc deſinebant rixari, de modo vnitarum 2 naturarum. Nempe boni atque ingenui Chriſtiani facile nec requirunt nec ſedulo amant, quod ſcire nemo umquam poteſt; cur iam alii alios ideo odio habent et vexant, quia de Chriſti naturarum ignota coniunctione alii aliter ſentiunt? At ſe omnes, qui Chriſti nomen reuerebantur, amare debebant, non ex Chriſto odiorum infernalium et continuarum rixarum argumentum facere.

Incertae ſunt eruditorum ſententiae de *Heſychio*, ſeu *Iſychio*, non ſolum, vtrum presbyterum, an vero epiſcopum Hieroſolymit. faciant, ſed etiam, vtrum huic ſeculo, an vero alii tempori tribuendus ſit. *Caue*, *du Pin*, aliique ſeptimo adſignant. Eſt autem celebre nomen; bene

multi

multi enim *Hesychii* nominantur; vid. *Fabricii* biblioth. graeca lib. 5. cap. 5. pag. 243. Hunc iam opus est huc referre, quia seculo 5. non adscripsimus, quod omnino fieri rectius nobis videtur. Eum autem eruditum et diligentem scriptorem fuisse satis constat; στιχηρον, seu κεφαλαια in 12 prophetas minores et *Iesaiam*, graece cum *Adriani* isagoge edidit Dav. *Hoeschelius*; exstant etiam in *criticis* sacris; Commentarium in *Psalmos* editurus erat *Anselmus Bandurius*, e codice *Veneto*, mutilo; sicut *Caue* notat tantum a Psalmo 77 ad 107 atque in Psalmum 118; alibi *Chrysostomi* nomen praefigitur; diuersum certe ab excuso Chrysostomi commentario esse notat *Caue*; in Catena *Corderii* in Psalmos saepius citatur *Hesychius*. *Explanationes* in *Leuiticum*, libri 7 ad diac. Eutychianum; latine aliquoties editi fuerunt; sed oportet iam vetustam etiam exstitisse translationem, quia *Amalarius*, lib. 14. cap. 36. *Rabanus*, aliique aeui inferioris eam allegant. *Hesychii* nomine etiam aliquot sermones graece habentur excusi; e quibus quidam falso olim *Nysseni* nomine vtebantur; et centuriae 2 ἀντιρρητικα και ἐυκτικα, ad Theodulum aliquem; sed pleraeque sententiae etiam inter *Marci* ascetica exstant. Periisse videntur commentarii in Habacuc et Ionam, e quibus fragmenta in Caraffae catena in cantica vtriusque testamenti, occurrunt; fragmentum e *consonantia* Euangeliorum edidit Combefisius, de *Hora* mortis Christi. Videntur omnino nomina diuersorum auctorum nobis adhuc imponere; effici certe nulla ratione potest, vel has omnes scriptiones (ex historia ecclesiastica, fragmentum de Theodoro mops.) vni atque eidem conuenire. Rich. *Simon* correxit errorem *Cauei*, de Salonitano Hesychio, qui postea latinam translationem in Leuiticum auxerit Hieronymianis emendationibus; in Msto illo regio *alia* manus scripsit *Saloni tani*, loco Hierosolym. Latine editus est ille commentarius basil. 1527. fol. et 1581 paris. 8. *Dorothei*, archimandritae, iunioris, διδασκαλιαι, seu doctrinae 24 de vita recte et pie instituenda, inter

orthodoxographa; ad nos hodie parui momenti ſunt; huic ſeculo, contra anonymi praefationem, vindicauit *Oudinus* tomo 1. commentar. de ſcriptor. eccleſ. *Euſebii*, theſſalonicenſis epiſcopi, ad quem *Gregorii* M. exſtat epiſtola, παραινεσιν aduerſus *Andream*, monachum incluſum, *Photius* commemorat cod. 162, eiusdemque λογες δεκα, cum ille *Andreas* oppoſuiſſet ἀποδειξιν. Nempe ille monachus, ſcripſerat παραναγνωσικον contra *Euſebium*, atque Romae falſauerat, vt *Gregorius* narrat, *Euſebii* epiſtolam; hunc itaque facile credimus ſe defendiſſe iſto primo libello, ne papae ſuſpicio illa inſideret, quam Andreas videbatur ſtudioſe promouere; hic reſpondit, contra *Euſebium*, itaque ille X λογες repoſuit. Dolendum eſt, *hiſtoriae* ceterae nobis nihil ſupereſſe; graecus igitur monachus ex aphthartodocetis *Romae* omni libertate vſus fuit. In hac ſcriptione occurrit, Adami corpus omnino fuiſſe θνητον και παθητον, φυσει, ſed dei gratia conſeruatum fuiſſe ἀπαθες, per peccatum vero hanc dei gratiam electam. *Andreas* mundum dixit ἀιδιον, ἀφθαρτον, και ἀγενητον, etiam χθν, e quo Adam factus, ἀφθαρτον — Multa diſputatio fuit de vſu nominis φθορα — Ex *Quadrato* teſtimonia hic allegata fuerunt — catholici poſt reſurrectionem demum Chriſti corpus ἀπαθες et ἀθανατον dixerunt factum — diſtinguenda φυσεως ἐργα a παθεσι. *Sergius*, patriarcha Conſtantinopolitan. edita illa ἐκθεσει celebris; eius ſuperſunt 3 epiſtolae, ad *Cyrum*, antea *Phaſidis*, altera ad eundem iam alex. epiſcopum; 3 ad *Honorium*. Habentur in conciliis; etiam eius *ſynodus* in *lateranenſi* act. 3. *Antiochus*, monachus S. Laurae, ſ. Sabae, auctor libri παινδεκτης diuinae ſcripturae, ſeu compendium religionis chriſtianae et SS. capitibus, ſ. Homiliis 130, praefatio eſt ad *Euſtathium*, abbatem monaſterii in Ancyra, adhaeret Exomologeſis ad deum, in qua meminit inuaſionis perſicae. Corpusculum conſtat ex moralibus ſententiis, etiam ex *Herma* et aliis collectum; graece poſt *Latinas* 2 editiones edidit *Fronto Ducaeus* in auctuario a. 1624; ſuperſunt

persunt quaedam aliae scriptiones huic pandectae praefixae, in biblioth. *Viennensi* ap. *Lambecium*, et in *Coislin.* Montfauconii; ad *varias lectiones* N. T. non raro facit. *Modesti*, Vicarii Hierosolym. post *Zachariam* a Persis abductum, *sermones* tres descripsit *Photius*, cod. 275, sed inepti argumenti et nullius momenti, vt ipse fatetur. Le *Quien*, qui *Damascenum* optime edidit, ex codice *Seguierian*o dixit se habere sermonem integrum, in dormitionem Mariae. *Cyrus* antea *Phasidis*, inter *Lazos*, inde Alexandr. episcopus per Heraclium factus; eius supereſt ἀπολογια, in Synodo alexandrina 633, Seuerianos his 9 capitulis cum sua ecclesia coniunxit; tres etiam ad *Sergium* epistolae, habentur in *conciliis*. Eius aduersarius *Sophronius* (acta SS. XI Martii.) e monacho postea ep. Hierosolym. supereſt *encyclica* ad *Sergium* et *Honorium*; *sermones* aliquot seu encomia sanctorum, vitam tamen S. *Mariae*, aegyptiacae, anonymo cuidam monacho vindicatum iuit *Papebrochius* April. d. 2. et *Possinus* in *Thesauro* ascetico, quibus accedere se dicit *Oudinus*, tomo 1. p. 1609. idem tamen p. 1613 negat hoc opus, Bollandistarum, in manibus sibi esse. *Sophronii* etiam partes quaedam fuisse videntur in *prato* Moschi; ex hypomnematibus de actibus et certaminibus apostolorum quaedam *fragmenta* supersunt, Christum baptizasse Petrum; hunc, Andream &c. *Georgium* aliquem alexandrinum, (et quidem, vt *Photius* c. 96 et manuscripta addunt, aepiscopum; quod tamen negat *Fabricius* biblioth. graeca lib. 5. cap. 15. pag. 556. tomo 7.) scripsisse vitam *Chrysostomi*, quam graece *Sauilius* edidit, satis constat; de fide historica variae fuerunt sententiae; recte autem *Lambecius* admonuit, παρισοφειν, quo verbo vsus est *Photius*, non significari *falsas* narrationes. *Oudinus* ad eumdem auctorem refert chronicon *alexandrinum*, seu paschale; pars forte operis ei tribui potest; sunt enim plures collectores. *Oudin.* tom. 1. Commentarii pag. 1599. seqq. Alii *historici* graeci huius sculi sunt, *Theophylactus*, qui et *Simocatta* dictus est,

ſcripſit *Mauritii* imperatoris res geſtas, libris 8, quorum Epitomen *Photius* dedit, cod. 65. Exſtant omnes adhuc; etiam *Epiſtolae* varii argumenti, morales, ruſticae, amatoriae; *Fabric.* bibl. graeca tomo 6. pag. 280 ſeq. *Iohannes*, antioch. monachus, ſcripſit χρονικην ἱστοριαν, diverſus a Ioh. *Malela*; eius in *Gallia* ſupereſſe creditur integra hiſtoria, e qua etiam quaedam habentur inter excerpta *Peireſciana*. *Iohannes*, Moſcus, ſeu ὁ τε Μοσχος, Ευκρατας, vnde *Euiratae* ineptum nomen latinis inferioribus venit; monachus in noua *Laura* S. Sabae, qui plurima monaſteria ipſe viſitauit, atque ex iis fabularum et naeniarum monachis dignarum plauſtra conuexit, ad *Sophronium*, (qui poſtea Hieroſolym. ep. factus eſt). Auctor libri, Λειμων, ſeu λειμωναριον, conſtat iam capitibus 219, *Photius* legit διηγηματα 304, alicubi aucta ad 342. Nempe monachi facile theſaurum auxerunt; graece et latine in auctario Fr. Ducaei, ſuppleuit graecas multas partes *Cotelerius* tomo 2 monum. eccleſ. graece. Corpuſculum otio et ſtudio noſtro indignum, e quo malignitatem iſtam monachalem, a religione ſana non minus quam ratione alienam, non ſine moerore et taedio perſpicimus. *Georgius*, a patria Piſides, magnae eccleſiae Conſtantinopolit. chartophylax; eius deſcriptionem de rebus *Heraclii*, libris 2, verſib. iambicis; et lib. 3. de bello in Perſas, *iambic.* Αβαρικα, ſeu carmen de bello *auarico* ad vrbis muros, per *Holſtenium* habuit *Claudius Maltrete*, (in praefat. ad *Procopium*;) alia *carmina*, in *Hexaemeron*; de vanitate vitae humanae; in templum Blachernarum, iam excuſa ſunt, ſed paruae vtilitatis. *Anaſtaſii*, monachi Sinaitae, narratio breuis de haereſibus et conciliis contra eas habitis, vsque ad oecumenicum 6, in biblioth. *vindobonenſi* exſtat; auctorem *Caue*, *Oudin*, in hoc ſeculum referunt. *Traiani*, patricii, ſub Rhinotmeto, *chronicon* πανυ θαυμασιων, excitat *Suidas*. *Anonymum* iſtum, cuius πολυβιβλον *Photius* excerpſit cod. 170, ſub finem huius ſeculi *Caue* retulit; hiſtoricotheologicum

cum opus. Auctorem post *Heraclium*, *Photius* narrat Constantinopoli vixisse, cum coniuge et liberis. Λογοι erant XV, τευχη V, in quibus testimonia non solum *Graecorum*, sed etiam Persicorum, Thracicorum, Aegyptiacorum, Babylon. Chaldaic. et Italicorum praestantium λογιων, quibus auctor eis cum christiana religione conuenire ostendit; trinitatem etiam inter gentes celebratam; de historia Christi, gratia Spiritus S. de reditu secundo Christi; de rerum omnium conditione, paradiso; de philosophiae exterorum cum christiana virtute conuenientia. E *Zosimo* etiam; de hebraicarum λεξεων significatione; vbi apostoli singuli praedicarint, et qua morte obierint. Auctor multa inepte torsit, vt conuenire res videantur; sequitur autem hoc consilium, vt efficiat, inter omnes gentes dogma christianum iam antea quasi praemonstratum fuisse, vt eo magis omni careant excusatione.

Theologici scriptores quidam supersunt, *Andreas*, monachus Hierosol. inde diaconus Constantinopolit. et aep. cretensis; eum certe *Synaxarium* Graecorum in tempus Synodi sextae refert; alii in seculum sextum, *Oudinus* in octauum. *Homiliae* 17 eius nomine feruntur, et canones quidam seu triodia; computus paschalis, a Petauio in doctrina temporum editus tomo 3. *Thalassius*, abbas, ad quem *Maximi* quaedam epistolae esse putatur, moralia quaedam opuscula composuit, centuriis 4. ad Paulum, presbyterum, de caritate, continentia, mentis regimine; graecolat. in auctario Ducaei. *Maximus*, e nobili genere Constantinopolit. in aula *Heraclii*; solitudinis amore, secessit; inde ob Persas in *Africam* et Italiam se contulit. Scripsit multa, quorum indicem e tribus tomis *Vaticanis* et *Photio* compositum, *Baronius* dedit ad annum 657 num. 31 seqq. multa edidit *Combefisius* Parisiis 1675. 2 fol. accuratius autem e bibliothecarum catalogis designauit *Oudinus*. *Fabricius* etiam recenset in bibliotheca graeca tomo 8. p. 730 ea, quae in hac editione *Combefisii* habentur, (in exposit. orat. dominicae, similiter vt *Gregorius*. Nyssenus, Luc.

XI, 2 legit, veniat tuus Spiritus sanctus et purificet nos; vt *Tertullianus*, cui dicam *pater?* a quo *Spiritum S.* postulem?) collegit etiam indicem scriptorum, a *Maximo* in istis libris allegatorum; porro designat, quae in *Combefisio* non, sed alibi exstant, cum indice auctorum in scholiis in *Dionysium* areop. citatorum, tandem deperdita vel inedita adhuc. De quibusdam libellis lis nondum est composita, cui tandem auctori tribuantur; e. g. *dialogi* de Trinitate, qui *Athanasio* et *Maximo* tribuuntur; *Garnerius* erudite negauit, et *Theodorito* adscripsit, licet contra codices; tractatum de 2 naturis Christi, in 10 capitibus, *Combefisius* Timotheo presbytero Constantinopolit. maluit tribuere. Celeberrimam disputationem cum *Pyrrho*, in Africa, iam *Baronius* edidit, in appendice tomi 8 annalium. In multis inepto modo allegorias sequitur. Graeci *sanctum* duplici officio honorant, quod cum vita et certamine Maximi, edidit in isto corpore *Combefisius*. *Photius* in bibliotheca cod. 192—195 quaedam recenset; monasticum ingenium atque sedulum exercitium facile se prodit his in multis scriptionibus, philosophica etiam quaedam disciplina, aduersus *Seuerianos* adaptata, de quaestionibus, quas christiana ingenua religio minus patitur, quem κενοδοξια. *Theodorus*, presbyter in monasterio *Rhithou*, in palaestina; ad quem *Maximus* (vid. *Baronium*) aliquam epistolam scripsit; auctor προπαρασκευης, de modo diuinae incarnationis; editiones indicat *Fabricius* tomo 9. pag. 233. *Iohannes*, Darae, in Syria, metropol. a Caueo videtur recte in hoc seculum poni; scripsit *syriace* commentarios in *Dionysium* de Hierarchia duplici; *Naironus* etiam in caput *Apocalypseos* 13 excitat; ergo hoc iam seculo a quibusdam *Syris* apocalypsis lecta fuit; nec est dubium, Hierarchiam caelestem non parum hunc librum confirmasse. *Iohannes*, aep. thessalonic. concilio 6 oecum. interfuit; oratio in mulieres vnguenta ferentes, a *Sauilio* inter Chrysostomiana edita; *Combefisius* auctori suo, (si nihil impedit, nam et alii in hoc argumen-

mentum scripserunt orationes) restituit, alia, in dormitionem Mariae; e *Dialogo* inter paganum et christianum fragmentum excitatur in concil. nicaeno 2. (affirmat, angelos et animas corpore subtili non carere).

Latini scriptores.

Ex illa hoc seculo scribentium multitudine vix operae pretium est, aliquos scriptores studiosius excutere. *Paterius*, Gregorii M. discipulus, et eccles. rom. *secundicerius*, post initium seculi floruit; is collegit librum *testimoniorum* SS. ex Gregorii M. expositionibus; operis *tres libros* solent citare; sed obseruauit *Oudinus*, tomo 1. commentar. de scriptor. eccles. tantum *Paterii* librum *primum* nobis superesse; secundum vero et tertium a *Brunone* quodam aliquot seculis post suppletum; idem recte reprehendit Benedictinos, qui in noua Gregorii editione *Brunonis* epistolam praemiserunt primo libro, cum inter primum et *secundum* in codice Msto habeatur; dissertatio etiam illa *Oudini* de Gregorii M. scriptis, multa habet lectu digna, contra nouam editionem. *Bulgarani*, (e gothica stirpe natus, sub Gundemaro Galliae *narbon.* praefectus,) habentur inditae sex *epistolae*, quas Card. d'*Aguirre* in lucem protracturus erat; dicuntur non parum historiae illustrare. *Iohannis*, ex monacho ep. caesaraugust. libellum, de inuestigandis *Paschae* calculis nominauit *Ildefonsus*, de scriptor. eccles. Eius frater *Braulio*, qui ista in sede ei successit; auctor vitae S. *Aemiliani*; 2 epistolarum, ad *Isidorum* hispal. huiusque *elogium*; quae postrema solent inter opera Isidori exstare; *elogium* etiam *Oudinus* descripsit integrum, in *dissertatione* de Isidori scriptis, (vid. Volum. 1. pag. 462) haec eadem dissertatio de quibusdam Isidori scriptionibus tractat accuratius, quam ipse *Caue*; atque de falsis et suppositis aliquot recte admonet. Sperabamus nouam editionem operum; nam aliquot annis iam moliebatur *Zacharias*, eruditus Iesuita. Liceat hic ex Isidori libro ad Braulionem, de ordine creaturarum, aliquid

quid addere. Cap. 14. De *purgatorio* igne. (hoc addendum capiti 5 diſſertationis *Oudini* de purgatorio a *Gregorio* M. inuento; tomo 1. p. 1513.) hic ſcribit, eſſe quaedam peccata, quae etſi in hoc ſeculo non remittantur, in futuro tamen *per ignem* deleri poſſunt. Miſere torſit aliquot N. T. loca, etiam id: baptizabit Spiritu S. *et igne*; i. e. quaedam per baptismum ſoluet; quaedam, quae poſt (baptismum) ſequentur, crimina, per ignem purgatorium, remittet — Is ignis *et longior et acrior eſt* omni, quem excogitare in praeſenti homo poteſt, tormentorum modo. De *indulgentiarum* in illum ignem poteſtate, nihil adhuc. Sed videmus iam *publicam doctrinam* aperte corruptam eſſe. Alius ep. Caeſarauguſt. *Taio*, vel Taius, cognomento *Samuhel*, collegit libros quinque *ſententiarum* ex *Gregorio* M. (et alicubi Auguſtino,) cum praefatione ad *Quiricum*, barcinon. latet adhuc in bibliothecis, nec videtur noſtra intereſſe, vt edatur. *Fructuoſus*, qui plura monaſteria, etiam *complutenſe* conſtruxit, ex abbate ep. *dumienſis*, atque inde aep. *bracar.* eius ſuperſunt 2 *regulae* monachorum, quas *Holſtenius* cum aliis edidit in *codice regularum*. *Ildefonſus*, ex monacho agal. aep. toletanus, non pauca ſcripſit, quae recenſet *Iulianus*, tolet. in appendice, ad (Ildefonſi) libellum de ſcriptoribus eccleſiaſticis 14, (quaſi appendix eſt Iſidori, Gennadii, Hieronymi de ſimili argumento;) ſed non videntur omnia ſupereſſe, aut genuina eſſe. *Homilias* certe plures in laudem Mariae, vel eruditiores romani reiiciunt; in eis enim e Bernhardo, *Anſelmo* luc. *Ratramno*, aliisque ſerioribus ſcriptoribus, particulae inueniuntur. Liber de *illibata virginitate* bened. Mariae, contra infideles (Iudaeos) ſimiliter vix dubio caret, etſi eius argumenti librum nominat *Iulianus*. Epiſtolas 2 ad Quiricium, et huius reſponſionem, edidit *Dacheri* in ſpicilegio; liber de *cognitione baptismi*, et de itinere deſerti, quo pergitur poſt baptismum, edidit *Baluzius* tomo 6 miſcellan. Ex hiſtoria *de origine Gothorum*, (appendix ad Iſidori hiſto-

historiam) forte *Lucas Tudensis* quaedam excerpsit; alia perierunt, haud dubie nullo nostro damno. Pro opere de virginitate Mariae *Quiricus* gratias agit, (tomo 3. Dacherii pag. 314 fol.) quod ipse, qui miserat Gabrielem, oris vestri introitum tangens tam lucide vniuersa de tanto mysterio vos dicere fecit. — incolumen *dominum nostrum*, (ita appellat Ildefonsum,) diuina gratia conseruet. Ex epistolis nihil, nisi parum laeta pietas elucet. *Syricium* scribit *Caue*. *Iulianus*, *Pomerius*, post Quiricum episcopus toletanus, rogatu *Ervigii* regis, scripsit, de *aduentu Christi* aduersus Iudaeos, lib. 3; excusi in orthodoxogr. et bibliotheca patrum; *sex aetates* mundi diuisit; (ideo vel *Vossio* placuit, de septuaginta interpretibus, eius computus; contra hebraicum;) tractatus *prognosticorum* ad Idalium (alii Idatium;) eius epistola, qua gratias agit, pro dono, per Iudaeum, *Restitutum*, misso, exstat in *Dacheri* spicilegio tomo 3. p. 316. edit. nouae. *Mors*, vt hic quidem putat, a *morsu* vetiti fructus; vtitur *Augustini* locis illis, de sacrificiis pro mortuis; lib. 2. etiam de *purgatorio igne*, quo peccata expiantur; animas se inuicem nosse, etiam scire ea, quae misericordiae caussa a viuis ipsarum bono aguntur; liber tertius, de iudicio et resurrectione, colligit, vt solet, ex aliis latinis, sententias, quibus iam fides atque auctoritas cum tempore accessit. Libri 2 Αντιχειμενων ex V. et N. T. nisi sunt *Richardi*, cluniac. aut *Bertharii*, abb. cassinensis, tamen *Iuliani* non sunt; nec commentar. in *Nahum*, exstat in *Felicis*, qui ei successit, catalogo; in eo multae aliae scriptiones enumerantur; pleraeque, vt videtur, paruae molis. In *du Chesne* scriptoribus rerum francicar. tomo 1. exstat *Historia de Wambae*, regis goth. expeditione, qua *Paulum* ducem narbonensem, rebellem, debellauit. *Valerius*, abbas S. Petri de montibus, in Gallaecia; a *Mabillonio* in actis SS. tom. 2. an. 695 mortuus dicitur; ei tribuunt vitam S. *Fructuosi*, ep. bracar. De *vana seculi sapientia;* de *institutione nouae vitae;* de vita S. Eucheriae; historia

breuis abbatis *Dona dei;* de miraculis et reuelationibus *Maximi* et *Bonelli;* etiam quaedam poetica; (*Antonii* biblioth. hispan. vetus.) *Felix* ex episc. hispal. post deiectum *Cisbertum*, ob perfidiam, aep. toletanus, auctor vitae s. elogii *Iuliani*, tolet. Isti igitur scriptores *Hispani*, de quorum ingenio non opus est plura dicere.

Gallia seu Francia, vt isto tempore late patuit, magno numero scriptores offert, sed plerosque satis humiles atque nostra cognitione vix paucos non indignos. *Benedictini* monachi, qui Franciae *litterariam historiam* in satis grandi corpore collegerunt, seculi huius rudem atque inuenustam indolem ipsi describunt; solent tamen et istos scriptores iusto minus contemnere; ne virgines quidem a celebrandis sanctis calamum abstinuerunt, e. g. S. *Baldoniuia*, scripsit vitam S. *Radegundae;* *anonymorum* autem, qui vitas sanctorum partim scripserunt, partim finxerunt, (fatentur ista mendacia etiam illi Benedictini, etiam *Bollandistae* alicubi, e. c. d. 1 Martii, de impostura alicuius *Marcellini*, qui S. *Suidberti* vitam suppossuit, cuius mendacia *Baronius* aliique non obseruarunt;) multae fraudes adhuc retegi possent, si quis tempus et otium istis quisquiliis impendere velit. Nos, vt solemus, paucorum tantum mentionem faciemus, quos plane negligere non licet. *Marculfus*, monachus, in dioecesi Parisina, licet *Labbeus* eum putet istum esse, qui in vita S. *Austregisili* dicitur lector. auctor collectionis *formularum*; liber 1, praeceptiones seu chartae regiae; lib. 2, *chartae pagenses* seu quae hominum vitam priuatam attingunt; *vt, cui libuerit, is exinde alia exemplando faciat*; itaque et ex sensu proprio formulas ipse conscripsit, quarum nulla ante ipsum exempla fuerant; lingua latino-barbara. Liber non parvae vtilitatis, ad leges istas Salicas, Ripuar. Alemannicas, Saxon. Baioariae, et capitularia regum Francorum. *Bignon*, qui primus parisiis edidit 1613. 8. addidit etiam ignoti alius auctoris formulas; exstant etiam in *Lindenbrogii* codice legum, auctius; in bibliothecis patrum quibusdam, parum fide-

fideliter; optime in *Baluzii* Capitularibus, tomo 2. Operae pretium est, quaedam ex istis formulis hic repetere, quae a paucis solent legi. Lib. 1, 5 praeceptum de episcopatu; rex cum pontificibus vel proceribus decreuit —— pontificalem N. committere dignitatem (sic et semper narrat *Gregorius* turon. aliique; postea tamen quasi ex *pacto* cum papa, id porro obtinuit;). 6. Rex mandat episcopo, vt nouum consecret. 11. Tractoria legatorum; apostolicum nec non illustrem virum legationis caussa direximus, ideo *veredos*, panis modios, vini, cereuisiae, lardi libras, porcos &c. ona, oleum, mel, acetum, piper, caryophylli, spici, cinamomi, dactylos, pistacios, salis, olerum &c. eis ministrate. (fere semper *apostolicus*, i. episcopus, inter legatos.) 19. Praeceptum de clericatu; non sine licentia regis comam capitis deponere debet, et ad basilicam aut monasterium illud deseruire; 22. Nec episcopus seruum suum sine regia auctoritate ingenuum dimittere poterat. 26. Indiculus commonitorius ad Episcopum, qui indebite aliquid retinet. 39. Pro natiuitate filii regii tres serui ex vtroque sexu per omnes villas, ingenui relaxantur. Lib. 2. 1. variae sententiae, quibus donatio pro remissione peccatorum, aut coelo occupando, informatur; aliae formulae, seu *prologi* talis donationis. 18. Epistolae securitatis, pro caede facta. 30. *Libellus repudii:* dum inter illos non caritas, sed discordia regnat, et *ab hoc conuersare minime* possunt, *placuit vtriusque voluntate*, vt se a consortio separare deberent &c. 34. Ingenuitas concessa —— *oblata* tamen mea, vbi meum requiescat corpusculum, vel *luminaria*, annis singulis debeas procurare. 36. Si quis seruo, seu *Gasindo* suo aliquid concedere voluerit. 44. Quomodo *iu natiuitate* domini, ad regem, reginam, vel episcopum, visitationis dirigit scriptum. 49 — praesens portitor, non *vt plerisque* mos est, vagandi caussa, sed propter nomen dei, ad limina SS. apostolorum *domini* Petri et Pauli adire cupiens — sequuntur p. 296 in prima editione, *formulae* veteres *secundum* legem

legem *Romanorum* (christianorum *latinorum*, sub imperio Francico, an Theodosiani codicis?) 1. mundi terminum appropinquantem — iccirco considerans gravitudinem peccatorum meorum, et memor eius, date eleemosynam &c. — XI. epistola collectionis — nos *matriculārii* sancti illius, dum matutinis horis ad *ostia* ecclesiae observanda conuenissemus, infantulum pannis inuolutum invenimus — sec. sententiam, ex codice *Theodosiano* libri 5. — de *herbis maleficis* p. 250.

Fredegarius, scholasticus, licet rarius eius nomen occurrat, historicus pro temporis ratione, diligens, operis chronologici auctor, quod libris quinque constat, e quo lib. vltimus continuat narrationem post *Gregorium*, turonensem vsque ad an. 641. Prodiit primo per *Canisium*, nomine collectio historica, chronographica, tempore Caroli M.; vnde *Caue* et *Oudinus* falso in sec. 8. reiecerunt; *Freherus* primus nomen *Fredegarii* addidit. Non defuerunt operis varii continuatores. Omittimus magno numero monachos, qui vitas sanctorum confinxerunt, vt lubuit. *Arculfus*, episcop. aut presbyter in gallia, in palaestinam profectus est cum Eremita quodam, Petro; ex itinere reducem ventus ad Hiberniae oram iecit; ibi ab *Adamnano*, abbate receptus est. Huic narrauit ea, quae vidit; atque hic scripsit eam de locis sanctis narrationem, quam Iac. *Gretser* et post eum *Mabillonius* edidit seculo 3. Actorum Benedict. parte 2. pag. 503 seqq. Ista sunt libri 1. capitula. 1. De situ Hierusalem. 2. De ecclesia rotunda sepulcri. 4. De lapide, qui ad ostium monumenti aduolutus est. 5. Ecclesiae Mariae. 6. Caluariae. 7. Basilica *Constantini*. 8. Alia *exedra* intra ecclesiam Caluariae. 9. De lancea militis. 10. De sudario domini. 11. De linteo, quod contexuit Maria. 12. De alia columna, vbi cruce domini suppositio reuixit iuuenis. 13. Eccles. Mariae in valle Iosaphat. 14. De turre Iosaphat, in eadem valle. 15. De monumentis Simeon et Ioseph. 16. De spelunca in rupe Oliueti. 17. De porta Dauid. 18. De loco, in quo

Iudas

Iudas Scariothes se suspendit. 19. De forma grandis basilicae in monte Sion. 20. De agello, Acheldamach. 21. De asperis locis vsque ad ciuitatem Samuhelis et ad Caesaream Palaest. occasum versus. 22. De monte Oliuarum 23. De loco domin. adscensionis et ecclesia ibi. 24. De sepulcro Lazari, et ecclesia super illud constructa. 25. De ecclesia ad dexteram Bethaniae. — d. 15 Septembris per annum conuenit diuersarum gentium multitudo, ad commercia mutuis venditionibus et emtionibus. — in sepulcro 12 lampades ad numerum Apostolorum. — in illa *exedra* est *calix* argentes, domini, quem propria manu in conuiuio tradidit Apostolis. Cap. 10 narrat de illo *felici et fideli* fure, qui sudarium Christi furatus est. *Ficus*, de cuius vertice Iudas pependit. — locus, vbi spiritus S. super apostolos descendit. — fenestrae valuas habentes *vitreas*, quibus lampades adhaerent; coruscatio lucernarum maiorem diuini amoris alacritatem credulorum respicientium cordibus infundit. — In anniuersario dom. *Adscensionis* validissimi flaminis procella meridianis horis, post missas peractas, tam forti impetu irruit, vt nemo sedere aut stare in illa ecclesia et locis vicinis possit, sed omnes tamdiu in terra prostrati sunt, donec transeat. Lib. 2. De Bethlehem; de loco natiuitatis; de illa petra, supra quam aqua *primae lauationis* eius post natiuitatem effusa est; ex hac aqua, *quae perdurat*, faciem lauit Arculphus. — de monumentis *trium* pastorum, quos nascente domino caelestis circumfulsit claritas; de sepulcro Rachel; de Chebron; de valle Mambre; de sepulcris 4 patriarcharum, *Adam, Abraham, Isaac, Iacob;* de quercu Mambre; de illo pineto, e quo ligna in camelis ad ignem in Hierosolymis vehuntur — de 12 lapidibus, quos filii Israel e Iordan transuadato tulerunt; de loco, vbi dominus a Iohanne baptizatus. — — de locustis et melle siluestri; de loco, vbi 5 panes et 2 pisces benedixit dominus. — de Alexandria et Nilo, crocodilis eius. Lib. 3. de constantinopolit. ciuitate; quae est *romani* (i. graeci) metropolis imperii;

de

de eccleſia, in qua crux domini. E lignorum nodis liquor quidam odorifer, in ſimilitudinem olei expreſſus, facit miram fragrantiam, et ſtillula eius parvula ſuper aegrotantes impoſita, facit, vt recuperent ſanitatem, quocunque morbo moleſtati ſint. — In *dioſpoli* ciuitate S. confeſſoris *Georgii* ſtatua, quam aliquis quaſi niuem haſta transfixit, atque ex equo, qui ſtatim moriebatur, lapſus, manu prehendit eam ſic, vt 2 digitos retrahere, quaſi e luto, non potuerit. Sanguis equi non potuit ablui. Alia narratio, quam Conſtantinopoli audiuit ab idoneis viris. In bellum diſceſſurus aliquis, ſe et equum ſuum tradidit S. Georgio, quaſi eum praeſentem, in ſtatua eius, allocutus, — meum, quem valde amo, equum tibi donabo, ſi feliciter redeo. Rediit, et equum 20 ſolidis redimere voluit; ſed equus ſtabat immobilis; ter auxit pretium, et 60 ſolidos, dixitque: vt video, durus et auarus es in commercio equi; tandem et aurum et equum ei donauit. (Hic ſorte antiquiſſima mentio, de S. *Georgio* militantium defenſore.) Sed ſufficit, iſta deſcripſiſſe, vt de ingenio et iudicio horum temporum accuratius ſententiam ferre poſſimus; ille adeo *Beda*, ex iſtis ineptis narrationibus multa ſuo tempore excerpſit, quaſi operae pretium praecipuum facturus. Idem *Arculfus* narrauit de imagine Mariae, quam aliquis Iudaeus Conſtantinopoli in cloacam demiſit, et ventrem ſuper eam egeſſit; ſed requiſiuit alius, Chriſtianus, eam imaginem et diligenter abſterſit; mirum dictu, ex illa tabula picta verum ſemper ebullit oleum, quod honorem proteſtatur Mariae; de quo pater ait Pſ. 88 et 44, in *oleo* ſancto meo liniui eum; et, vnxit de deus, *olco* laetitiae &c. Orat autem miſellus peccator, horum libellorum *craxator*, vt lector Chriſtum pro ipſo exorare non negligat. Fieri ne potuit, vt tales nugas, tam foedas, tam ſpurcas, *Mabillon.* in noſtram lucem rurſus prodere auſus fuerit! Sed pergimus in *Gallis* ſcriptoribus. *Euantii*, abbatis *troclarienſis*, vt Mabillonius rectius obſeruauit, epiſtola, de licito vſu et eſu ſanguinis animalium, poſt *Caniſium*, in biblio-

bibliotheca patrum, et d'*Aguirii* conciliis Hispaniae, edita est. *Defensoris*, monachi cuiusdam, librum *scintillarum*, seu sententiarum catholicorum patrum, in hoc seculum ex octauo retrahunt *benedictini* auctores litterariae historiae Francicae; editus est 1550 Antwerpiae, 1552 Venetiis, Coloniae 1574. *Sulpitii*, abbatis, et postea bituricens. episc. *tres* epistolas edidit *Canisius*; *Veri*, episc. in Gallia epistolas 2, idem edidit; etiam *Desiderii*, episc. cadurc. librum epistolarum. *Eligio*, episc. nouiomensi tribuitur tractatus, de *rectitudine* catholicae conuersationis, Augustini nomine olim insignitus; vid. le *Cointe* ad a. 659. Epistola ad *Desiderium*, cadurc. ep. sed Homiliae 16, eius esse non possunt, quia consarcinatae sunt, vel ex scriptoribus seculi 9. 10. *Audoenus* s. *Dodo*, tandem rotomag. aep. scripsit vitam S. *Eligii*; epistolam ad *Desiderium*, cadurc. Sed desinimus talia tantum non futilia describere; adeant, qui plura velint, istud litterarium corpus Benedictinorum gallicum.

Inter *Anglos* et *Scotos*, Hibernos, non defuerunt similis ordinis scriptores; *Nennius* aliquis, inter monachos Bannochor. atque tandem abbas, quem quidam Abbatem *Dinoth* etiam esse putant, qui cum *Augustino* disputauit, a. 613. Liber de *gestis Britannorum*, seu historia eorum, in aliis codicibus *Gildae* tribuitur; videtur a *Nennio* compositus, sed ab aliis postea non parum immutatus fuisse. Nisi *Nennius* et *Gildas* vnius hominis nomen sit. *Eulogium* Britanniae, cui solet de *mirabilibus Britanniae* adiici, videtur ab alio continuatum esse. Edidit *Gale* inter scriptores rerum anglic. *Gallus*, gente Hibernus, fundator celeberrimi inter Heluetios monasterii; supereft eius *sermo*, Constantiae in consecratione episcopi; epistola, ad *Desiderium*, cadurc. episc. dicitur et *ecclesiae gubernandae* formam, ad Iohannem, Constant. ep. et *monita* ad Walmarum, presbyt. scripsisse. *Cummianus*, *Comeanus*, cognomine *Fada*, dicitur ex regis occident. Momoniae filio, abbas aut episcopus factus esse; eius fertur *epi-*

stola

ſtola paſchalis (in *Vſſerii* ſylloge epiſtolar. Hiberniçar.) et liber de *poenitentiarum menſura*, in biblioth. patrum. Alius *Cummeneus*, abbas Hyenſis, auctor vitae S. *Columbae*, primi abbatis Hyenſis. *Theodorus*, tarſenſis, qui Romae aliquamdiu vixit, a Vitaliano ad ſedem cantuar. euectus; graece latineque non imperitus; ſub quo tandem romanus paſchatis mos receptus, in ſynodo 673 Hereſordiae; collegit *poenitentiale*, quod Iac. *Petit* cum ſimilibus edidit 1677. 2 vol. 4. pariſiis, ex apographo e collegio benedict. cantabr. capitula 120 etiam *Dacheri* habet; *Petitus* aduerſus Ioh. *Morinum* multa diſputauit tomo 2, et aduerſus alios, aduerſus nouitatis ſuſpicionem, quae iſtis canonibus in diſciplinam eccleſ. inferri videbatur. *Romanam* certe diſciplinam non praecipue ſequitur. *Adamanni* vel *Adamnani* abb. Hyenſis, tres libros de locis terrae ſ. iam exſcripſimus, cum de *Arculpho*, qui auctor eſt, etſi non ſcriptor, ageremus. *Ceolfridus*, abbas Weremuthenſis poſt Biſcopum, praeceptor *Bedae*, mortuus 717, cum in itinere *romano* verſaretur; epiſtola, (de paſchatis ratione, et de romana clericorum tonſura eum rogauerat rex Pictonum,) anno demum 709, aut circa id tempus, ſcripta eſt; (*Noriſius* de cyclo paſchali Rauennate annorum 95.) ſolent et aliae ſcriptiones nominari, ſed ſaltim non ſuperſunt. *Aldhelmus*, nepos regis Weſtſaxonum, qui Galliam et Italiam peragrauit, tandem Schirburnenſis epiſcop. Hunc *Cambdenus* dicit primum ex Anglis *latine* ſcripſiſſe; periit, quod de *paſchate*, iuſſu ſynodi aduerſus britannos quartadecimanos, ſcripſerat; ſupereſt *de laude virginitatis*, verſibus et proſa ſimul; liber de *octo vitiis;* aenigmatum verſus mille.

In *Italia*, praeter *Paterium* et Gregorium, papa *Bonifacius* 4, e gente Marſorum, medici cuiusdam filius, Epiſtolam ad *Ethelbertum*, regem Anglorum, ſcripſit, et decretum per *Mellitum* miſit, quod monachis etiam liceat ſacerdotale miniſterium obire. *Bonifac.* 5, epiſtolam ad *Mellitum*, ex roſſenſi cantuarienſem ep. de *vſu pallii;* (pallium

(pallium per latorem praesentium fraternitati tuae, benignitatis studiis inuitati, direximus; quod videlicet tantum in SS mysteriis celebrandis licentiam vtendi impertivimus, concedentes etiam tibi *ordinationes* episcoporum, exigente opportunitate, celebrare — studeat ergo tua fraternitas, hoc, quod sedis apost. humanitate percepit, intemerata mentis sinceritate seruare, intendens, cuius rei similitudine iam praecipuum indumentum humeris tuis baiulandum susceperis, talemque te exhibendum studе, vt indulti muneris praemia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal iudicis venturi repraesentes.) Formula illa pallii postea mutauit, vt videbimus; rom. episcopus nouo quasi aucupio aliorum episcoporum studia sibi ita attraxit, vt vel in dominos terrae sanctam, si placet, frontem tollere ausi sint, freti isto nouae dignitatis prae aliis episcopis documento. Caerimoniarum sacrarum, siue ad ludum et iocum, siue ad grauem pompam, satis iam videri poterat; sed papae semper aliquid noui sacri adinuenerunt, quia vetustiora sensim vilescebant. *Epistolam idem* scripsit ad regem *Edwinum*, et Edilburgam, vxorem. *Honorii*, (natione *campani*, consularis viri filius) supersunt 8 epistolae; quas inter illa celeberrima ad *Sergium* Constantinopolit. cuius fata in concilio *sexto* habentur. Epistola ad Episcopos per *Venetiam* et Istriam, agit de *Fortunato*, patriarcha gradensi, haeretico; — expetimus, vt loco *Iudae* alius promoueatur; nam quod ille in capite, (Christo) hoc iste videtur in *corpore* exercuisse — ad longobard. regem direximus, vt eumdem Fortunatum, vti *relicta ab eo republica*, (non *Veneta*, vt Baronius errabat; sed describitur imperium romanum,) ad gentesque prolapsum, et abnegata concordiae vnitate deo rebellem et perfidum, — expetat; substituit *Primigenium*, subdiac. et regionarium rom. cum pallii benedictione &c. Abstulerat ille *Fortunatus* secum sacra vasa aurea &c. *Iohannis*, 4, Dalmatae, supereſt epistola ad Scotos. de paschate; et de haeresi pelagiana vitanda; *apo-*

logia pro Honorio, ad imperatorem. *Constantinum*; ap. *Harduinum* tom. 3. pag. 610. epistola ad *Isaacum*, Syracusanum ep. *Theodorus* papa; natione Graecus, filius episcopi; eius habetur *synodica* contra ecthesin; *Martini*, qui Tuscus patria fuit, epistolae 17 habentur, eas inter XI graece et latine exstant. *Maurus*, raven. ep. eius epistola ad *Martinum*, contra Monotheletas, in concilio lateranensi approbata, graece et latine exstat. *Anastasii*, presbyteri rom. qui cum *Maximo*, praeceptore, relegatus fuit, habetur epistola ad *Theodosium*, gangrensem presbyterum, in qua et de fatis istis narrat, et de 2 operationibus docet, etiam ex *Hippolyti* operibus quaedam allegans, edidit *Sirmondus* inter collectanea *Anastasii*, 1620 paris. atque inter collecta opera exstat, edit. *Venetae* tom. pag. *Vitaliani*, qui patria Campanus fuit, papae ab a. 657, habemus epistolas 6. Ad regem anglum *Oswi* habet *Beda* epistolam; qua post consarcinatas ex *Iesaia* sententias, hortatur, vt Pascha celebret, sicut romani; nam Petrus et Paulus sicut 2 luminaria caeli illuminant mundum, ita &c. reginae mittit crucem clauem auream habentem de sacratissimis vinculis Petri et Pauli, et alias reliquias. In alia reprehendit *Paulum*, aep. Cretae, qui episcopum ad Romanum pontificem profecturum et questurum, vi detinuit. Nec paruit *Maurus*, Ravennas ep. qui adeo anathema retorsit. *Adeodati*, ex romano monacho papae, exstat epistola *ad Galliae episcopos*, qua priuilegium monasterio S. Martini concessit; ap. *Harduin.* tom. 3. p. 1007. Memoria dignum est, quod papa hic fatetur: ambigimus, quia mos et traditio nostrae ecclesiae plus non suppetat, *a regimine episcopalis prouidentiae* religiosa loca secernere; verum, cum antistitum *consensum praebentium* subscriptiones inspeximus &c. — episcopo manet tantum licentia *ordinationis* sacerdotum, et chrismatis conficiendi; non vero ei licet, monachorum conuersationem exquirere — *Agatho*, Siculus, papa ab. a. 679; Epistolae eius 3 habentur; ad *Constantinum*, imperat. satis longa, in concil. 6. alia

suo

suo et synodi romanae nomine, ad imperat. et ad concil. Constantinopolit. de legatis ad concilium missis: tertia, ad *Ethelredum*, merciorum regem, de collata in abbatem *medamstedensem* potestate vicaria. vid. tamen *Pagi* ad a. 679. n. 7. *Mansuetus*, aep. mediolan. *synodica* eius (a *Damiano* presbytero, scripta,) epistola ad imperatorem habetur in Actis concilii 6. *Leonis* 2, epistolae 5 supersunt, licet de iis dubitare malint quidam, qui papae aliis plus student; *sermo* in die ordinationis eius, a *Papebrochio* editus minus certum est, vtrum eius sit an *Benedicti*, qui successit. *Benedicti* autem huius 2, epistolae verae nullae supersunt.

Sunt adhuc quidam alii scriptores; *Cresconius*, africanus episcopus, qui *breuiarium canonum*, quasi indicem 300 capitum, confecit; et *concordiam* seu *librum canonum*, quo non tantum capita aut titulos, sed ipsos canones descripsit; vid. *Iustelli* et *Voellii* bibliotheca iuris canon. Incerti temporis, licet a *Beda* citatus, est *Aponius*, auctor commentar. in cantica canticorum ad presbyterum Armenium, libris 6, qui aliquoties excusus est. Nec certae aetatis est *Iohannes*, *Carpathiorum* episcopus, rogatus a monachis *Indiae* scripsit λογες παρακλητικες ἑκατον, e quibus 82 capita edita in bibliotheca patrum graecolatina paris. 1644. tomo 15. Alias similes scriptiones ascéticas, seu capitula γνωστικα, alia de *oratione*, recenset e Mstis codicibus biblioth. vindobonens. Lambecius. *Photius* illud primum opusculum cod. 20. breuissime tamen, recenset, de aliis tacet. Sed profecto parum abest, quin poeniteat, tantum temporis ita nos collocasse.

De *Iudaeorum* celebrioribus nominibus, (familia seu classis *Geonim* huius est aetatis;) atque scriptoribus quibusdam, malumus ad *Wolfii* bibliothecam hebraicam ablegare, quam hoc corpusculum iis rebus augere, quae ad christianorum historiam ecclesiasticam minus pertinent.

Tabula Seculi septimi.

A. Christi

601. *Laurent.* et *Petrus* Roma in Angliam redeunt. *Probus* abbas legat pecuniam ad *Xenodochium* Hierosolymis construendum, cum *Gregorii* approbatione. *Mabill.* annales. *Gregorii* M. concil. *rom.* quartum, in quo *Constitutum* pro monachis editum. Moritur *Amos* ep. Hierosol. succeſſit *Isicius*. *Reccaredo* in Hisp. succ. *Liuba* filius. *Ariulfus*, dux Spoleti, adhuc gentilis, ope S. *Sabini* vincit Romanos.

602. Imper. *Mauricius* a Phoca occisus; sub Phoca nullum historiae et philosophiae locum in aula fuisse dicit *Theophylactus*, Simocatta. Longobardi cum Auaribus et Slauis ex Illyrico, *Istriam* invadunt. *Cantuarienſis* aedes sacra, cuius monachi fere ad Henric. regem 8 durarunt. *Mabill.*

603. Initium belli *Persici* contra Romanos. Saeuit Phocas in Mauritii familiam. *Wittericus* occidit Liubam; Controuersia de Paschate apud Hibernos, per Columbanum agitata. Agilulfus *Cacani* auxiliis *Cremonam* expugnat. Imagines *Phocae* et Leontiae a Romanis susceptae. *Leander* hispal. ep. moritur.

604. Moritur *Gregorius* M. d. 12 Martii, ex cuius epistolis multum nouae lucis ad histor. eccles. et sacrae dominationis colligi et adhuc potest et debet. Succeſſit *Sabinianus*, satis auarus. Synodus *anglicana* sub Ethelberto per Augustinum habita; *Dinothus* se Papae romano et Augustino opponit; contra *Stillingfletum Schelstrate* et *Pagi* hanc causſam interpretantur. In Anglia iam *Aera Christi*. sed a 25 Dec in locum gentilis noctis *Modrenecht*. *Saxonia orientalis*, sub Saberetho rege, *Ethelberti* fororis filio, ad Christiana sacra transit. Ab Agilulpho, Adaloaldus filius in regni societatem adscitus, et *Theodeberti*, Austrasiae filia ei desponsata.

605. Praelium atrox inter *Saxones* rebelles et *Theodebertum*, 2, reg. Austras. Initia schismatis *aquilej.* siue hoc siue sequenti anno; praeter patriarcham

A.Christi

605. cham Gradensem Candianum, alius Aquileiensis, *Iohannes*, electus, ab iis, qui concilium 5, reiiciebant; itaque per longum tempus duplex patriarcha fuit. In occidentali Londini parte, *Westmonasterium*, si placet, a Petro ipso dedicatum; in orientali rex Ethelbertus *cathedralem* paulo ante aedificarat. Coniux regis fuit *Berta*, quam e Gallia *Lotherius*, Bedae *Liuthardus*, comitabatur &c.

606. *Sabinianus* papa moritur; vt a *Sigeberto* narratur, percussus a Gregorio per noctem, ob auaritiam. *Columbani* illa epistola, ad pontif. romanum, sine huius nomine, ad hunc videtur referenda; rogat, vt liceat, Pascha eo more celebrare, quem acceperant a maioribus suis. *Bonifacius* 3 succedit a. 607, eodem etiam mortuus. *Cyprianus* Constantinopoli moritur; cui a seq. *Thomas* suffectus.

607. Bonifacius 3 a Phoca impetrat honorem *Episcopi oecumenici*, quod nomen inde a *Iohanne*, ieiunatore, graeci vrbis patriarchae sibi tribuerant; nempe, vt Italos eo facilius retineret Phocas. Foedus *Viterici* in hisp. cum *Chlotario*, *Theodeberto* et *Agilulfo* contra *Theodericum*, burgund. ob contemtam et spoliatam filiam. *Augustino* ep. succedit *Laurentius*; is *Scotos* et *Britones* inuitat ad commune in romanam sedem obsequium; clades *Britonum*, vt *praedixerat*, Augustinus, (rem defendit *Mabillon.* in annal.) *Persae* Syriam et Phoenicen vastant. *Desiderius*, viennensis ep. in exilio necatur. Moritur *Eulogius*, patr. alex. ei *Theodorus* successit.

608. *Bonifacius* 4 fit papa; ei Phocas donauit *pantheon*, siue hoc siue sequenti anno. Persae vsque ad Chalcedonem procedunt.

609. Africa et Alexandria a Phoca deficiunt; occiditur *Theodorus* Scribo, alex. ep. successit ei *Iohannes*, misericors; moritur *Isacius* vel *Isicius*, hieros. ep. quem *Zacharias* excepit. Sub hoc tempus *Tassiloni* Baioariae mortuo, successit filius *Garibaldus*, qui cum Slauis bellum varia fortuna gessit. *Columbanus* a *Theodorico* burgundo, et auia eius *Brunechilde*, vexatur.

A. Christi

610. *Anastasius*, antioch. patr. a militibus occisus; post eum successio catholica parum certa. *Phocas* tyrannus interemtus; ei *Heraclius* successit, a *Sergio* patriarcha coronatus. Hic finis historiae eccles. *Nicephori*, Callisti, Xanthopuli filii. *Mellitus* Romam profectus, sacerdotalia ministeria monachis impetrat. *Gundemarus*, (occiso *Witerico*), rex Westgothorum; eius anno primo concil. *toletanum* 3, (a Reccardi catholici tempore) *Columbanus* Luxouio educitur.

611. Sub hoc tempus *Auares* cum suo Cano Venetiarum fines ingressi; Persae Syriam vastant, exercitu Heraclii profligato. *Walaricus* a Chlotario in Neustria locum monasterio impetrat.

612. Triennium a Columbano in Alemannia, et ditionibus iis exactum iam est, quas Theodebertus fratri Theoderico ademerat cis Rhenum. *Gundemaro* succedit inter Visigothos *Sisebutus*. *Theodebertus* Austrasiae rex a Theodorico fratre, burgundo, bello oppressus; fugientis caput, etsi iam in clericatum delecti, intra *Coloniam* iussu Brunehildis abscissum, victori oblatum. Fugit itaque *Columbanus* ad *Agilulfum*. *Heraclius* filium in imperii societatem adsciscit. Moritur Theodoricus, rex Burgundiae atque Austrasiae; *Sigebertus* fil. paucorum mensium rex; quem S. *Lupus*, ep. senon. defendebat.

613. *Chlotarius* 2, Austrasia et Burgundia occupata *Brunehildin*, dira morte afficit; initium *Monarchiae* Francicae; epistolam *Columbani*, seu *Palumbi*, satis inepto titulo insignitam, ad Bonifacium 4, pro 3 capitulis, *Pagi* hoc anno descripsit; satis verbosam, et in papam parum reuerentem.

614. Persae *Hierosolymam* occupant; Zacharias captiuus abducitur; multi *Alexandriam* fugiunt, a Ioh. Eleemosynario susceptí. *Heraclius* Martinae sororis suae filiam ducit vxorem. *Eustasius* inter *Warascos*, (populi Sequanorum;) et postea, *Baioarios*, christiana sacra promotum iuit; Concil. *parisiis* sextum; canonum 15.

615. Iudaei a Sisebutho e gothicis ditionibus expulsi, qui baptizari noluerunt; legatio *Heraclii* ad Chosroen; inter legatos erat presbyter Anastasius.

Mo-

A. Christi

615. Moritur *Columbanus*, eum excipit apud Bobienses monachos *Attalus*. Concil. *Egarense*; Egara inter Barcinonem, Gerundam &c. Moritur Papa *Bonifac.* 4; succeſſit *Deusdedit*, romanus.

616. *Ethelbertus* rex *Cantii*, mortuus. Pagi ad an. 613. n. 8. Moritur *Agiluſus*, rex longob. Perſae *Alexandriam* occupant, fugit Ioh. Eleemo'ynar. in *Cyprum*. Poſt Zachariam Hieroſolymis throni vicarius *Modeſtus*; (ex latino *Xenodochio*). Initia controuerſiae *monothelitarum*. Rebellio *Ravennatum* aduerſus Exarcham, Ioh. Lemigium, quem occidunt; nempe longe laetior ſub Longobardis dominis videbatur fortuna, quam ſub graecis dominis.

617. Incerti temporis concilium *matisconenſe*, quo *Agreſtinus*, Aquileia redux, aduerſus Columbani regulam inſurgit; *Mabillonius* ad an. 623 ponit. Ioh. *Compſinus*, qui Neapolin vſurpare auſus fuit, ab Exarcho opprimitur; fames et peſtis ſub orientem ſolem graecos affligit.

618. *Deus dedit* papa, moritur; ei anno ſequenti ſucceſſit *Bonifacius*, 5. *Eadbaldus*, regis Ethelberti fil. per *Laurentium* ad chriſtiana ſacra adducitur, ſiue hoc anno, ſiue initio ſeq. Concil. *Hiſpalenſe* contra *Acephalos*.

619. *Heraclii* ſanctio pragmatica, ne quis cooptetur in clerum, niſi in locum alicuius defuncti. *Laurentius* cantuar. ep. mortuus. *Auares* murum longum tranſcendunt et fere ad portas Conſtantinopoleos progrediuntur; contigit ſub hoc tempus, aut paulo poſt. *Eleutherius*, exarcha, rebellare audet, ſed a militibus occiditur.

620. Moritur *Siſebutus*, rex hiſpan. Primordia monaſterii *Habendenſis*, in Voſago, ad Moſellam; plura *duplicia* monaſteria iſto tempore, *Mabill.* annales h. a. Chlotarii coniux *Bertrudis* moritur. *Anaſtaſius*, perſa, Hieroſolymis baptizatur, relicta perſica militia.

621. *Heraclius* vaſa aurea ad militum ſtipendia impendit; poſtquam cum *Auaribus* pacem fecerat.

622. Hegiræ primus *Heraclius* Perſas vincit; colloquium imperatoris cum Paulo in Armenia; *Muhammedis* fuga ex vrbe *Mecca*; inde aera *Hegirae*, a 16 Iulio. *Dagobertus*

A. Christi

bertus rex Austrasiae a Chlotario patre renuntiatus; eius adiutores *Arnulfus*, ep. et *Pippinus*.

623. Heg. 2 d. 5 Iul. Annus 2 belli persici. *Theologiense* monasterium conditur. *Slaui* duce *Samo*, Franco quodam, adversus *Auares* se feliciter tuentur; *Fredegar*.

624. Heg. 3. d. 24 Iunii. Moritur *Mellitus* cantuar. aep. tertius et *Austregisilus*, bituric. ep. Synodus *Rhemensis*, sub *Sonnatio* praesule; alii anno 625. ponunt. annus 3 belli persici;

625. Hegirae 4. *Edwin* rex vxorem accipit christianam *Ethelberti* filiam; per Episc. *Paulinum* inde gens *Nordanhambrorum* ad christiana sacra traducitur; post epistolas ad regem et reginam in Angliam missas moritur *Bonifacius* 5. ei *Honorius* suffectus, post dies quinque; cuius Epistola ad Epiri episcopos, narrat de Longob. regis *Adalualdi* per *Arioualdum* tyrannum oppressione; episcopos iubet isti adhaerere. Duo enim simul reges. Finit *Isidori* chronicon Gothorum; anno *Suinthilae* vel Suinthilani quinto, quem eximie laudat. *Annus* 4tus belli persici. Coniunctio *regularum Benedicti* et *Columbani* videtur locum iam inuenisse; *Mabill.* annales. *Btiduls.* monachi exemplo discimus, monachos catholicos, *Arianos* obuios non salutasse, aut eis vicem non retulisse. *Arnulfus* secedit in eremum; Pagi ad an. 631. n. 8. contra Mabillon.

626. Hegirae 5. die 2 Iunii. *Quintus* persici belli; *Heraclius* auxilia a *Turcis* chazaris adscisit. Synodus a *Sergio* habetur Constantinopoli, postquam *Heraclius* cum *Cyro* in Lazica collocutus fuerat. Constantinopolis ab *Auaribus* frustra obsessa; hymnus, ἀκάθιστος, in honorem *Mariae*, quae vrbem defenderat.

627. Hegirae 6. d. 22 Maii. Annus sextus belli persici. Mortuus S. *Eustasius*, Luxou. Attalus, bobiens. et S. *Gallus*. Heraclii Nouella de stato numero clericorum eccles. Constantinopolit. Rex *Edwin* Eboraci baptizatur.

Impe-

A. Christi 628. Hegiræ 7. d. 11 Maii. Imperator, post occisum a *Siroe* patrem Chosroem, et pace facta Constantinopolin in triumpho intrat; restitutus *Zacharias* ep. sedi Hierosolym. Moritur *Chlotarius* 2, succedit *Dagobertus*, anno Austrasiaci regni 7; qui *Dionysii* basilicam et monasterium magnifice auget. *Honorius* loco Fortunati *Primigenium* facit patriarch. grad.

629. Hegiræ 8. d. 30 April. Legati *Dagoberti* ad Heraclium; Angli orientales ad christiana sacra traducti; *Pagi* ad a. 627. n. 25. *Rustico* ep. cadurcensi occiso, rex sufficit *Desiderium*, thesaurarium suum, Rustici fratrem; *Amandus*, episc. nondum traiectinus, a rege in exilium mittitur. Nouella *Heraclii* de de foro competenti clericorum &c.

630. Hegiræ 9. d. 20 April. Mortuo *Georgio*, alex. succedit *Cyrus*, Phasidis ep. Dagoberto nascitur fil. Sigebert, ex Ragnetrude puella; moritur *Charibertus* rex, qui baptismo Sigeberti (hic infans *Amen* dixit post preces,) interfuit; moritur et paulo post *Chilpericus* eius filius. Dagobertus mittit auxilia *Sisenando* contra *Suinthilam*, in Hisp. *Heraclius*, Constans, imperatoris nepos, nascitur. Chronici alexandrini finis, paulo ante hoc tempus. *Chrobatae* in Dalmatia iam habitantes, incertum quo anno, baptizantur, arcessitis per Heraclium sacerdotibus ex vrbe Roma.

631. Hegiræ 10. Imperator filium Heraclium, seu Heracleonam, facit Caesarem. Floret *Eligius* in aula Francica, aurifabri artem edoctus, atque *Bobboni*, thesaurario, a ministerio; *Sollemniacum*, villam, a rege impetrat, et 150 monachis multa impendit; vid. *Mabillonii* annales h. a. Aliud monasterium condit, S. Martini, tornacense.

632. Hegiræ 11. die 24 Martii. Obitus *Muhammedis*; post eius demum mortem Saraceni romanum imperium inuadunt. Rex *Iazdegirdes*, Chosrois nepos, *Persis* imperat; ab eo *aera Iezdegirdica*, ab hoc anno 16 Iulii, ab ἐνθρονισμῷ, non a morte eius, vt Scaliger, Petavius, aliique *Haithono* credentes, errarunt.

A. Chriſti 632. Hoc anno *Mabill.* in annalibus de S. *Fara* multa narrat; in eius monaſterio virgines corpus et *ſanguinem* Chriſti ſumebant; alicui in ore globus *rutilans* micuit; (femina transſubſtantiationis;) ſanctimoniales *abbatiſſae* ſuae peccata confitebantur, ſine ſacerdote. *Deſiderius*, caduric. ep. *monaſticum* ordinem propagat in ſua dioeceſi. *Abubecker* poſt Muhammedem.

633. Hegiræ 12. die 18 Martii. *Cyrus* alex. habet *ſynodum*, cui *Sophronius*, adhuc monachus, interfuit; *nouem* capitulis vnio cum Eutychianis facta; redux Sophronius poſt *Modeſtum* fit paulo poſt epiſc. Hieroſolym. *Edwino* rege occiſo in praelio, Nordhumbria in 2 provincias *Deirorum* et *Berniciorum* diuiſa; vterque rex a. ſequenti a *Ceadwalla* occiſus, Hoc aut ſeq. potius anno concil *toletanum* 4, Siſenandi tertio. *Dagobertus* filium triennem, facit regem *Auſtraſiae*, ſub *Cunoberto* aep. colon. tres exercitus, etiam Longobardi, aduerſus Slauos *Vinidos* ducuntur, qui iam praedas in Thuringia et aliis pagis Francicis ſolebant agere. *Chlodoueo* 2, qui recens natus erat, Neuſtriam et burgund. tribuit.

634. Hegiræ 13. d. 7 Mart. *Abubeker* moritur; ſuccedit *Omar*, qui nouis ſucceſſibus contra Graecos iſtum adhuc ſuperauit. Epiſtola *Sergii* Conſtantinopolit. ad *Honorium*, et huius et iſtum. *Honorii* epiſtolae in *Angliam* cum palliis pro *Honorio* cantuar. et *Paulino*, eborac. *Honorii* epiſtola ad *Scotos*, de Paſcha. *Oswaldus*, Edvini ex ſorore nepos, occiſo Ceadvalla rex Nordhumbriae; *Aidanus* e Scotis in Nordhumbriam accitus, vt omnem gentem ad ſacra chriſtiana transferret; eius ſedes in *Lindisfarne* inſula. Occidentales Saxones per *Birinum* ep. a papa miſſum, conuerſi.

635. Hegiræ 14. die 25 Februar. Saraceni *Damaſcum* expugnant; Aegypto tributum imponunt; *Cyri* alex. conſilia politica imperator ſpernit. De *Iohanne*, *Maronita*, qui ab *Honorio* papa, factus fuerit Maronitarum praeſul, contra Iacobitas, narratio *Naironi*, *Quaresmii*, apud Pagium h. a. Hunc alii et ipſum *Monotheletis* haereticis addere ſolent. *Iacobitae* ceteri omnino ſeiuncti ab his Maronitis fuerunt. *Taſo*

dux

A. Christi 635. dux fori Iulii ab Arioualdo per *Exarchum* fraudulenter occisus. *Quotidianae missae* in monasterio virginum S. Iuliani Antisiodor. institutae; et quinta feria *processio* cum litaniis et crucibus; *Mabill.* annales. *Iusto*, tolet ep. succedit *Eugenius*. Paulus emeritensis diac. scribit, de vita patrum Emeritensium, ad modum *dialogorum* Gregorii. De *testamento* regis Dagoberti controuersia; *Pagi* ad a. 644. n. 9.

636. Hegirae 15. die 13 Februar. *Hierosolyma* a Saracenis obsessa, anno sequente capta. *Sisenandus* rex hisp. moritur; ei *Chintila* successit; *Isidorus* Hispal. ante concil. *toletanum quintum* mortuus. vid. Acta SS. d. 4 April. Post Arioualdum *Rotharis* rex longobard. Arianis deditus; (fere in omnibus vrbibus duo episcopi adhuc erant, Catholicus alter, alter Arianus.)

637. Hegirae 16. d. 2 Febr. *Omarus*, *Emir ol Mumenim* primus dictus, persicum regnum, fugato *Iezdegerde*, (ante an. 641. certe; nec statim *Iezdegerd.* omni potentia exutus.) expugnat; incerto anno (cum dux *Garibaldus* 2, Baioariis praeesset, cui ante annum 640. *Theodo* successit;) *Dagobertus* leges veteres Francorum (transrhenan). Alemannorum, et Baioariorum, per 4 illustres viros in melius transtulit, et *vnicuique genti* scriptas dedit. In lege *Baioarior.* primus titulus est de *rebus ecclesiasticis*, igitur aliqui ex ducibus et primoribus haud dubie eiusdem religionis, ac *Dagobertus*; licet nondum *sedes* episcopales exstarent; sub finem seculi gentilismus rediit; nulli episcopi *ordinarii* hoc seculo, licet *Hundius* soleat alios decipere; *Muratorius*; *Pagi* ad h. a. Mortuus *Sophronius*, ep. Hierosol. ex moerore captae vrbis; *Saraceni* Sergium, ep. Ioppensem sufficiunt. *Sophronius* Typici Hierosolymitani pro Laura S. *Sabae*, instaurator; etiam *Menaeorum.* vid. Acta SS. d. XI Martii. Orient. fax. rex *Sigbertus*, redux e monasterio, cum filio Agrico a Penda, mercior. rege, occisus. *Anna* successit. Alii a. 635. ponunt.

638. Hegirae 17. die 23 Ian. *Antiochia* a Saracenis occupatur. *Honorio* papae, qui hoc anno mortuus, post annum, 7 menses et 17 dies demum *Seuerinus* suffectus; forte quia approbatio *Imperatoris* antea exspectabatur ab *Heraclio*

atque

A. Christi 638. atque Exarcha. Concilium *toletanum 6. Dagobertus* rex h. a. moritur; succedunt filii minorennes, *Sigibertus* in Austrasia, *Chlodoveus* in Neustria et Burgundia. *Sergii Encheas* promulgatur; ipse *Sergius* paulo post moritur; ei *Pyrrhus* successit.

639. Hegirae 18. die vlt. Decemb. Sedes *romana* adhuc vacans. Constantinopoli *Synodus Pyrrhi*, cuius quaedam fragmenta in concil. *lateran.* secretario 3. Saraceni *Misr*, i. Memphin occupant; Alexandriam obsident. *Pippinus*, maior domus Austrasiae, quem *sanctum* et *landensem* dicunt, moritur. *Isaacius*, exarcha thesaurum *lateranensem* expilat, vt militum stipendia soluat.

640. Hegirae 20. die 21 Dec. *Seuerinus* mense *Maio* ordinatus; mense Augusto mortuus; ei successit *Iohan.* 4. *Cyrus* alex. a dignitate sua deiectus, ob suspicionem malae fidei; a praefecto vrbis Constantinopolit. tormentis examinatus. *Eadbald*, cantuar. rex moritur; successit *Ercombertus* fil. ex Emma Austrasiaca. *Audoenus*, e palatio, rotomag. et *Eligius*, noviomensis, epp. ordinati. *Arnulfus*, ep. metens. hoc aut seq. anno mortuus; eius filius *Ansegisil*, ex *Begga*, Pippini filia, suscepit Pippinum iuniorem, regis Pippini patrem. *Aega*, maior domus in palatio *Chlodouei* locum fecit *Erchinoaldo*. *Chintilae*, patri, succedit *Tulga*. S. *Maximus* hoc anno composuit computum eccleſiast. (in Vranologio *Petauii.*)

641. Hegirae 21. die 10 Dec. Synodus *romana* contra Monothel. sed nominibus Sergii &c. pepercerunt. *Heraclius* moritur, d. 11 Febr. successit *Constantinus*, *Heracleonas* et *Constans*. Papae epistola ad Imper. pro Honorio; moritur Constantinus; Heracleonas deiicitur. Capta iam a Sarac. Alexandria, desinunt praefecti augustales. *Pyrrhus* abit a dignitate aep. eius locum *Paulus* occupat. Priuileg. papae pro monialibus b. Mariae et S. Columbae; abbatissa non sub episcopo, sed sub papa. *Mabillon.* inde longo ordine priuilegia monasteriis adversus episcopos data.

Iohanni

A. Christi

642. Iohanni 4 succedit *Theodorus*, graecus. *Chintaswinth* post *Tulgam* rex Hisp. *Sulpicius*, pius, episc. bitur. moritur sub hoc tempus; acta SS. 17 Ianuar. *Fredegarius* hoc anno finit *chronicon*, capite 90. Ex abbate *primo* Weissenburgensi, in dioecesi Spirensi, *Principius* fit episcopus Spirae; monaster. Weissenburg. ad a. 630 refertur. *Mabill.* annales. *Rotharis* in Italia Romanos premit.
Hegirae 22. die 30 Nov

643. Cruces Hierosolymis deiectae a Saracenis; *Paulus* constantinopol. a papa *Theodoro* laudatur; apud eum paulo post hoc anno a *Cypriis* episcopis, et *Sergio* Aep. accusatus Monotheletismi. *Kinegilso*, orient. Saxonum regi, successit fil. *Kenewalk*. Incerta Theodori bulla, pro monasterio *bobiensi*, vt liceat Abbati *mitram* et alia pontificalia habere. *Muratorius*.
Hegirae 23. die 19 Nov

644. *Paulinus*, roffens. moritur. Successit *Ithamar*; (*Paulini* et *Sulpitii* mortem coniungit *Mabillon* annal.) *Furseus*, ex Anglia, Romam profecturus, retinetur ab *Erchinoaldo*; et *Latiniacense* monaster. condit. *Mabillon*.
Hegirae 24. d. 7 Nov.

645. Habetur celebris illa in Africa disputatio *Pyrrhi* et *Maximi*. *Omaro*, Caliphae, succedit *Othman*. In *Syria* Muauias feliciter bellum gerit. *S. Modaldus*, ep. treuir. mortuus sub hoc tempus; acta SS. d. 12 Maii. Ex eius disciplina fuit *Germanus*, primus abbas grandivallensis, prope Basileam; acta SS. d. 21 Februar.
Hegirae 25. die 28 Oct.

646. *Africanae* synodi contra Monotheletas; *Georgius*, patricius in Africa rebellat, populo iuuante. Papa *Paulum* vehementer increpat; hic aperte sententiam secundum Honorium, Sergiumque, dicit. Sub id tempus *Toletanum* concil. *septimum*. *Felix*, ep. oriental. Anglorum, moritur in fede sua *Dumvic*.
Hegirae 26. die 27 Oct.

647. Saraceni, *Abdalla* duce, occiso Gregorio, vectigal quibusdam partibus Africanis imperant; *Carthago* mansit adhuc graecis. In Hispania *Fructuosus* rem monasticam eximie promouet, inde aliquot annis; de eius *regula communi*, et alia *monachorum*, Mabill. in annal. *Amandus* in Belgio rem eamdem agit. *Allouinus*, seu *Bauo*, per eum a seculo retractus. Monasterium *Sithiense*, seu
Hegirae 27. d. 6 Octob.

A. Christi 647. seu e villa *Sithiu* ortum, quam *Adroaldus* S. Audomaro, ep. Tervanensi, obtulit. *Fontanellense* monast. a Wandregisilo, in pago Rotomagensi. *Malmundarium*, *stabulense*, S. Martin *Mettensis* et alia monasteria, a Sigeberto rege condita. *Amandus* tandem ex regionario episcopo fit *Traiectensis*.

648. Hegiræ 28. die 25 Sept. Exarcha (*Plato*) *Pyrrhum*, quem Roma Rauennam euocarat, facile adducit, vt a papae partibus ad alteram sententiam iam transeat. *Typus* a Paulo Constantinopolit. promulgatur, ἐκθεσις rescinditur. De oeconomia *typi*, quae est fere eadem ac *Honorii*, multa *Pagi* h. a. *Theodorus* autem *typum* non damnauit, quantum scimus; *Pyrrhum* vero, qui ad vomitum rediit, in *synodo romana* damnauit sic, vt ex *viuifico sanguine* in atramentum stillarit. Hic ritus *Graecorum* fuisse dicitur. *Cyprus* a Saracenis occupata; sed tantum aliquot per annos eam tenuerunt.

649. Hegiræ 29. die 14 Sept. *Theodoro* papae succedit *Martinus*; qui Synodum *lateranensem* CV. epp. contra typum et Monothel. habet; (monachi multi ex Oriente et Africa Romam se contulerant;) et postea a *Chlodoueo* et *Sigiberto* rogat Episcopos, quos legatos in orientem mittat. *Olympius* in locum *Platonis*, exarcha missus, vt *Typum* inter Romanos promoueret. In Hispan. Chindasuinth filium *Receswinthum* regni socium facit. Moritur S. *Bauo*; Pagi ad a. 631. S. *Goar* etiam, *Mabill.*

650. Hegiræ 30. d. 3 Sept. Floret S. *Landelinus*, conditor. monaster. *bobiensis*, seu laubacensis in Hannonia; fuit antea inter latrones. *Amandus* abit ab episcopatu traiectensi; postea in *Warasconia* paganis praedicauit; acta SS. d. 6 Febr. *Furseo* mortuo, eius fratres *Vltanus* et *Foillanus* ex Hibernia in Gallias veniunt. Saraceni Isauriam inuadunt. *Agilbertus* episcopus apud Saxones occidentales sub rege *Kenewalch*. *Osvinus* rex Deirorum occisus ab *Osvi*, rege Berniciorum. Moritur *Aidanus*, ep. Lindisfar. *Cuthbertus*, ex pastore pecorum, visa anima Aidani, fit monachus.

Mo-

A. Christi 651. Hegiræ 31. die 24 Aug. Moritur *Iezdegerd.* iam Muhammedani omnes etiam septentrionales prouinc. persicas tenent. *Marculfus* sub hoc tempus scribit libros 2 formularum. (antiquiores istis esse formulas *Audegauenses* putat *Mabillonius*, quas edidit in *Analectis.*)

652. Hegiræ 32. die 12 Aug. *Emmerammus*, episcopus ex Aquitania secunda, qui in *Pannonia*, (*Bauaria*) per aliquot tempus inter gentes sacra christiana promouit, (cum *Theodo* I. dux *Ratisbonae* esset,) dicitur hoc anno martyrio mortuus. Concil. *cabillonense*, canon 20.

653. Hegiræ 32. die 2 Aug. *Martinus* papa Roma d. 19 Iunii eductus, per sequentem annum in insula Naxo retinetur. *Maximus*, cum discipulo, Anastasio, et alio Anastasio, apocrisiario rom. eccles. eodem hoc anno Byzantium ductus. Concil. *toletanum* 8. *Middelangli* opera *Osvii* et filii Alcfrid, Nordhumbr. regis, ad christiana sacra traducti. Sub hoc tempus *Pauliciani* seu noui *Manichaei* nominantur. Conventus *Clipiacensis*. *Mabillon.* de re diplomatica lib. 5. tabula 17.

654. Hegiræ 34. die 22 Iul. *Clodulfus*, Arnulfi fil. fit ep. metensis. Moritur *Desiderius*, ep. *cadurci.* Rex or. anglorum *Anna*, a Penda Merciorum, occisus; successit frater *Aetheler. Constantinus*, Pogonatus, in societatem graeci imperii adscitus. Controuersia postea oritur, de corpore *S. Benedicti*, cassin. et sororis, Scholasticae, quae a Gallis dicuntur clam ablata esse in Galliam; negantibus Cassinatibus, id factum esse. *Mabillon.* annales ad an. 653. et Pagi ad an. 664. n. 17 seqq. de his ineptiis multa narrat. *Rhodus* capta a Saracenis. *Martinus* in exilio mortuus; *Eugenius* successit, quem iam antea Martini *vicarium* fuisse, alii aiunt, alii negant. *Eugenius* apocrisiarios Constantinopolin mittit, qui postea a *Petro*, patriarcha in aliam sententiam ducuntur, de voluntate et subsistentiali, (vna Monotheletarum;) et naturarum duplici. *Foillani* martyrium.

655. Hegiræ 35. die 11 Iul. *Penda* ab *Osvio*, rege Bernic. victus et occisus; prouincia ad sacra christiana transit; monasterium puellarum *Streaneshale* a rege conditum. Concil.

A. Christi 655. cil. *toletan.* 9. Moritur S. *Agilus*, abbas primus resbac. et S. *Salaberga*, monasterii *laudunensis*, quod condiderat, abbatissa. *Othmanno* succedit *Muauias*, licet et *Ali* non destitueretur amatoribus. Moritur *Pyrrhus* Constantinopol. post restitutionem 4 mensium; *Petrus* successit.

654. Hegiræ 36. die 30 Iul. Disputatio *Maximi* et *Theodosii*, episc. Caesareae Bithyn. prima 655. edita est a *Combefisio*; *altera* disputatio, huius anni; antecessit iudicium *Maximi*, per Sacellarium; (in eo obiicitur Maximo; tu Aegyptum et Africam *Saracenis tradidisti* &c. atque scimus non nulla, quae eam rem tantum non probabilem efficiunt, maluisse *orthodoxos* pati Saracenos dominos.) Concil. *toletanum* 10. Moritur *Sigebertus*, rex Austrasiae, relicto *Dagoberto*, filio, quem *Grimoaldus* totondit, et suum filium *Childebertum* intrusit; sed non passus est *Chlodoueus*, sic sibi fratris haereditatem eripi; *Monarcha* inde vsque ad finem vitae; hoc eodem anno mortuo, successit per annos 4 filius adolescens, *Chlotarius* 3, in eadem monarchia; vid. Pagi ad h. a. De matre, *Balthilde*, s. Bathilde, vid. *Mabillon.* annales h. a. *Erchinoaldo*, successit maior domus palatii *Ebroinus*. *Romae* tantum non tumultus, ob epistolam Petri Constantinopol. ad *Eugenium* papam. *Livini*, in Belgio martyrium.

657. Hegiræ 37. die 19 Iun. *Vitalianus*, papa rom. *Eugenius*, tolet. ep. 2. seu iunior, moritur; eius opuscula *Sirmondus* edidit, cum *Dracontii* libellis, ab Eugenio recognitis. Succesit ei *Ildefonsus*, cui vestem sacram ad rem diuinam faciendam, coelitus Maria dedisse dicitur; is ideo instituit festiuitatem *Annuntiationis* b. virginis, seu de expectatione partus. *Balthildis* condit monasterium *Calense*, virginum; *Corbeiense*, virorum. Rex *Wulfher*, in *Mercia* succedit.

658. Hegiræ 38. die 8. Iun. *Muauias* cum Graecis dicitur pacem pactus esse. *Dalfinus*, (eum alii a fratre distinguunt,) qui et *Aunemundus*, ep. lugd, interfectus, studiis *Ebroini*; *Wilfrid*, qui Roma redux per tres annum apud eum

A. Christi. eum vixerat, in Angliam redit. *Eligius* noviom ep. moritur, qui saepius apparuisse post mortem dicitur.

659. Hegiræ 39. die 29 Maii *Theodosius*, (iam inter clericos detrusus fuit,) a Constante imper. frater germanus, occisus; alii an. 660. S. *Gertrudis*, abbatissa niuellensis, moritur. Pagi ad a. 664. n. 21. Hic *Mabillon.* in annal. de ritu *iurandi* super *reliquias* SS. agit.

660. Hegiræ 40. die 16 Maii *Ali* occiso, fil. *Hasen* per menses 6 succedit; is tandem *Muauiae* cedit. Concilium *Nannetense*, sub Monarchia adhuc. Tumultuantes Austrasii regem proprium *Childericum*, fratrem Chlotarii 3, accipiunt. *Pagi. Remaclus*, ep. traiect. postquam *Theodardum* successorem impetrauerat, praest monast. *malmundar.* et *stabuleti.* *Trudo*, construxit monasterium sui nominis; *apostolus Hasbaniae* dicitur. *Egfrid*, filius regis *Oswi*, ducit *Etheldritam*, viduam *Tomberti*; sed virgo bis coniux mansit.

661. Hegiræ 41. die 6 Maii. Donatio Barisiaci, a *Childerico* Austrasio, S. Amando facta; *Hymnechilden*, quae subscripsit, recte explicat Pagi, de matre *Bilihildis*, quae *Childerico* desponsata erat. Ea mater *Dagobertum* fil. in Hibernia, parum curauit. *Leodegarius* fit episcopus Augustodun. *Dido*, episc. pictav. fuit eius auunculus, qui contra *Dagobertum* iuniorem *Grimoaldi* minister fuerat. *Finano*, episcopo Lindisfarn. (*Bolland.* ad d. 17 Febr.) succedit *Colmannus.* Kenewalch, rex occid. Saxon. pertaesus barbarae loquelae, introduxit in prouinciam alium *suae linguae* episcopum, *Winam*, in Gallia ordinatum; diuidens in parochias 2 prouinciam; *Wintacestir* sedes cessit Winae; *Agilbertus* autem retinuit *Dorcestir*; sed offensus hac re *Agilbertus*, rediit in Galliam; (anno tertio post.) *Charurgitarum* secta a Muauia repressa. Post *Aribertum*, e Baioaria oriundum, regnum *longobard.* diuisum inter filios *Pertharidum*, et *Godebertum.*

662. Hegiræ 42. die 26 Apr. *Niuardus*, episc. rhemens. moritur. *Bercharius* aedificat monaster. *altum villarense* et alia. *Constans* seu Constantin. imperator vrbe Constantinopoli excedit, inuisus ciuibus; in Italiam profectus.

A. Christi 662. Moritur *Maximus*, abbas. *Grimoaldus*, dux beneuent. regnum Longobardic. arripit.

663. Hegiræ 43 die 15 Apr. Imperator frustra Beneuentum oppugnat. Synodus *Augustodunensis*, incerti anni, sub *Leodegario* ep. in eo de *fide S. Athanasii* statuitur, neminem *in clero* mansurum, nisi irreprehensibiliter eam recensuerit. (Recte pro clericis potuit sic statui; non vero ad omnes christianos spectabat.) *Vitalianus* papa imperatori e Roma obuiam iuit.

664. Hegiræ 44. die 3 April. Synodus *Pharensis*, seu in monasterio *Streneshale*, de festo paschatis, quod Scoti contra ceterarum ecclesiarum morem seruabant, et de tonsura; vincebat causa romanorum, regis *Osvii* arbitrio. *Agilbertus* in Galliam venit, episcopus parisiensis, sine titulo et ecclesia. Moritur *Cedd*, ep. londinensis; *Bolland.* d 7. Ianuar. *Aedelwald*, rex orient. anglor. moritur, succedit *Adulfus*, fil. Annae regis. *Ercomberto*, regi *Cantii*, succ. *Echertus*, fil. *Suidhelmus*, rex *Saxonum* orient. mortuus; succedunt *Sigher* et *Sebus*, regi Merciorum *Wulfhere* subiecti. *Bathildis* abit a regimine rerum; et fit monacha. Acta SS. d. 24 April. *Wilfrid*, fit Ep. Eboracens.

665. Hegiræ 45. die 24 Martii. Moritur sub hoc tempus *Magnus*, s. Magnoaldus. *Wighar*, presbyter, a regibus Cantii et Nordanhumbrorum, Romam missus pro ordinatione dorovernensi, peste mortuus. *Bertharidus* in Gallia *Chlotarium* adiutorem aduersus *Grimoaldum* longobard. parum felicem expertus est.

666. Hegiræ 46. die 13 Martii. *Petrus*, constantinop. ep. moritur; Pagi ad a. 656. n. 5. *Thomas* successit. Concil. *Emeritense*. *Wina*, episc. Wintoniae inter occid. Saxones pulsus a rege Kenewalc, emit episcopatum *londinens.* a rege *Wulfhere*. *Wilfrid* ex Gallia redit in Britanniam. *Muauias* Africam inuadit. Hoc anno *Constantinus* imper. *Maurum*, rauennatem aep. ab obsequio Papae liberum et ἀυτοκεφαλον pronuntiat; *Muratori* histor. Ital. h. a. ex diplomate ipso.

Sabo-

A Christi 667. Hegiræ 47. die 2 Mart. *Saborius* in Armenia rebellat aduersus imperatorem. Moritur *Waldebertus*, abbas luxov. etiam *Lupus*, cabil. episc. forte h. a. acta SS. d. 27 Ianuar.

668. Hegiræ 48. die 19 Feb. Imperator Constans, seu *Constantinus* occisus syracusae; succesſit *Pogonatus*, fil. *Theodorus*, graecus monachus, ordinatur episc. cantuar. a Vitaliano. *Grimoaldus* addit legibus *Rotharis* longobardicis. *Mecetius* in Sicilia tyrannus.

669. Hegiræ 49. die 8 Febr. *Vitalianus* Theodoro adhuc in Galliis versanti, vt rogauerat, concedit iurisdictionem in britannicas ecclesias, apud *Mahnesbur* lib. 1. de pontif. *Ceadda* fit episc. Lichfeldiae; *Wilfrid*, eborac. Mecetius Syracusis occisus. *Saraceni*, ab eo invitati, serius veniunt; *Africam* etiam vastant. Imperator fratribus *Heraclio* et *Tiberio* nomen Augustorum dedit; populus *Chrysopoleos* clamamabat: *tres personas divinas* credimus, tres imperatores habemus; ideo quidam quasi rebelles interfecti.

670. Hegiræ 50. die 28 Ian. Hoc anno videtur *Chlotar.* 3 mortuus; sine liberis; frater *Theodericus*, 2 sequitur, sed parui temporis fuit hoc regis nomen; cum *Ebroino* postea in monasterium truditur.

671. Hegiræ 51. die 18 Feb. *Bertharidus* in locum *Grimoaldi*, mortui, fit rex longobard. In Galliis res et publica et sacra ob turbas atroces non parum impedita; quaedam nationes ad *idololatriam* redeunt; Pagi h. a. n. 6-8.

672. Hegiræ 52. die 7 Ian. et 53. d. 27 Dec. *Adeodatus* papa. Regina *Etheldrit*, relicto rege *Ecfrid*, Cantii, in monasterium fecessit. Initia oppugnatae a *Saracenis* Constantinopoleos; per *biennium* illae incursiones repetitae. Moritur *Receswinth*, Hisp. rex; succesſit *Wamba*. *Maurus*, aep. Rauennas, hoc aut superiori anno mortuus, suos clericos hortatus, vt ne Romano ep. subiicerentur, sed nouo aep. *pallium ab imperatore impetrarent*. (*Muratorii* histor. ital. edit. *german.* in notis.)

673. Hegiræ 54. die 16 Dec. Finis belli, quod *Wamba* aduersus *Septimaniam* gessit, quam Franci adiuuerant in rebellione. Post Exilium *Leodegarii*, episc. Augustodunens. qui *Hectori*, comiti nimis fauebat; et post caedem

A. Christi 673. Hectoris, auctor vitae S. *Leodegarii* statim narrat de caede regis *Childerici*; etiam regina *Bilihildis* occisa. *Praiectus*, ep. aruernensis, qui causam contra comitem obtinuerat, occisus. Successit in regno frater, *Theodericus* 3. *Kenewalch*, rex occid. Saxonum, moritur; vidua *Sexburga* regnum tenuit; post huius mortem a. 666 regni regnum diuiserunt, *Escuin* et *Kentuin*; *Ecbertus*, rex cantuar. mortuus, post Synodum *Herefordiensem* habitam a Theodoro.

674. Hegiræ 55. die 6 Dec. *Leodegarius*, e monasterii luxov. carcere egressus, cum *Ebroino*, carceris socio; nouus maior domus *Leudesius*, occisus; *Ebroinus* supponit alium regem Clodoueum, quasi Clotarii filium; *Leodegario* oculi exciduntur; recipit Ebroinus dignitatem in palatio Theoderici; *Lambertum*, traiect. ep. sede deiicit; et *Audoenum* ep. rotom. abbatem Philibertum, gemmeticensem, in ergastulum mittit. *Vulfoaldus*, qui Childerici maior domus fuerat, *Dagobertum* 2 in regnum Austrasiae, ex Hibernia, reducit. vid. *Pagi* contra aliorum computum. *Winfrid*, per Theodorum aep. sede Merciorum deiectus; succedit *Sexwulf*. Biscopus, qui monasterium Wiremuthense construere volebat, mittit *in Galliam*, vt *vitri factores*, ad cancellandas fenestras, adhuc ignotas in Britanniis, adducerentur; Bed a in vita Biscopi c. 5.

675. Hegiræ 56. die 25 Nov. Concil. *toletan.* XI, in quo diuisio dioeceseon Hispaniae facta. Concil. *Bracarense* 3, anni incert. *Wulfhere*, rex Merciorum moritur; succedit frater *Edilred*. Die 13 Febr. in actis SS. *Ermenilda*, eius vxor, laudatur. *Audoeni* iter Romanum in hunc annum a quibusdam confertur.

676. Hegiræ 57. die 13 Nov. *Adeodato* papae (de cuius priuilegio pro monasteri S. Martini, *Launoius* dubitabat; etiam *Muratorius*) succedit *Donus*. Edilred Cantium vastauit rege Lothario. *Hedda*, sit episcopus Saxonum occidentalium, *dorcicestrensis*. *Leodegarius*, labii incisis, in aliud monasterium missus; eius frater *Garinus* lapidibus obrutus. *Dagobertus* 2 exstruit varia monasteria; *Mabillon.* annales. *Cuthbertus*, e monasterio farnensi exit, solitariu-

A. Christi

rius, in cella ita exstructa, vt nil, nisi caelum intueri potuerit.

677. Hegirae 58. die 3 Nov. *Vitaliani* nomen e diptychis eradi volunt Monotheletae; restitit aliquamdiu imperator. *Reparatus*, raven. aep. subiicit se papae, non sine auctoritate alia imperatoris, vt videtur. Bellum inter *Theodoricum* 3 et *Dagobertum* 2, hoc anno gestum et compositum; *Chramlinus*, ep. Ebrodun. in synodo epp. *Neustriae* et *Burgundiae*, publice sede sua deiectus, res tamen suas retinuit. *Wilfrid*, a rege Ecfrid, instinctu coniugis *Elmenburgae*, sede sua pulsus; eius in locum 2. substituti, hagustaldensis et eboracensis epp. Nimiae diuitiae, aedificiorum magnitudo, et sodalium innumerabilium exercitus, regalibus vestimentis et armis ornatus, reginae indignationem mouerunt; consensit cum ea episcopus. Per hanc hiemem in *Frisia* vixit Wilfridus, a rege pagano defensus aduersus *Ebroini* atrocia consilia.

678. Hegirae 59. die 23 Oct. Pax a Saracenis in XXX annos, cum annuis muneribus, imperatori oblata. *Agatho* papa, natione Siculus; huic traditur Epistola imperatoris de concilio habendo, *Theodorus*, Constantinopolit. patriarcha ab imperatore deiectus; *Georgius* ei succedit. *Wilfrid*, cui *Dagobertus* episcopatum *Strateburg* offerebat, cum eius muneribus atque episcopo Francico, *Romam* petit. Concilium romanum de eius causa habetur; sententia pro eo lata. *Dagobertus*, rex Austrasiae, per *Ebroinum* atque episcopos quosdam occisus; *Theoderic.* 3 ei successit, postquam vlturos Austrasios dominos praelio vicit. In *synodo* regia *Dido*, cabil. episc. et *Waumir*, seu *Waimar*, e Campaniae duce aliquot per annos trecensis episcopus, morti addicuntur; *Leodegarius*, iussu eodem regio, occisus.

679. Hegirae 60. die 12 Oct. Variae *synodi* minores, Romae, Mediolani (per *Mansuetum*) in Gallia &c. contra Monotheletas; *romano* concilio, 125 epp. interfuit *Wilfrid*. Bellum inter *Ecfridum* (cuius frater Elfuin in eo occisus) et *Aethilredum*, Merciorum reg. *Wilfrid* domum redux cum bullis papae, a rege

A. Christi 679. *Ecfrid* male accipitur; in carcerem missus per 9 menses. De *Theodoro*, rauennat. aep. narrat *Agnellus:* eum clericis quartam partem, ex canonibus debitam, negasse; hos secessionem fecisse, e qua vix per Exarchum *Theodorum* reduci potuerunt, Idem narrat de *Iohanne paruo*, Secretario Exarchae, qui vtramque linguam eximie calluerit, ideo Constantinopolin vocatus.

680. Hegirae 61. die 30 Sept. *Concilii* oecum. *sexti* initium, d. 5 Novembr. in *Trullo* seu tholo palatii sacri. Legati *romani* advenerunt die 10 Septemb. morati in domo *Placidia*, honorificentissime habiti. Hoc anno de *Hilda*, (quam *Beda* hoc anno mortuam esse dicit in monaster. *Kalensi*,) et *Hereswida*, Pagi num. 14 seqq diligenter admonet, de vetusto et sollenni errore, qui seculo superiori abbatissam Kalensem et viros doctos induxit. *Neutra* enim in eo monasterio vixit aut mortua est. *Bedam* iam olim auctor vitae S. *Bertilae*, atque inde *Beda* viros doctos fefellit. *Wambae*, regi Hisp. venenum praebitum; is cum animam ageret *vestem monasticam induit;* ei *Ervigius*, sceleris auctor, successit. Concil *Anglosaxonicum*, in caussa *Monothelet.* Sub hoc fere tempus mortuus *Theodo* I. Baioariae dux, qui monasterium S. *Emmerammi* condidit; successit *Theodo* 2, Errorem scriptorum boicorum Pagi notat, qui vtrumque in vnum mutant.

681. Hegirae 62. die 20 Sept. Concilii *ceterae actiones* hoc anno continuatae, post quintam. Imperator fratres suos, *Heraclium*, et *Tiberium*, ob suspicionem nouarum rerum, remouet ab imperii societate. Latino ritu legati romani missam coram imperatore celebrant, dominica Octauae Paschatis. Imperator remittit pecuniam, quae pro ordinatione rom. pontificis dari solebat; sed *ordinationem* fieri non passurus, nisi post decretum diuale. Concil. *Toletanum* XII *Wilfrid* pellitur e *Nordhumbria*, *Mercia*, et *Westsexna;* in Sudsexun *paganos*, auctoritate regis, partim volentes partim *coactos*, ad christiana sacra traducit. *Lantbertus* ex abbate fontanell. fit ep. lugdunensis; acta SS. die 14 April. Sub hoc fere tempus moritur

S. *Wa-*

A. Christi 681. S. *Waningus*, qui plura monasteria, etiam *Fiscannense* in dioecesi rotom. virginum 366, fundauit. Acta SS. d. IX Ianuar. *Ebroinus*, maior domus, occisus; honorifica translatio *Leodegarii*. *Warato*, fit maior domus in Neustria, *Pippinus*, in Austrasia.

682. Hegiræ 63. die 10 Sept. Moritur *Agatho*, rom. episc. succedit *Leo* 2, ex Sicilia. *Kentuinus*, rex Saxon. occidental. Britones oppugnat.

683. Hegiræ 64. die 30 Aug. Concil. *toletanum* 13. *Iezid*, Califa, mortuus; post motus varios *Abimelech* succeſſit. *Filibertus*, in monasterium *Gemmeticense* ex exsilio reuocatus; *Warato* a filio *Gistemaro* a palatii ministerio depulsus. *Leo* 2. moritur; interpontificium per menses XI et 22 dies. *Theodorus* Constantinopolit. sedi suae restituitur; vixit vsque ad an. 686.

684. Hegiræ 65. die 18 Aug. Suffectus tandem *Benedictus* papa, 2. Concil. *toletanum* 14. *Ecfrid*, rex Nordhumbriae, mittit exercitum in *Hiberniam*, qui nec ecclesiis aut monasteriis parcit. Bellum inter *maiores domus*, Austrasiae et Neustriae; filio occiso *Warato* succeſſerat. *Audoenus*, qui pacem composuit, moritur sub anni finem. Moritur *Aldegundis*, prima abbatissa Melbodiensis; acta Bolland. die 30 Ianuar.

685. Hegiræ 66. die 8 Aug. *Constantino Pogonato*, post annos 17, succedit fil. *Iustinianus*; qui cum Califa Abimelecho pacem in annos X romanae rei satis noxiam sanxit, pulsis *Mardaitis*, e *Libano*, qui Saracenos repressérant. *Benedicto* 2, suffectus *Iohannes* 5. *Theophanes*, Antioch. episc. mortuus. *Ecfrido* regi, a Pictis occiso, succedit nothus frater *Alcfrid*, *Lother*, rex Cantuar. mortuus, succeſſit *Edric*. *Kentuino*, regi occid. saxonum, succeſſit *Cedwalla*, qui antea per annos X paterno regno caruit. *Theodericus* 3 ius *monetae* concedit episcopo Cenomanensi, *Aigliberto*; diploma apud *Mabillonium* in veter. analectis; idem *Archicapellanus*, hic primum, nominatur; vide *de Marca*, in Concordia lib. 4, c. 7. *Bercharius*, abbas dervensis, a monacho occisus; dicitur etiam Hierosolymam adiisse.

A. Christi

686. Hegiræ 67. die 28 Iul. *Ioanni* papae suffectus *Conon*; eum Exarcha confirmavit. *Kilianus*, hoc aut superiori anno ex Hibernia in Franciam orientalem, et *Herbipolin* venit; Romam adit. Hoc anno *Iulianus*, ep. tolet. scribit contra Iudaeos; ex quo apparet, aeram *Dionysiacam* in Hispania iam vsurpatam, vt iam in Anglia fuit. In *Galliam* vero post initium sequentis seculi introducta est. Synodus *rotomagensis*; Pagi ad an. 682. n. 8. *Berthavius* post Waratonem Maior domus. *Vectis* insula, et gentilis populus Australis *Saxoniae*, sub rege *Ceadwalla*, ad christiana sacra a Wilfrido adducitur. *Theodorus* aep. et *Wilfrid* in amicitiam redeunt.

687. Hegiræ 68. die 12 Iul. Cononi papae successit post 2 alios reiectos, *Sergius*. *Cuthbertus* in eremo mortuus; acta SS. die XX Martii; in episcopatu successit *Eadbert*. *Eruigius* rex, postquam filiam Cixilonem dedit *Egicae*, moritur. Celebris pugna ad villam *Textricium*, inter *Pippinum* et *Bertharium*; ille victor inde per tria regna solus *maior domus*, regibus vanum nomen relictum. *Wilfrid* redditur episcopatui eboracensi.

688. Hegiræ 69. die 6 Iulii. Concilium *toletanum* 15. *Pippinus* idem, quem Heristallum solent dicere, *Alpaidem* sub hoc tempus sibi sociauit; e qua *Carolus Martellus* natus; retenta *Plectrude* coniuge; duas igitur coniuges habuit. *Iustinianus* contra Bulgaros mouet, fortunam postea minus fauentem expertus. *Ceadwalla*, abit a regno, et *Romam* pergit, christianorum sacrorum causa.

689. Hegiræ 70. die 25 Iun. *Kilianus* et socii *Wirceburgi* martyrium patiuntur. *Pippinus* contra *Ratbodum* in Frisiam ducit exertum, eumque ducem tributarium facit; (in Frisia citeriori).

690. Hegiræ 71. die 14 Iun. Sub hoc tempus *Widbertus* ex Hibernia, ab *Ecberto* presbytero mittitur in Frisiam, vt religionem christianam ibi promoueret; per biennium nihil effecit; ideo rediit. Alii iam hoc anno in eius locum *Willibrordum* cum 12 sociis ab Ecberto missum volunt; *Pagi* in annum sequentem melius differt. Moritur *Theodorus*, cantuar. aep. ei *Bertualdus* successit. *Iam enim desinunt episcopi*

A. Christi 690. *scopi* Roma missi ad sedem cantuar. *Iulianus* tolet. episc. moritur.

691. Hegiræ 72. die 4 Iun. *Theodericus* 3, rex moritur; successit *Chlodoueus* 3; Pagi ad a. 688. n. 3. 4. *Concilium* caesarauguſtanum 3. Sarac. Carthaginem expugnant; cum Imperator pacem fregisset; Graeci tamen scriptores nihil de Carthagine, hoc tempore, narrant.

692. Hegiræ 73. die 24 Maii. Imperator Romam mittit, qui contemtum Synodi quinisextae prohibeant. *Wilfridus*, ebor. ep. apud regem Aelfridum accusatus, sede sua rursus pellitur; a rege Merciae susceptus ad *Sergium* romanum ep. rem defert, sed nihil omnino papae decretum effecit; a rege Merciae factus est episcopus *Licitfeldensis*, inter Anglos Mediterraneos. In Cantia regnat *Wichred*, Ecberti filius, post varias turbas. *Ina*, rex occid. Saxon. *Synodum* habet episcoporum, ex tota paene Britannia. *Adhelm* s. *Aldhelmus*, presbyter, iussu synodi scribit librum *de Pascha*, contra Britones; hic postea episcopus fit Schireburnensis; acta SS. d. 25 Maii.

693. Hegiræ 74. die 13 Maii. Concil. *toletanum* 16. Hoc anno *Theophanis* chronographia in viam redit, quae inde a *Phoca*, cuius vnum annum mutilauit, res vno anno tardius narrabat. *Suidbertus* ordinatur episcopus, (antequam *Bertwald* e Gallia, vbi consecrationem accipiebat, rediisset;) vt Boructuariis praedicaret. *Sebbus*, rex oriental. Saxonum moriturus habitum monachi ab episcopo *Waldhero*, (qui (nuper Erconwaldo, londin. ep. succesſerat,) accipit. *Beda* monachus, anno aetatis 19, fit diaconus, per episcopum *Ioannem*, iam Hagustaldensem, postea Eborac.

694. Hegiræ 75. die 2 Maii. Concilium *toletanum* 17. Concil. in Cantia, *Becanceldae*, sub praesidio regis *Withred*; subscripsit etiam *regina*. *Iustinianus* imper. omnium odia in se excitat, ministrorum tyrannide. *Landricus* ep. *meldensis* floret, alii falso *Mettensem* faciunt; Pagi contra Henschenium, (die 17 April).

A. Chriſti 695. Hegiræ 76. die 21 Apr.

Imperator Iuſtin. per *Leontium* throno deiicitur. Moritur *Ansbertus*, epiſc. rotomag. Bolland. d. 9. Februar. *Chlodoueus* 3 mortuus; ſuccedit frater *Childebertus* 3. Pippinus *Radbodum* apud caſtrum *Doroſtade* vincit; Pippini fil. *Drogo*, fit dux *Campanenſis*; *Grimoaldus*, fit maior domus in Neuſtria.

696. Hegiræ 77. die 10 Apr.

Willibrordus per Pippinum Romam mittitur, vt aepiſcopus Friſiae ordinetur. *Rudbertus* ſub Theodone 2, et filio eius *Theodeberto*, venit *Iuuauium*, in Baioariam, praedicandi cauſſa; copioſius de hac re aduerſus Hundium &c agit Pagi.

697. Hegiræ 78. die 30 Martii.

Hoc et ſequenti anno Saraceni Africam occupant; *Iohannes* Patric. a Leontio cum claſſe mittitur, qui Carthaginem recipit, et alias vrbes. Primus *Venetiarum* dux *Pauluccius*, in vrbe Heraclea electus. *Oſtrid* regina, *Editredi* vxor, a Merciorum primatibus, interemta. Falſa ſunt, quae Baronius de rebus a Willebrordo et Suidberto geſtis, hoc anno narrat.

698. Hegiræ 79. die 19 Martii.

Leontius throno deiectus; ſufficitur *Tiberius Apſimarus*, Saraceni recuperant Africam. *Lambertus* traiect. epiſc. *non hoc anno*, ſed 707 occiſus; de cauſa necis Pagi ceteris diligentius requiſiuit, et *Alpaidem Pippinumque* defendit. *Synodus aquileg.* ſub hoc tempus, qua concilium quintum ſuſceptum, reiectis 3 capitulis.

699. Hegiræ 80. die 9 Mart.

Floret *Adamnanus*, in monaſterio *Hienſi*; ſuis tamen ritum romanum perſuadere non potuit. *Naidanus* rex Pictonum, Paſcha romanum recipit; etiam eccleſiam more romano aedificari iubet. Exercitus Graecus contra Saracenos vsque ad Samoſatam progreſſus.

700. Hegiræ 81. die 25 Februar.

Cuniberto, regi Longobard. ſuccedit filiolus *Liutbert*, ſub Ansbrandi tutela. Saraceni *Antaradum* fruſtra oppugnant. *Mabillonius* in annalibus hoc anno recitat *Papebrochii* epiſtolam, qua archiuo *Sandionyſiano* honorem reſtituit; agit etiam Mabill. de *Regula Magiſtri*, eamque excerpit.

SECV-

SECVLVM VIII.

CAP. I.

De propagatione publicae religionis.

Differimus, vt breuitati, quae modicum corpuſculum decet, ſtudeamus, recenſionem *Imperatorum* et *Regum*, ſub vtroque ſole, in *tabulam* ſeculo huic, vt facere ſolemus, ſubiiciendam; nec enim vel rerum publicarum, quae *eccleſiaſticarum* nomine comprehendi ſolent, deſcriptio carere poteſt, etiam regum, quorum ſine auctoritate vix aliquid geſtum eſt, commemoratione. Solet certe plerisque omnibus imponere illa *propagatae religionis* imago; vt fere ſic eam fingant, ac ſi publica conſilia abfuiſſent, atque eam in rem opera collata ſit, vt homines et gentes, potius ad religionem illam meliorem, quae fuit ex Chriſti diſciplina informata, traducerentur, quam vt imperio ciuili pars noua adiiceretur. Hanc ego rem non poſſum hac ratione fingere, cum facile pateat, aliis conſiliis praecipuum locum fuiſſe; atque hic profecto illa omnis ratio quaerenda religionis publicae aut rudioris atque inuenuſtae, aut prauae atque alii tempori aliisque hominibus minime adhuc conuenientis. Politici imperii igitur modus cum ſenſim emendatus fuit, hominumque animus rudem conſuetudinem atque barbariem depoſuit, ſuccreſcente litterarum bonarum miniſterio atque exercitio: tum ſimul etiam probiores et peritiores religionis publicae interpretes atque miniſtri non defuerunt. Vitia certe ciuilis regiminis ad religionis publicae ipſam indolem corrumpendam, liberalisque mentis domeſticum vſum impediendum, multum contulerunt. Scimus profecto per ſuperiora iſta ſecula non de-

defuisse vtriusque mali luculenta exempla, vel inter eos, qui Catholicorum nomine solebant superbire; sic, vt inter *Gothos*, *Longobardosque* et *Saracenos* vix tam insignia improbae mentis et eximiorum scelerum documenta, reperiantur, (vt animi turpitudinem et superstitionis immanitatem iam non repetamus,) quam inter publicae religionis christianae socios et ciues, quasi continuo legentium taedio, oculis se offert parum laetum spectaculum. Discamus autem ex illa veriori historia, quid ad christianam religionem pertineat, et quid temporum locorumque vitio cum ea infelici omine coniunctum fuerit; vt illa perpetua et decora et praesidia fortunatae et liberalis vitae sic ipsi sequamur, nostro aliorumque commodo, vt recte statuere audeamus, de ista, quae superuenit, siue hominum siue temporum malignitate.

Igitur publicae religionis propagatio, etsi eius ingenium nec antea fuit obscurum, hoc praecipue seculo eius fere est generis, vt facile pateat: (quod etiam quorumdam scriptionum narrationumque fide non obscure scimus,) non abfuisse regum magistratuumque summorum et auctoritatem et adiumentum. Vel illa *Frisonum* christiana caussa, cum *Rathbodus* regulus pati nouae religionis ministros nollet, tandem *Pippini* mandatis et iussibus, pulso ex altera prouinciae parte regulo, superior fuit. Eamdem aulae *Francicae* auctoritatem luculenter perspicimus, in historia Anglorum ecclesiastica; Regum quaedam filiae antea Anglis regulis in matrimonium datae; ministri sacri ex Hibernia inter Gallos antea plerique versati; Episcopi etiam in Galliis olim consecrati. Similiter, cum *Baioarii* duces ex Francicis palatiis designarentur, etiam inter Baioarios res christiana per varios ministros sacros procurata fuit; nec aliter historia *Saxonum*, *Thuringorum*, sacra habet. *Roma* vero, quasi christiani sub occidentem solem orbis metropolis, inde ab aliquo tempore, ministrorum ex monastico ordine, quos Papa solus Apostolorum reliquiis munire poterat, sedulis studiis ita caput extulit, consentiente regum exterorum, qui

a Papa

a Papa et ipsi prae ceteris regibus honorem nouum, ex Graecae maiestatis ruinis, sperabant, fauore: vt hoc seculum praecipue Papae secutam paulo post insignem auctoritatem et potentiam parturiisse dici possit; monachi vero diligentes nutritores nouae sacrae potestatis haberi queant. Nouae prouinciae et gentes, si quae Francico dominio subiicerentur, (bella autem solebant monachorum ista itinera et studia praecedere): his profecto iisdem ministeriis artibusque etiam conseruari et defendi debebant; nec enim, si insignia praemia defuissent, noui semper operarii suppetebant. Sed sic ingentia praemia facile persuadebant vel vitae pericula subire; alii Episcoporum nouo honore, alii Abbatum dignitate aucti; ceteris autem, qui generis nobilitate alios antecedebant, sed palatinis ministeriis et publica militia non delectabantur, fuit in sacro ordine, atque inter monachos satis certus locus, et ad maiorem dignitatem exspectandam, et ad vitae humanae faustam tranquillamque rationem. Itaque nec vnquam homines de plebe, aut inferiori loco inter istos reperimus, qui huius generis bene meritis et istam prae aliis in vita gerenda dignitatem, et post mortem *sanctorum* nomen honoremque ad posteros publicum, nacti sint. Eadem ratio fuit *virginum* sacrarum, seu monacharum, fuerunt aut regum principumque et eximiorum parentum filiae; quibus, si aut locus et spes defuerat, paris coniugii, aut haec illa alia obstaret caussa, in monasteriis et regiminis aliquod instar, et vitae exoptata tranquillitas supererat. Non ignoramus, nec superstitioni fuisse nullas partes, quam insanis narrationibus et callidis studiis vafri quidam homines promouebant, siue quia scirent, hac via succedere, siue quia et ipsi ius fas esse statuerent, vel his vti ad populum imperitum adiumentis; sed audemus arbitrari, deditis consiliis et sedulis studiis longe plus datum fuisse, quam superstitioni. Itaque et istae ingentes diuitiae, ista multa praedia, quae ecclesiis monasteriisque tam cito accreuerunt, non tam religionis impotenti modo, quam prudentiae et consiliis donantium tribuere licet; etsi clericorum ministeria, qui tabu-

tabularum faciendarum et litterarum consignandarum provinciam soli capessebant, sacro quodam scribendi genere, et lingua vtuntur sua, i. e. ecclesiastica; atque id scribendo produnt, quod honorificentissime dici poterat. Scimus certe, *latinae* linguae illam mediocrem consuetudinem solis clericis tribuendam esse. *Angli*, Saxones, Franci, *Alemanni* &c. latine non intelligebant.

Eo plus autem studii atque operae in alias gentes sub occidente sole romani episcopi impenderunt, quo magis continuo fere experimento perceperant, *Graecos imperatores* praeferre res graecas orbi latino, cuius vix aliquot angulos aegre per Exarcham in Italia retinere poterant. Ab his non solum nihil adiumenti ad honorem ecclesiasticum augendum sperare romano episcopo licebat: sed etiam non raro per Exarchas vis et periculum ingens afferri solebat. Itaque c. c. *Iohannes* 6, qui *Sergio* ipso seculi initio successit, facile militum fauorem ita per suos sibi conciliauit, vt parere Exarchae noluerint; atque hic ipsum papam defensorem et tutorem expetierit aduersus suos. Nempe papa *Graecorum* res omnino abiecit, atque ad *Francorum* et per eos *Anglorum* certiorem potentiam se conuertit; *Hispani* enim a *Saracenis* paulo post vehementer debilitati, parum ad *romana* consilia conferre posse videbantur. Hic tamen illud silentio praeterire non licet, quod lucem afferet, ad perspicienda romani episcopi studia, et *Francica* illa siue obsequia siue ministeria. De rege Hisp. *Witiza* eiusque rebus gestis pessima omnia narrari solent; atque *Baronius* ad an. 701 n. XI seqq. satis copiose concionatur, de causis collapsarum in Hispania rerum; *Witizae* scelera et flagitia ex *Luca*, *tudensi*, describit: quae inter praecipuum illud fuisse putat, quod hic rex *episcopos suos*, *ne obedirent romano pontifici*, *sub mortis interminatione*, *prohibuerit*; clericos autem omnes matrimonio vti praeceperit; inde ceteris flagitiis locum latum fuisse, tandem dei vltionem per Saracenos non deesse potuisse; sunt autem satis horrida atque barbara illa scelera, quae aut narrantur

tur aut finguntur; accedit autem ad ceteram, cui locus est, dubitationem, hoc: quod *concilium toletanum* 18. quod sub hoc rege habitum fuit, vix nomine solo recensetur; canonum vero et statutorum nihil quicquam supersit; nempe, vt fere omnium sententia est, (Baronius sic scribit,) ideo placuit aeterno sepeliri silentio, quia complura sancita fuerint in hoc concilio, *piae institutioni atque ecclesiasticae* (i. e. romanae) *disciplinae* contraria. Oportet profecto inusitatam peruersitatem atque vitiorum barbaricam aliquam societatem fuisse, quae omnes episcopos ita corruperit, vt nemo superfuerit, qui vel querelas scripserit aut vel lubens solum mutauerit, atque aut inter Francos aut Italos, et pietatem in homines et ecclesiasticam probitatem sine impedimento coluerit; dicitur tamen *Witiza* hos illos episcopos e regno suo eiecisse. Si vero redimus in superius seculum, facile ea vestigia reperimus, Hispaniae episcopos papae iam isto tempore noluisse subesse; nec ab ipso accipere sacras sententias aut dogmatum auctoritatem, cum in concilio *toletano* 15, satis libere sententiam aduersus Benedicti 2 censuram dogmaticam tulerint. His regibus, facile credimus, mentem porro fuisse, vt, cum sperare a Papa nihil potuerint, Episcopos etiam a Papa ad *morem romanum* et disciplinam istam ecclesiasticam alligari noluerint; ideo *officium Hispanorum* sacrum, *Missale* &c. non parum differt, ab officio et ritu romano. Sed et facile intelligimus, papam parum fauisse his regibus; atque eorum praetulisse amicitiam, qui et potentiores essent, et propinquiores *Italiae*, atque a Saracenorum potentia et armis periculum metuere vix vnquam poterant. Rem omnem et illud videtur confirmare, quod *Hispani* a *Saracenis* ita opprimuntur, vt, simul Graeci istas arces et partes prouinciae, quas adhuc tenuerant, non amittere non potuerint. Graecos autem ex occidente orbe Papa plane eiectos optabat. Nec Hispanis videmus a Gallis aut aliis gentibus aduersus Saracenos auxilia missa esse. Tandem *Gregorii* VII istis epistolis, quas *Baronius* hic recensuit, caussa vniuersa illustratur; scribit

ſcribit enim *Gregorius* iſto tempore: *Hiſpaniarum regnum* a Gothicis regibus, ante Saracenorum inuaſionem, *romanae eccleſiae traditum* fuiſſe ſic, vt id quidem ipſi retinuerint, ſed annuo tributo perſoluto, nomine rom. eccleſiae poſſederint. Nempe ita ſtilo eccleſiaſtico ſolet ea res deſcribi; S. Petrum fas non eſt expertem eſſe redituum publicorum, ſi quidem reges aut auxilio Papae vti, aut ab eius ira et poenis tuti eſſe voluerint. Nec deſunt ſatis clara rei documenta vel ex hoc 8 ſeculo; regem Weſtſaxonum, *Inam*, narrant plures ſcriptores, *primum* omnium regum *denarium S. Petri* ex ſingulis domibus regni ſui, conceſſiſſe; anglice, *Romeſcot*; vid. *Mabillon.* acta SS. ordin. Bened. ſec. 3. parte 1. pag. 493. Nec aliter interpretamur, quod *Aribertus*, rex Longobard. an. 707. *alpes Cottias* per priuilegium aureis litteris ſcriptum, S. *Petro* et Ioanni papae 7 obtulit: quam, quod fauorem et auxilium papae rex maluit, quam eius odium et noua conſilia experiri. Sed iſta ſuffecerint attentis hiſtoriae lectoribus, vt de illa propagatione externae ſocietatis chriſtianorum recte ſtatuant.

Non iam repetimus, quae de miniſteriis et ſtudiis *Suidberti*, *Friſonum* apoſtoli, *Lamberti*, ſeu *Landeberti*, traiect. ep. *Willibrordi* &c. iam inde a ſuperiori ſeculo varie narrari ſolent. S. *Vrsmarum* tradunt quidam inter Flandros, verſus *Menapios*, praedicandi cauſſa progreſſum, qui adhuc vanis gentilium ſuperſtitionibus detinebantur. Eius miraculis et praedicatione multi ad fidem conuerſi, *ex magna parte praediorum haeredem eum* ſtatuunt, et eccleſiam Laubienſem; eius ille abbas per *Pippinum* factus fuerat; dicebatur etiam *epiſcopus*, ſed tantum praedicandi gratia ordinatus fuit epiſcopus; acta SS. *Mabill.* ſeculo 3. parte 1. p. 256. De *Bonifacio* autem paulo copioſius et hic agendum eſt, cuius apoſtolatus ſolet omnium veterum conſentienti voce celebrari. *Winfrid*, hoc enim ei inter Saxones occidentales Anglos nomen fuit, inde ab anno ſeptimo in monaſterio; fit presbyter tandem; ſed cum in

patria

patria magnarum rerum gerendarum occasio deesset, anni 718 autumno *Romam* abiit, vt a *Gregorio* 2 facultatem inter *Germanos* praedicandi impetraret. Ne nihil perspiciamus, de consiliorum opportunitate repetamus, non solum *Ceadwallam* regem sub finem superioris seculi, Romam secessisse, sed et an. 709. *Coenredum*, Merciorum regem; et cum eo Offam, oriental. Saxonum regem, Romae monachos factos; atque, vt *Paulus* diac. scribit, his temporibus multos *Anglorum* nobiles et ignobiles, viros et feminas, diuini amoris instinctu Romam venire consueuisse. Paullo ante is iam in *Frisia* tentauerat locum sibi inuenire; sed res non successit, interueniente bello *Caroli Martelli* cum *Radbodo*. In Angliam redux, noluit abbas esse; sed accepta *Danielis*, episcopi occid. Saxonum epistola, *Romam* profectus est, (assumta collegarum multitudine in *Cuentavic*, (in Galliis portus Quentavicus,) vt Papae auxilio facilius propositum consequeretur. Facile impetrauit a papa, quod non poterat non papae esse longe gratissimum, qui per suos Romanos eius generis consilia exsequi non poterat. Ad *Germaniae* igitur populos directus est, *Bonifacii* nomine nouo auctus; cum numerosa *Reliquiarum* multitudine, iter per Longobardos et *Baioarios* in *Thuringiam* fecit, (iuxta mandatum apostolicae sedis; nempe a *Frisiis* eum papa auertit;) hic *senatores* et populi principes verbis spiritualibus affatus est: iuxta insitum sibi mandatum apostolici. Facile intelligimus, Christianum nomen hic non inauditum fuisse; (iam sub Clodouei M. filio; *Gregor.* tur. lib. 3. cap. 4 seqq.) nempe et sacerdotes et presbyteros ad castimoniam traducere conatus est; et populum ad veram lucem prouocauit, quam *olim ante* maxima ex parte amiserant. Sub Francorum enim dominio Thuringia fuit; interea *Ratbodo* mortuo, rediit ad *Fresones*, cum *Caroli imperium super eos roboratum esset;* i. e. cum dominus nouus Fresones ad sacrorum societatem translatos vellet. Sub *Willebrordo* aepiscopo, hoc ministerio functus est *Bonifacius*. Senex is episcopi honorem *Bonifacio*

ſuaſit; ſed excuſauit ſe hac ratione, quia *legato papae* ad gentes germanicas, ſine eius venia, exire iſto miniſterio non liceat. *Chattos* ſeu *Heſſos* iam adiit; et 2 fratres, qui genti praeerant, *Dedticum* et *Dierotſum*, a ſacrilega idolorum cenſura (ſic in *vita*; an cultura?) qua ſub *quodam chriſtianitatis nomine* male abuſi ſunt, reuocauit. Nempe iſtos chriſtianos, ſed libera et ſua lege viuentes, *ad morem et ritum romanum* traduxit. De felici rerum ſucceſſu per *Binnam* papam fecit certiorem; et de variis caerimoniis papae ſententiam, vt decuit romanum miniſtrum, rogauit. Intellexit papa opus eſſe, vt cum *Bonifacio* ipſe ageret praeſente; eum igitur ſtatim *Romam* aduocauit. De ſymbolo et fidei confeſſione papa ex eo quaeſiuit; hic ſibi paululum temporis indulgeri petiit; quia ſatis promte eccleſiaſtica illa lingua non vtebatur; ſcripſit igitur *trinitatis fidem vrbana eloquentiae ſcientia.* Papa iam in eum Epiſcopatus honorem contulit; tradiditque libellum, in quo ſacratiſſima *eccleſiaſticae* (romanae) conſtitutionis iura e pontificalibus congeſta ſunt conuentibus; et imperauit, vt ex hoc inconuulſa apud ſe *pontificalis* haec *diſciplina* et inſtitutionis ordo permaneret; et *Karoli* ducis glorioſi, ſuis ſacratiſſimis litteris, regni munimini ac deuotioni ſanctum hunc virum ſubiugauit. (Sic vitae auctor *Willibaldus*; ne ignoremus, *Bonifacium* Francicae aulae adiumentis non caruiſſe, atque de ſummis conſiliis Carolo et Papae conueniſſe.) Redux *Carolo* papae litteras tradit; eiusque dominio et patrocinio ſubditus *cum conſenſu* Caroli ducis ad obſeſſas antea Heſſorum metas rediit. Hic de aruſpiciis, diuinationibus, ſeu vt verbo dicam, de paganiis populi multa narrantur, quae facile credimus. In *Gicesmere* (*Geismar*) ingens arbor, *Iouis robur*, ſucciſa; ex lignis oratorium S. *Petri* conſtructum. Inde in *Thuringiam* abiit; cuius pars magna, poſt duces *Theobaldum* et *Heden*, a *Saxonibus* occupata fuerat. Interea et haereticae prauitatis ſecta introducta fuerat; ex quibus eſt *Torchtuine*, *Berchthere*, *Eanbercht*, *Hunred*, fornicatores

catores et adulteri; hi iam expulsi fuerunt, veris verborum oppositionibus confutati. Ecclesiae nunc instauratae; *monasterium* (huius status amatores antea hic nulli fuerunt;) in loco *Ordorp*, (Ordruff,) constructum. Fama successuum late sparsa; itaque et ex *Britanniae* partibus plurima seruorum dei (monachorum) tam *lectorum*, quam *scriptorum*, aliarumque artium eruditorum virorum, ad eum venit (vocata) multitudo. Ad nouum papam *Bonifacius* alios nuntios misit, eique prioris amicitiae foedera, quae misericorditer ab anteceſſore suo in Bonifacium et eius familiam collata fuerant, manifestauit; *ii et deuotam eius* in *futurum humilitatis subiectionem* promiserunt. Papa in Bonifacium archiepiscopatus pallium eum sanctorum reliquiis misit. Iam Ecclesias in *Fritislar* et *Hammanaburg* aedificauit. Inde *Baioariorum* terras adiit, tempore *Hucberti* ducis; et schismaticum quendam *Eremvulfum*, iuxta canonum (romanorum) decreta abiecit. Porro tertium *Romam* profectus est, publicae rei caussa; redeuntem *Bavariae* dux, (*Francorum* auctoritatem reueritus,) *Odilo* ita excepit, ut passus sit in 4 prouincias diuidi Baioariam, et totidem episcopatus, *Salzburg. Frisingens. Reginoburg.* et *Patauiensem.* Post *synodum* in Francia sub Caroli Martelli filio, (*Carolomanno*,) habitam, in *Frisiam* praedicaturus perrexit; eo in concilio *romanae* ecclesiae sedisque apostolicae legatus praesedit *Bonifacius*, consentiente Carolomanno; porro *Willibaldo* commendauit parochiam in *Eichsted*; (alibi legitur *Erpisford*) *Burchardo* vero *Würzeburg*, atque ecclesias in confiniis *Francorum*, *Saxonum* et *Slauorum* suo officio deputauit. In *Frisia* multos baptizauit, cum coepiscopo *Eobano*, (alii Coebano, Dobano), quem in vrbe *Trecht*, *Vltraiectum*, surrogauit; cum presbyteris *Wintrung*, *Walter*, et *Etheler*; cum leuitis s. diaconis *Hamunt*, *Scirbald* et *Bosa*; *Waccar*, *Gundecar*, *Illesher*, et *Bathoulf.* Cum secessissent interea noui christiani, pagani in eum et socios irruerunt, iisque occisis capsas reliquiarum et librorum the-

cas abstulerunt; *post triduum* vero Christiani ex vicinia par pari retulerunt, magna clade affectis paganis; tum et libri illi inuenti, et corpus *Bonifacii* in *fuldense* monasterium ablatum.

Haec ex vita seu historia *Bonifacii* descripsimus; ex quibus satis constat, istum apostolatum *Bonifacii* ex auctoritate aulae Francicae praecipue deriuandum esse; atque ex ista causa licet de aliis sententiam ferre; plura, quae ad omnem sacrae prouinciae indolem pertinent, in locum de *conciliis* &c. colligemus. Sub *Dagoberti* tertii filio *Theoderico*, de studiis *Pirminii*, chorepiscopi narratur; quem *Sintlaz* aliquis, ex primatibus *Alamanniae*, rogasse dicitur, vt ex Francia in *Alemanniam* veniret: cuius doctores dormitarint, commissosque ita neglexerint, vt ea gens denuo in paganismum labi videretur; vterque papam adiit; atque is *Pirminio* litteras ad regem *Theodoricum* dedit, quibus eum rogauit, vt adiuuaret pium vtrorumque consilium. Id ita factum est; conuocati episcopi a rege, spondent, omnem libertatem et opportunitatem se suffecturos; inde in in insula *Augia* monasterium erectum fuit; porro *Altaha*, *Scutera*, *Gengenbach*, *Suarzaha*, *Murbach*, *Moresmunster*, *Nowenwilare*, *Horbacense*; vid. vita *Pirminii* apud *Mabillon.* in Actis SS. Bened. seculo 3. parte 2. Celebratur etiam ex *Alamannis Othmarus*, cuius vitam *Walafrid Strabus* scripsit; *Othmarus* apud *Pippinum* regem de violentia comitum *Alamanniae*, *Warini* et *Ruadhardi* questus fuit, qui res ecclesiarum sibi vindicarant; in *Othmarum* vero accusatio stupri ita valuit, vt in palatio apud villam *Potamum* inclusus fuerit. *Wunebaldus*, Willebaldi frater, anno aetatis 19. Romam cum fratre iuit, quia in extremis barbarorum finibus vitam ducere monachicam desiderabat; post 7 annos in Saxoniam rediit; post, eum Bonifacius, quem sanguine attingebat, fecit presbyterum, et 7 ecclesiis praefecit; inde in *Baioaria*, sub *Otilone* duce, canonicae institutionis sacramenta renouauit; (canones de gradibus prohibitis;) tandem

dem *Moguntiam*, atque inde ad fratrem, episcopum Eichstadensem venit, atque emit locum *Heidenheim*, vbi monasterium condidit. In terra *Sualeueldorum* plurima *paganicae* prauitatis praestigia et multos idololatriam colentes inuenit. S. *Alto*, e nobilissima Scotorum stirpe, in *Bavariam* venit; ei *Pippinus*, Caroli M. pater, siluae magnam partem donauit, quam in frugifera iugera mutauit, et monasterium sui nominis aedificauit. S. *Liobam*, virginem e Saxonum in Britannia gente, *Bonifacius* in Germaniam euocauit, quae Sanctimonialium in *germania* antesignana et *Apostola* haud immerito dici potest, vt quidem *Mabillon.* autumat, loc. citato pag. 245. magistra fuit in *Bischofsheim*, atque inde plures discipulae eius factae sunt in aliis monasteriis magistrae. Ex vita *Liobae* apparet, non omnino in eximio honore et fauore populi tot monasteria eorumque illam conditionem, fuisse. Narratur de infante in aqua inuento: mulier, quae cadauer inuenit, villam omnem furore et clamore compleuit, o quam casta congregatio! virgines sub velo positae filios pariunt, matrum pariter et presbyterorum fungentes officium; eosdem, quos generauerint, ipsae baptizant — sed postquam cum *litaniis* monasterium ter in die circumierant cum cruce, mulier illa, cuius hoc fuit flagitium, a daemonio correpta, fatetur se ream esse. — *Autpertus*, ex archicancellario *Caroli* M. monachus in B. *Vincentii* ad Vulturnum monasterio, atque inde abbas factus est; eius exemplo multi ex aula regia *militiae cingulum* deponentes religionem amplexi sunt. *Sturmium* iam *Bonifacius*, cum in *Norica* prouincia versaretur, parentum nobilium precatu in seruitium dei adsumserat; is postea presbyter factus in Eremum *Hersfeld*, in Saxonum confinio, secessit cum 2 sociis; a *Carolomanno* ei impetrauit Bonifacius locum *Aichlocha*, cum marca per 4000 passus; rex etiam viros nobiles in regione *Grapfeld* admonuit, vt donarent, quod ibi possidebant, seruis dei. *Bonifacio* auctore *Sturmius Romam* profectus est, vt monasteriorum italicorum formam

eo accuratius imitari posset. Hic clare narratur, (in vita *Sturmii* cap. 15.) Bonifacium *inito cum Rege* et ceteris christianis *consilio*, ad ulteriora Frisiorum loca paganica ingressum esse. *Lullus* interea episcopus monasterium *Fuldense*, electo Sturmio, quasi in regem parum fideli, sibi subiicere conatus; tandem tamen *Sturmio* redditum fuit. Legatus postea fuit *Karoli* ad *Thassilonem*, Noricae provinciae ducem.

De *Saxonum* conuersione per *Carolum* haec *Sturmii* vita narrat; eam gentem paganicis ritibus nimis deditam et cunctis infestam fuisse; itaque *Carolus* cum magno exercitu, adsumtis vniuersis sacerdotibus, abbatibus, presbyteris et omnibus orthodoxis, in Saxones profectus, *partim bellis*, partim *suasionibus*, partim *muneribus*, maxima ex parte gentem illam ad fidem Christi conuertit. Et post non multum tempus prouinciam illam in *parochias prouinciales* diuisit; pars maxima beato *Sturmio* committebatur. Rebelles Saxones alio bello oppressi, et *Carolus* ad *confirmationem fidei* cum alio exercitu in terram illam venit, et *Sturmium* ad tuendam vrbem cum sociis in *Heresburg* sedere iussit; is paullo post an. 779. mortuus fuit.

Ex *Hibernia* in Franciam venit *Virgilius*, futurus *Carinthiae* apostolus; (vita apud *Mabillon.* sec. 3. parte 2. p. 310.); *Pippinus* enim episcopatum *Salzburgensem* ei concessit, eumque duci *Othiloni*, norico, s. Baioariae, transmisit cum honore excipiendum; *Virgilius* secum habuit per 2 fere annos alium episcopum de patria, *Dobda*. *Slauorum* e Carinthia solebant obsides apud Baioarios teneri, et *christiani eis duces* mitti; tandem *Chetimarus* dux eis datus, qui caput suum in seruitium dei ad Iuuauense monasterium inclinauit, singulis annis aliquod obsequium illuc persoluendo; (i. sub conditione propagandorum christianorum sacrorum, dux factus.) Iam inuitauit dux Virgilium; is misit alium episcopum, Modestum, cum presbyteris 4, et aliis clericis; nunc ecclesiae dedicatae, &c.

sed

sed seditio interuenit paulo post, prima, secunda, tertia; (*Carinthii* noluerunt clericis istis subiici.) Tandem satis firma videbatur religio; etiam *Virgilius* ipse visitaturus accessit; ei *principes* cuiuscunque regionis obuiam venerunt cum pompa — Ex *Anglia*, quae quasi patria et seminarium fuit missionariorum, etiam *Lullus* venit, cum matertera *Chunihild*, eiusque filia *Berathgit;* Lulli auunculus aliquis *Romae* vixit; eius cognatus etiam *Rothuin*, in epistola inter Bonifacianas 101. 102. tandem *Lull* Bonifacio in sede moguntina suffectus. Ex Nordhumbria etiam *Willehad*, presbyter, proposuit sibi iter ad Fresones et ad Saxones paganos, cum regis Anglici venia. Ei nobiles Frisones infantes suos erudiendos tradiderunt; alios gentiles baptizauit; cum vero famulus eius fana diruere, irruerunt in eum; feliciter tamen *capsa cum reliquiis* collo impensa ictum gladii excepit, ipso saluo. Tandem *Carolus* eum arcessivit, illo aduersus Saxones vsurus; *auctoritate itaque* regali ecclesias instituit in pago *Wigmode*. Sub *Wittekindo* a Saxonibus expulsus fugit; occisi tamen fuerunt presbyter *Folcardus* cum Emmingo Comite, *in pago Lari;* Beniamin, in Cibbriustri; Atrebanus, in *Thietmaresgao;* Gerwal cum sociis, in *Brema*. Romam interea is profectus; inde redux a *Carolo* praesidiis aliis adiutus rursus venit in *Wigmodiam*, ecclesias dirutas restituit; etiam *Wittechindus*, Karolo se subiiciens, baptizatus fuit; ita Saxonum, licet *coacta*, miteſcebant colla, et *Carolus*, cum Wormatiae esset, fecit *Willehadum* episcopum super *Wigmodiam*, *Laras*, *Ruistri*, (hic villa *Pleccateshem*, in qua mortuus est;) *Aftergao*, *Nordendi* ac *Wanga*. Cum Bonifacio ex Anglia etiam venit *Solus*, cuius vitam edidit Mabillon. seculo 3. parte 2. Tandem et in Auares seu *Hunnos*, in *Pannonia*, a Carolo M. arma aliquoties versa, qui non raro solebant in fines christianorum irruere; post minores expeditiones, inde ab an. 795. 796 magna *Pannoniae* pars a *Carolo* subacta; rerum ecclesiasticarum procuratio aep. *Salisburgensi*, Arnoni, demandata. Nempe et

Hunni ad christiana sacra tandem traducti; quam in rem *Paulinum*, aquilei. Patriarcham admonuit *Alcuinus*, haud dubie ex auctoritate Caroli, vt operam daret religioni inter *Hunos* proferendae, a quibus locorum minori interuallo seiungebatur; (Epistola *Alcuini* 112.) Huius *Alcuini* locum alium iam *Moshemius* descripsit, ex Epistola 104, qui istos Apostolos et rei indolem satis declarat, vt imponere nobis non possint, vel centum scriptores de vita horum *sanctorum*. Ita igitur ille: si tanta instantia leue Christi iugum et onus eius leue, durissimo Saxonum populo praedicaretur, quanta *decimarum* redditio, vel legalis, pro paruissimis culpis, edictis necessitas exigebatur, forte baptismatis sacramenta non abhorrerent. Sint tandem aliquando doctores fidei, apostolicis eruditi exemplis. Sint *praedicatores, non praedatores*! Nempe non christianam hominum perfectionem et dei inter homines liberalem honorem, sed sodalitiorum clericalium diuitiae et incrementa quaerebantur, quae semper etiam noua populorum tributa in aerarium publicum inferebant.

Sub orientem solem vix occurrit, quod huc in locum afferatur; periit sensim imperii graeci vis et potentia, itaque tantum abest, vt alias gentes sub iugum tam ciuile quam ecclesiasticum mittere imperatores potuerint, vt vix aduersus Saracenos, Bulgaros &c. res suas defenderint, *Nestorianos* tamen, qui e Graeco dominio lubenter exibant, iussu et auctoritate summi pontificis, per monachos suos, scimus christiana sacra ad alias gentes in Asia septentrionali propagasse; in *Hyrcania*, *Bactriana*, *Margiana*, *Sogdiana*; episcopos etiam summisit patriarcha; narrauit, sed minus copiose, *Thomas* Margensis, in historia monastica, apud *Assemanium* in bibliotheca orientali vatic. tomo 3; de episcoporum successione vid. *le Quien* in oriente christiano, tomo . pag. . Quod *Leo* Isaurus, *Iudaeos* et *Montanistas* ad baptismum compulit, vix huc pertinet.

CAP. II.

CAP. II.

De Conciliis, ritibus; atque varia superstitione.

Liceat inscriptione huius capitis vti, quod plura complectetur, quae ad societatum ecclesiasticarum statam indolem et historiam domesticam pertinent. Concil. *cantuar.* sub Berthwaldo, rege *Alfrido*, contra *Wilfridum*, cum quo Theodorus moribundus pacem tandem inierat. Videtur *Theodorus* aep. longe minus, quam ante ipsum alii, romano episcopo obsecutus fuisse, rerum sacrarum futurus ipse in eo regno praeses. Idem *Berthwald* fecit; itaque in concilio an. 701, de quo *Wilhelm.* malmesbur. lib. 3. de pontif. Angl. narrat, *Wilfrid*, eborac. episc. acriter in ceteros episcopos inuectus est, qui iam per 22 annos *praeceptis* trium Apostolicorum, Agathonis, Benedicti et Sergii, *increduli*, Theodori aep. acta diligerent; noluit sede sua ipse abire; sedem apostolicam appellauit, et 70 annorum homo *Romam* iterum iuit; missi et alii contra eum Romam; sed torrentem eloquentiae vincere non potuerunt; per quatuor menses 70 conciliabula coacta, tandem Wilfrido glorioſum exitum habuerunt — Inter se ergo romani diu multumque *graecizantes* (hoc adhuc seculo?) tandem ad *nostra* verba conuersi, damnarunt missos carcere dignos, missorem stultitiae, Wilfridum exsortem ab omni crimine. Nec tamen *Alfrith*, rex Nordhumbriae, cessit romano iudicio; sub mortem tandem resipuit, expertus papae minas omine non carere; denique et *Wilfrid* restitutus fuit. Fuerat praecipua controuersia de monasterio *Ripensi* et *Hagustaldensi*, quae sibi eripi *Wilfridus* non patiebatur. Epistola Papae *Constantini* ad *Brithwaldum* Aep. cantuar. per *Egwinum*, cum 2 regibus anglis redeuntem Roma episcopum, missa: vt *concilium* totius Angliae habeat, atque de monasterio, eo in loco construendo, qui in *visione*

Egwini per Mariam virginem designatus est, publice, cum regula *Benedicti*, quae minus in partibus illis habetur, sanciatur; papa donationes confirmat; adhaeret charta *Kenredi*, (rex *dono dei* Merciorum) et *Offa*, *diuina permissione* oriental. Anglorum, qui *ob finem mundi* pro redemtione animarum ac praedecessorum et subsequentium salute, donant &c. Illa charta videtur seriori tempore scripta esse; non solum ob subscriptiones, vt *Wharton* et *Pagi* iam monuerunt, sed etiam ob stilum. *Maria* apparuit cum 2 virginibus, librum in manibus tenens. Epistola *Synodalis*, *Iohannis* Constantinopolitani, ad papam *Constantinum*, apologetica; propter ea, quae tempore *Bardanis* tyranni gesta fuerunt contra sextam synodum; (ediderat iam *Combefisius* in histor. Monotheletarum, *Epilogum* &c. cum hac epistola;) Pag. 1847 Harduini exstat breuis narratio de concilio, omnium episcoporum et principum, comitum et sapientum, seniorum et populorum totius regni, per praeceptum regis *Inae*, de mixtis connubiis, vt *Angli* de Britonibus, et hi de istis, sic et *Scoti*, vxores acciperent; sic effecti reuera vnus populus, et vocatum est regnum *Anglorum*, et contra *Danos* et *Norwegienses* simul in vnum semper steterunt. *Synodum tongrensem* sub *Huberto*, 30 Episcoporum, in qua cathedra episcopalis Tungris iam *Leodium* translata sit, recenset *Harzheim*. ex Msta historia *Adolphi Happart*; idem *Synodi leodienses* 1, a. 710 canones X, a *Claudio Desprez*, patri Iesuitae *Robert* missos, (in notis ad vitam *Huberti* edidit;) descripsit. Forma verborum baptismi; *septennes* ad confirmationem adducendi, et adulti de peccatis suis confiteantur; presbytero saltim semel in anno *confiteantur* sui subditi — defunctis certo sciant vniuersi, deum reddere propitium *missae sacrificia quotidiana*, preces, *donationes*, *ieiunia*, vt eorum animae requie eo citius potiantur. Sed dubitare fas est, de antiquitate horum canonum. Nec magis certa est *synodus* secunda, quam *Hubertus* contra impugnatores sacrarum imaginum habuisse dicitur; cum istae

de

de imaginibus turbae ante annum 727, quo mortuus fuit *Hubertus*, sub occidente sole vix in *Italia* locum habuerint. *Concil. Romanum* a. 721. epp. 32. sub *Gregorio* 2; quia deo *sacratas mulieres*, et *propinquas* quidam in Italia ducere solebant; interfuit exul ex hispania, episcopus *Sindaredus*, tolet. *Sedulius*, Scotus, *Fergustus*, pictus. 14 presbyteri, 5 diaconi ecclesiae romanae, (cardinales postea nominant.) Ne *presbyteram*, *diaconam*, *monacham*, *commatrem* spiritalem; *fratris vxorem*, *neptem*, *nouercam* aut nurum; quis vxorem ducat. Si quis hariolos, aruspices, incantatores obseruet, aut phylacteriis vtatur, anathema. *Hadrianus*, filius Exhilarati, qui post praestitum sacramentum in apostolica confessione *diaconam* Epiphaniam in vxorem habet, anathema; etiam Epiphaniae, quae cum illo in fugam abiit; si quis ex clericis *relaxauerit* comam; anathema; omnes *tertio* respondent, anathema sit. Huius *Gregorii* 2 sunt etiam responsa ad *Bonifacium*, quasi *canonum* ecclesiae romanae loco ei missa. 1. Concedit in barbara gente, vt *post quartam* generationem matrimonia ineantur. 2. Si mulier infirma debitum viro non valuerit reddere — qui se non poterit continere, *nubat magis*, non tamen subsidii opem ab illa subtrahat. 3. Presbyter accusatus a populo, si non fuerint certi testes, iuramento se purget. 5. Congruum non est 2 vel 3 calices in altario ponere, cum missarum solennia celebrantur. 7. Non licet eos, eas, exire e monasterio, quos, quas, pater vel mater in infantiae annis tradiderint. 8. Etiam ii recte baptizati fuerunt, qui absque interrogatione symboli ab adulteris et indignis presbyteris baptizati sunt. 9. Si non fuerit, qui testificetur, paruulum baptizatum esse, baptizandus est. 10. *Leprosis* tribuatur participatio dominici corporis et sanguinis, sed cum sanis conviuia celebrare prohibeantur. 11. Non licet fugere, si pestis in ecclesia vel monasterio irrepserit. 12. Licet tibi cum presbyteris, episcopis, qui sunt multis vitiis irretiti, edere et loqui — contingit, vt, quos correctio disciplinae

tardos

tardos facit, *conuiuiorum ſedulitas* et admonitio blanda ad viam perducat iuſtitiae. (Iſtam epiſtolam *Gratianus* ſolet *tertio* Gregorio tribuere; ſed tempus obſtat.) Huic Gregor. 2. tribuitur etiam *capitulare*, datum legatis quibusdam in *Bauariam*; ſed ſine anno, nec *Baronius* de eo aliquid tradit; exſtat apud *Harduinum* pag. 1861 ſeq. ex eo deſcripſit *Harzhemius*, ſine vlla illuſtratione. Eccleſiaſticus ordo ſeu curſus *ex ordine romanae eccleſiae* inſtituatur: de lectione librorum V. et N. teſtamenti et horarum diurnarum et nocturnarum officiis; cap. 3. conſideratis locorum ſpatiis, iuxta *gehennationem* vniuscuiusque *ducis* epiſcopia diſponatis; ſi tres aut quatuor vel maioris numeri viſae fuerint conſtitutae ſedes, reſeruato praecipuo loco pro *archiepiſcopo*. — 5. Epiſcopis detur in mandatis, ne praeſumant ordinationes illicitas; ne digamum nec illiteratum, expoenitentem, in clerum admittant. *Afros* (donatiſtas, Manichaeos, ex Africa), ne ſuſcipiant &c. Haec omnia, quae hic cap. 5 faciunt, ſunt ex Epiſtola Gregorii ad *Bonifacium* conſarcinata, quam *Baronius* refert an. 723. num. 8. &c. Eſt haud dubie compilatio nullius auctoritatis. Capitulare ad Bonifacium exhibet *Harzhemius*; eſt illa epiſtola, qua reſpondet ad *Bonifacii* quaeſtiones, pag. 1858 *Harduini*, quam praecedit *Iuramentum* Bonifacii, quod Romae manu ſua ſcriptum obtulit; ſimiliter et aliis epiſcopis iurandum fuit, vt obſequium in Papam confirmaretur. *Gregorii* 3 ſimilis epiſtola ad *Bonifacium*, qua et *pallium* ei mittit, et reſpondet ad quaeſtiones eius. 1. Qui a *paganis baptizati* ſunt, denuo baptizandi, in nomine trinitatis; (hi cur id fecerunt, niſi lucri cauſſa?). 2. Ne edatur catulus agreſtis aut domeſticus. 3. Pro mortuis *catholicis tantum fiunt* oblationes a presbyteris; non pro impiis, quamuis chriſtiani fuerint. 4. Qui ſe dubitant baptizatos, aut a *ſacerdote Ioui* mactante et carnes immolatitias veſcente: rebaptizentur. 8. Quosdam ex fidelibus in partibus illis dixiſti mancipia ſua venundare paganis, *ad immolandum*; hoc corrigere debes. — Priuilegium *iuxta*

quod

quod petiisti facientes, his iunctum direximus. Excerptum a *Gregorio* 3 editum, e patrum dictis *canonumque* sententiis; de *poenitentia* ecclesiastica; quoniam confusa sunt *iudicia poenitentium* in presbyterorum nostrorum opusculis — haec autem epistola nostra nulli vilescat, sed sciat, a maioribus nostris ex sanctorum sententiis esse collectam, a *nobis excerptam.* Incipiunt *iudicia congrua poenitentibus*; capita 33. 1. prima est remissio peccatorum, in baptismo; — — *vndecima*, passio martyrii; de sacrilegio; caede; adulterio; fornicatio — cum sanctimoniali; 6. — ridiculosum est, vt quis pro tactu, vel osculo et amplexu mulierum, damnatus inueniatur. 7. Si quis *periurium* incurrerit, in altare, vbi reliquiae habentur — in manu episcopi vel in cruce consecrata — 8. Si presbyter diac. vitium ebrietatis in consuetudinem habent; vomitum facientes, 40 dies. — euomuerit *eucharistiam* — *si canes* talem vomitum comedant. — 9. Si *furtum capitale* — *humanius*, tres dies diffinientur. 10. Quicquid ad *idolum* datum fuerit, accepto in rationibus non feratur. 11. Incesti sunt — si mulier 2 fratres, aut vir 2 sorores habuerit. 16. Augures, harioli, aruspices anni tres; humanius, duo, vnum, aut dimidium, iuxta qualitatem peccantium. 17. Si mulier occiderit infantem, aut abortum facere studet — 20. Qui in demoliendis sepulcris deprehensus. 21. Si quis ordinatus in scelere sodomitico deprehensus — pueri vero, 50 dies poeniteant, et verberibus afficiantur. 22. Maleficia — si quis filium vel filiam *supra tectum* aut in fornace pro sanitate *febrium* posuerit, vel quando luna obscuratur clamoribus suis defensare — in honore Iouis, Beli, Iani — 24. De pollutione in somno — psalmos 7 poenitentiales; aut 30, aut 12, aut 22, aut totum psalterium cantet. 25. De mulieribus, an aut menstruo tempore in ecclesiam, aut ad eucharistiam accedant; — licet. 26. Qui immolat daemonibus in minimis causis, ad fontes, arbores — qui in *machinis* (maximis), in praecantionibus, caracteribus,

vel

vel in rebus ſuſpendendis et ligandis; in his ars daemonum ex quadam peſtifera *ſocietate hominum* et angelorum malorum, exorta. (Tamen dicit, in machinis immolare, eſt, vt arbitror, ſuis turpiſſimis imaginationibus *credere.*) 27. Fidelis, qui cum Iudaea vel gentili moechatur. — 28. Si euchariſtiam cauſa negligentiae perdiderit; ſi in terram ceciderit; aut, vt vermes in ea inueniantur, aut colorem ſaporemque perdiderit; ſi ſuper altare ſtillauerit calix, ſorbeat miniſter ſtillam — 30. Multa complectitur; ſi quis cum Iudaeis *paſcha* — ſi mulier cum altera coitum fecerit; molles; vir cum vxore retro nupſerit — ſi clericus *venationes* exercuerit; qui comederit ſordidatum a cane vel mure — qui dederit liquorem, in quo mus vel muſtela mortua inueniuntur, 7 dies poeniteat; qui id biberit, pſalterium cantet; ſi mus in farina, oleo mortua — 31. — ſi caſu dum ſacerdos inuitatus venit, aeger obmutuerit, vel in phreneſi ſit — ſi creditur continuo moriturus, *infundatur ori eius euchariſtia.* Minus autem certa eſt iſta canonum collectio, quia vel ex *Theodoro* cantuar. quaedam inſunt. Epiſtola *Gregorii* 3, ad varios *Germaniae* rhenanae epiſcopos, vt veniant ad *Synodum*, a Bonifacio indicendam, nominantur *Wiggo*, auguſt. *Luido*, ſpir. *Rydolfus*, conſtant. *Adda*, vel *Hetto*, argentor. concilium erit, ſiue iuxta *Danubium*, in ciuitate *Auguſta*, vel vbicunque iudicauerit. Alia epiſtola papae, qua laudat epiſcopatus in Bauaria a Bonifacio inſtitutos; et mandat, vt *papae vice* concilium iuxta ripam *Danubii* celebret. De *ſynodis* a *Bonifacio* habitis, variae ſunt ſententiae; alii, 2. 3. alii 5. 6. *Harzhemius* 7 minimum ſtatuit, in digreſſione ad ſeculum octauum, pag. 344 ſeq. ſed parum liberalis et erudita eſt iſta diſputatio; niſi quod contra Eccartum Epiſtolam ab *Othlono* datam, in vita Bonifacii, falſam eſſe ſtatuit. *Zachariae* papae reſponſio, ad quaeſtiones *Bonifacii.* Hic rogarat confirmationem per auctoritatem et praeceptum S. Petri, ne praeſentes et futurae generationes corrumpant parochias iſtas, (*Wirzburg*, *Buraburg*,

Er-

Erphesfurt,); etiam de synodo, quam *Carolomannus* volebat haberi; *Franci* enim per 80 fere annos synodum non habuerunt; episcopales sedes maxima ex parte per ciuitates traditae sunt *laicis* ad possidendum, vel adulteratis clericis; (i. maritis, sine auctoritate romana; itaque adulator Bonifacius praeceptum sedis apostolicae rogat.) Si inuenero diaconos, qui a pueritia in stupris vixerunt, concubinas 4. 5. vel plures noctu in lectulo habentes — — vt habeant praeceptum auctoritatis vestrae — et episcopi ebriosi, venatores, qui pugnant in exercitu armati — quia seruus et legatus apostolicae sedis esse dignoscor, vnum sit verbum et meum hic, et vestrum ibi — laicus quidam magnae personae dicebat, ipsi a Gregorio datam licentiam, vt acciperet viduam auunculi sui, et velata fuit, et iterum abiecto velo maritata. 6. affirmant quidam, se vidisse annis singulis Romae *et iuxta ecclesiam S. Petri*, in die vel nocte, quando *calendae* Ianuarii intrant, paganorum more choros ducere, et acclamationes, et cantationes sacrilegas celebrare, et mensas dapibus onerare, et nullum de domo sua vel ignem vel ferramentum vicino suo praestare velle; etiam mulieres, pagano ritu phylacteria et ligaturas in brachiis et cruribus ligatas habere, et venales aliis offerre — Respondet *Zacharias*, vt tempus tulit. *Bonifacius*, etsi plerumque adulatur, alibi etiam munera mittit; (*villosam* vnam et *argenti atque auri* tantillum) tamen non ignorabat, se tanti fore, quanti esse velit; itaque et papam fere reprehendit, quod pro *palliis* pecunias et praemia expetat, quod papa pernegat; *Harduin.* pag. 1887 et Bonifacium, non solum per *Baioariam*, sed et per *omnem Galliam* facit legatum. *Pippinus*, maior domus, (vt sibi viam faceret ad statam auctoritatem) a Zacharia per presbyterum *Ardobanium* de variis capitulis, de sacerdotali ordine, et *quae ad animarum salutem* pertinent, rogauerat; respondit papa, per capita 27; fere omnia sunt ex codice romanae ecclesiae; (C. 5, audiuimus, tantum rerum sacrarum subiisse despectum, vt *feminae* sacris altaribus ministrare ferantur;

rantur; eius rei fides fit per acta SS. huius temporis,) papa Bonifacio mandat, vt in concilio ista recitentur, etiam causa haereticorum, *Aldeberti* &c. subtili indagatione cribretur.

Concil. an. 742, sub Carolomanno, cuius praefatio praefixa est, cum *anno ab incarnatione* 742: Ego C. dux et princeps Francorum — episcopos, qui in regno meo sunt, eum presbyteris, *congregaui*; Bonifac. Burchardum; *Regenfridum* colon. *Wintan*, buraburg. *Witbaldum*, Willibald. aichsted. *Dadan*, sine sede; *Eddanus*, argentor. 1. Bonifac. statuimus archiepiscopum super episcopos in ciuitatibus, qui est missus sancti Petri; 2. serui dei arma non portent, aut in hostem pergant, nisi qui propter missarum solemnia et *sanctorum patrocinia portanda*, electi sunt; i. e. vnum vel duos episcopos cum capellanis presbyteris princeps secum habeat, et vnusquisque *praefectus*, vnum presbyterum, qui *confitentibus* — 5. vt vnusquisque episc. in sua parochia solicitudinem gerat, adiuuante *Gravione*, (comite) qui *defensor* illius est, vt populus *paganias* non faciat; eas inter et *Nodfyr*; (alibi legitur, *Nedfratres*; atque hinc in excerpto Gregorii 3, de poenitentia, pag. 1875 Harduini videtur legendum, *notfyres*, loco, vel *vt frater* in honore Iouis &c.) De his *paganiis* iam *Bonifacius* et *Zacharias* tractauerant. C. 6. nominat, *nonnas* velatas; 7, vt presbyteri et diaconi non *sagis* vtantur, more laicorum, sed *casulis*. Huius synodi decreta in alia *Liptinensi*, anni 743 confirmantur; (huic synodo lipt. canon superioris synodi primus tribuitur ab *Hincmaro* et aliis.) can. 2 vt *precariae* ob bella in adiutorium exercitus ab ecclesiis dentur, seu vt retineatur pars pecuniae ecclesialis a Carolomanno. Huic concilio solet adiungi *abrenuntiatio diaboli* et operum eius, *in lingua Theotisca*; atque indiculus paganiarum. De sacrilegio ad sepulcra mortuorum, et super defunctos. (Hic porro addunt editiones, etiam *Harzhem.* 1. quasi numerum, *dadsisas*; legendum erat, i. e. Dadsisas, Todesessen, cibi mortuis appositi aut in sepulcra immissi.) De spurcalibus in Februario;

de

de casulis, i. e. fanis. De sacrilegiis per ecclesias. De sacris siluarum, quae *Nimidas* (in *Waidis*) vocant; de his, quae faciunt super petras; de sacris Mercurii vel Iouis; de sacrificio, quod alicui sanctorum; de phylacteriis et ligaturis. De fontibus sacrificiorum; incantationibus; auguriis, vel auium, equorum, boum stercoribus, vel sternutatione; de diuinis vel sortilegis; de igne fricato de ligno, i. *Nodfyr*; de cerebro animalium; de obseruatione pagana, vel inchoatione rei alicuius; de incertis locis, quae colunt pro sanctis; de petendo, quod boni (hic aliquid corruptum; an *komm*?) vocant sanctae Mariae; de feriis, quae faciunt Ioui vel Mercurio. De lunae defectione, quod dicunt *vince luna;* de tempestatibus, et cornibus et cochleis; de sulcis circa villas; de pagano cursu, quem *yrias* nominant, scissis pannis vel calceis; (loco *yrias* haud dubie nomen germanicum, **Umreis** vel simile;) de eo, quod sibi sanctos fingunt quoslibet mortuos; de simulacro, de consperſa farina; de simulacris, de pannis fictis; de simulacro, quod per campos portant; de ligneis pedibus vel manibus, pagano ritu; de eo, quod credunt, quod feminae lunam comedant, vel quod possint corda hominum tollere, iuxta paganos. Indiculus hic solus supereſt; descriptio ipsa rerum periit; multa iam ex *Eligio* nouiomensi, sec. 7 patent. Adhaeret *Allocutio* sacerdotum, de coniugiis illicitis, ad plebem; alia allocutio, (post pascha; quidam calumniantur, quasi tardius Christus venerit, tot millia hominum ante incarnationem suam perire passus. — est fragmentum ex publico sermone;) de Sabbato non obseruando; (ex Laodicena synodo; finis est, vt solet esse Homiliarum. Addimus, quod miramur nondum vel ab *Harzheimio* obseruatum esse: canones ex superiori synodo integros descriptos exstare in alio concilio, seu in capitulari primo Caroli M. can. 2. capit. 1. can. 3. cap. 8. can. 4. cap. 4. can. 5. cap. 6.

Ex concilio *romano* an. 743. Baronius affert canones seu statuta Zachariae; sed iis nihil noui ineſt; c. 15 papa

negat, inueniri in archiuo romano, quod dicitur, *Gregorium* Germanis licentiam dediſſe, in quarta ſe copulare generatione — dicit, per diuerſa loca Italiae et Longobardorum partes, ſacerdotes cum ſanctimonialibus habitare narrantur. Concil. *Sueſſionenſe*, epp. 23. an. 744 ſub *Pippino*, maiore domus; capitula 10. — 2. Ne haereſis in populo reſurgat, ſicut inuenimus in *Adalberto* haereſin. 3. Conſtituimus archiepiſcopos, *Abel* et *Ardobertum* (Remenſem et Senon.) — 6. Vt per omnes ciuitates *legitimus forus* et *menſura* fiat, ſecundum abundantiam temporis. 7. Vt cruciculae, quas Adalbertus per parochiam plantauerat, omnes igne conſumantur. *Concilium germanicum*, iuſſu *Carolomanni*, a. 745 auctoritate Bonifacii, in quo *Aldebertus* et *Clemens* haeretici deponuntur, et poſt *Gervilionem* (al. Geovilib.) ep. Moguntiae, ob homicidium in bello contra Saxones patratum, Bonifacius ſit aep. moguntinus primus; *Bonifacius* enim hac cauſſa feliciter ſuam in rem abuſus eſt. Concil. *Romanum* de haereticis iisdem, eod. anno, praeſente legato Bonifacii; ineptiſſimo ingenio eſt hoc concilium; licet, vt ſcribit *Gemmulus*, diac. rom. ad Bonifacium, hic ipſe vix ſperaret, rem ſic agi poſſe; — *quod vos non ſperabatis fieri poſſe, ſuggeſſimus*; et facta eſt ſynodus — venerandas ſorores et dei ancillas, quae ad limina apoſtolorum properauerunt, in quantum dominus vires donare dignatus fuerit, curam earum habemus; *benedictionem*, quam nobis direxiſtis, ſuſcepimus, i. e. poculum argenteum, et ſindonem — ad vicem caritatis, cum magna reuerentia direximus *cinnamomum*, vncias 4. *coſtum*, vncias 4. *piper*, libras 11. *cozumbrem*, libram vnam. (Nouus eſt ſignificatus *benedictionis*; atque hac ratione Bonifacius facile cauſſam vincebat.) Sequuntur ap. *Harduin.* p. 1943 ſtatuta S. *Bonifacii*, quae non ſolum incerti temporis ſunt, ſed etiam nominis; *Dacherius* edidit in Spicilegio. Incerti anni etiam eſt capitulare, quod iam *Baluzius* in Capitul. tomo 1. p. 151. ediderat, et ab *Harzheimio* ad an. 744 inter con-

ciiia

cilia Germaniae refertur; sed est profecto misti argumenti, si vel maxime verum sit *Bonifacium* rei interfuisse. 2. Fideles pro defunctis ieiunia et oblationes *triginta* diebus adimpleri faciant. 6. *Laici* secus altare, *intra cancellos*, stare non praesumant. 9. Regula collectarum, nullus in precibus *nisi ad patrem* dirigat orationem. 13. Qui in blasphemiam alterius, cantica composuerit, 14. Omne sacramentum, in ecclesia, et super reliquias iuretur. 20. De falsa moneta; manus amputetur &c. videtur potius esse collectio variarum legum.

Zachariae epistola a. 748 ad Bonifacium respondet ad quaestiones, per *Burchardum*, Wormat. Romam missas. Baptisma, licet sceleratissimus haereticus, latro, fur, adulter id ministret, verbis Euangelicis fortiter consecratum est. — erroneos simulatores, sub nomine episcop. vel presbyterorum — *seruos tonsuratos*, qui fugerunt a dominis suis, sine episcopo suo arbitratu viuentes, quos populus defendit, per cellas rusticorum — baptizantes — eiice. Presbyter, genere *Scotus*, nomine Samson, de quo scribis, qui affirmat, sine lauacro regenerationis posse aliquem fieri catholicum christianum, per episcopalis manus impositionem — hunc expelle. — suscepimus et chartam orthodoxae professionis, quam cum dilectissimis episcopis Francicis ad nos direxisti; quam referantes nimio gaudio sumus repleti, gratias deo agentes, quia vnanimitatem *eorum ad societatem nostram* (romanam) reuocare dignatus est; misimus et nos eis apostolicas litteras. (Multae igitur scriptiones, quae ad *germaniae* histor. eccles. pertinent, perierunt;) — oramus dominum et redemtorem nostrum, vt sacris *interuentionibus* suae s. genetricis, semper virginis, Mariae, *dominae nostrae* et apostolorum, te sospitem conseruet. (Formula noua!) Concil. *Cloveshoviae*, 747 sub *Cuthberto*, aep. Dorobern. praesente rege Mercior. *Aedilbald*; epistola *Bonifacii* ad Cuthbertum, qua ei narrat, quae in synodali conuentu Germaniae statuta sint; decreuimus et confessi sumus — et *subiectionem* romanae eccle-

siae velle seruare S. *Petro* et eius vicario &c. — — admonet, vt synodus et principes Angli prohibeant mulieribus et *velatis feminis* illud iter et frequentiam, quam ad *romanam* ciuitatem veniendo et redeundo faciunt, quia magna ex parte pereunt, *paucis remanentibus integris*; per — paucae enim sunt ciuitates in *Longobardia*, Francia, aut Gallia, in qua non sit adultera vel *meretrix Anglorum* — vestimentorum superstitio, ornamenta latissimis clauis — aduentum Antichristi praecurrunt. Fertur quoque in parochiis vestris ebrietatis malum, — episcopi — alios porrectis poculis maioribus cogunt, vt inebrientur. Capitula in synodo *Cuthberti* 30 vel 31. Praelecta fuerunt scripta a Zacharia, in duabus chartis, et in *nostra quoque lingua* interpretata sunt, anathemata is minitabatur permanentibus in malitia. — Cap. 7 — exerceantur *in scholis* pueri ad dilectionem sacrae scientiae, vt bene eruditi inueniri possint. 10. Presbyteri vt — — symbolum orat. dominic. et verba missae et in officio baptismi interpretari et exponere in *lingua propria* discant — 12. Ne presbyteri *secularium poetarum* modo (ergo hoc tempore iam cantabant poetae seculares) in ecclesia garriant; sed simplicem melodiam secundum morem ecclesiae sectentur, aut simpliciter tantum legant. 13. Vt festiuitates — *iuxta exemplar* celebrentur, quod *scriptum* de romana ecclesia habemus — 15. Vt 7 *canonicae* diei et noctis *horae* cum psalmodia et cantilena conuenienti seruentur. 16. Vt *litaniae* i. rogationes d. 7 calend. Maiarum, (litania maior) iuxta morem romanum; et ante adscensionem dies, cum ieiunio vsque ad horam nonam — non admixtis vanitatibus, ludis, *equorum cursibus*, epulis maioribus — 17. Vt dies *natalitius* b. *Gregorii* et *Augustini* honorifice venerentur, et nomen Augustini *in litaniae decantatione* post Gregorii vocationem, dicatur. 18. Ieiuniorum tempora, 4. 7. et decimi mensis nemo negligat. 20. Monasteria non sint ludicrarum artium receptacula, h. e. *poetarum*, citharistarum, musicorum, scurrarum — *Nunnones*

zones magis legendis libris et canendis psalmis, quam *texendis* inanis gloriae variis vestimentis dent operam. 23. De frequenti communione. 26. De vtilitate eleemosynae — 27. De psalmodia — lingua latina, vel qui eam non didicerunt, sua *Saxonica* dicant, domine miserere illi — sive *pro mortuis*, domine secundum magnam miseric. tuam, da requiem animae illius &c. 28. Vestes consuetae regularis conuersationis, non imitentur seculares, in vestitu crurum, per *fasciolas*, nec per *coculas* (Gogul) in circumdatione capitis. 30. Vt malae suspiciones et odia secularium in clericos minuantur, — per canonicas horas etiam *pro regibus et ducibus* totiusque populi incolumitate orent. — Excerptiones *Egberti*, eborac. aep. e dictis et canonibus patrum. De sacerdotali iure; c. 28, septem *synaxes* patres canendas constituerunt, quas omni die clerus canere debet; *nocturnalis* synaxis; *prima* hora diei; *tertia*; *sexta*; *nona*; *vespera*; *septima*; *completorium*. — 145 canones. Ex eiusdem *poenitentialis* Ecberti libro 2. n. 19, si quis *cogitationes* malas et inutiles corde volutat, mox suo manifestet *sacerdoti*. Eiusdem *Ecberti* dialogus, de institutione ecclesiastica; 1. quantum valet iuramentum episcopi, presbyteri, diaconi, monachi? Secundum gradum promotionis habeant potestatem protestandi; presbyter, secundum numerum 120 tributariorum; diac. 60 manentium — 2. An possunt testes fieri verborum nouissimorum, quae fiunt a morientibus, de rebus suis? assumat vnum vel duo testes; ne propinqui defunctorum *sub praetextu auaritiae*, (clericorum) contradicant. 11. Quidam propria habentes monasteria, ita disponunt, vt post obitum illorum *duo simul vtriusque sexus* possideant, vel diuidant aequali sorte monasterium. 16. Ieiunia *quatuor* temporum, primi, 4. 7. et 10 mensis; quia quatuor plagae mundi, quatuor elementis homo constat; 4 virtutes, 4 flumina paradisi in typo 4 euangeliorum, 4 anni tempora —

Epiſtola *Zachariae* ad Bonifac. de quaeſtionibus, per *Lullum* miſſis; quae aues et animalia non eduntur; de *igne paſchali;* 5 feria paſchae 3 lampades magnae capacitatis, ex diuerſis candelis eccleſiae oleo collecto, in ſecretiori loco, ad figuram interioris tabernaculi, indeficienter ardebunt; de quibus candelis Sabbatho ſancto pro ſacri fontis baptismate ignis, per ſacerdotem renouatur; an liceat *ſanctimoniales* ſibi inuicem pedes abluere, tam in coena domini, quam aliis diebus? licet. — poſt quantum tempus debeat *lardum* comedi? non, priusquam ſuper fumo ſiccetur, aut igne coquatur; incoctum, poſt paſcham. An liceat perſecutionem *paganorum* fugere? licet. An de *Slauis*, qui terras chriſtianorum inhabitant, oporteat cenſum accipere? omnino; aliter terram ipſam ſibi propriam vindicabunt. Quot in locis, in *canonis* praedicatione, cruces facere debeamus? In *rotulo* dato praedicto *Lul*, ſigna crucis, quanta fieri debent, infiximus. Epiſtola *Bonifacii* ad *Stephanum* 2 papam; petit legationem romanam ipſi prorogari; ſerius miſi nuntium, quia in reſtauratione eccleſiarum occupatus fui, pagani per titulos et cellas noſtras *plusquam* 30 *eccleſias* vaſtarunt; alia epiſtola ad papam; contra *colonienſem* epiſcopum, *traiectenſem* eccleſiam petit papae immediate ſubiici; colonienſis non praedicauit, non conuertit Friſios; eſt *Willebrordi*, (qui per 50 annos praedicans eam gentem maxima ex parte conuertit,) ſedes; (ſed nihil effecit inuidus *Bonifacius*;). Concil. *Metenſe*, a. 753 capita 8. 1. De inceſtis. 2. *Archidiaconus* cum Comite conuocet clericos ad ſynodum; qui contemſerit, 60 ſolidis componat, qui in *Sacellum* regis veniant. 4. Telonea non exiguntur de victualio, et carris, quae absque negotio ſunt, de *Saumis*, et peregrinis, qui *propter deum* Romam vel alicubi vadunt. 7. Ne quis homo ad palatium veniat pro cauſa ſua, quin antea Comiti innotuerit in mallo, ante *Rachenburgios* — (inter *concilia* vix vllo iure recenſetur.) Concilium *Vermerienſe*, ſ. apud palatium *Vermeriam*, (Verberies) canones

nes plerique, de causis matrimonialibus; in *tertio* gradu, separantur; in *quarto*, non separamus, sed si adhuc impediri potest — si quis cum *filiastra* rem habuit. Sacerdos vxorem dimittat; hanc eius relictam nec alius accipiat; quae inuitae aut reclamantes velantur feminae, aut inuito marito. Vir, qui ex necessitate in alium *ducatum* fugerit, si eum vxor nolit sequi, potest aliam tunc accipere. — 17. Si mulier se reclamauerit, quod vir suus numquam cum ea mansisset; *exeant inde ad crucem*, et, si verum fuerit, separentur, et illa faciat quod vult. 18. Qui cum consobrina vxoris manet, sua careat, nec aliam habeat; illa faciat quod vult. (Additur, *Hoc ecclesia non recipit.*) Concilium *Vernense*, an. 755, seu in *Verno* palat. capita 25, omnes de rebus ecclesiasticis. 4. Vt *bis in anno* synodus fiat. 5. Vt monasteria virorum et puellarum regulariter viuant; aliter ab episcopo, metropolitano, Synodo corrigatur, et tales in eorum loco in synodo *per voluntatem domini regis* constituantur — 7. Publicum baptisterium in nulla parochia esse debet, nisi vbi episcopus constituerit. — 9. Modus et effectus *excommunicationis*. 10. Ne monachi Romam vel ad alia loca vagentur. 13. De episcopis vagantibus. 15. Vt omnes homines laici *publicas nuptias* faciant, tam nobiles quam ignobiles. 17. Post mortem episcopi non licet supra tres menses esse sine pastore. 20. Abbas, abbatissa faciat rationes, ad regem, si regale est monasterium, ad episcopum, si ep. 21. vt episcopi presbyteratus ad illum episcopatum pertinentes, obtineant, sicut in alia synodo *perdonauit domnus*. (in alio codice hic adduntur quaedam, e concilio *metensi* superiori.) Concilium *Constantiense* nominat *Harzheimius*, a. 758. 759. in quo *Othmar*, abbas S. Galli, ob accusationem Lamberti, (quod feminam aliquam abbas polluerit,) ad villam *Potamum*, carceri inclusus est; sed *concilii* nomen a scriptore vitae, *Walafrido*, non adhibetur tam accurate. Concilium (conuentus publicae rei caussa seu *placitum*,) *Compendii*, 656-57. canones 18, sed nihil noui continent,

de rebus matrimonialibus; si *francus* homo — si propter *faidam*, fugit in aliam patriam. In conuentu *attiniacensi* a. 765 episcopi et abbates 44 pro salute animarum in synodali conuentu statuerunt, vt vnus quisque illorum, quando quislibet de seculo migrauerit, *centum* psalteria, et presbyteri eius *speciales missas* 30 cantent; ipse autem episcopus 30 missas impleat. (similiter in conuentu *Dingolvingae*, a. 772, *Bauariae* episcopi et abbates statuerunt, Tom. 1. Harzhem. p. 130.) Synodus *gentiliacensis*, sub *Pippino*, an. 767, cum in Galliam reuersi essent *Pauli*, papae, legati Constantinopoli, cum Pippini legatis, et aliis graeci imperatoris; quaestio ventilata de Spiritu S. an ita *procedat a filio*, sicut procedit a patre, et de *sanctorum imaginibus*, vtrumne fingendae an pingendae sint in ecclesiis; nempe has sacras quaestiones iam *Romani* studiosius agitabant, contra Graecos; sed rei summa, quam Graeci praecipue spectabant, *Italiae illae provinciae*, quas *ecclesiae Romanae* Pippinus attribuerat; eius filii, post patris mortem papae *Stephano* 3, qui rogauerat e Francia episcopos gnaros et eruditos ad *synodum romanam* 769 mitti, miserunt epp. 12; synodus ipsa habita in basilica Constantiniana, iuxta palat. lateranense, partim contra *Constantinum*, pseudopapam, partim statutum est, *imagines sacras adorari* atque venerari, ex patrum sanctorum diuersis testimoniis. Episcopi missi e Francia erant, Lullus, *mogunt. Senonensis*, *Turonens. Ado*, *lugdunensis*, *bituricensis*, *narbonensis*, *rhemensis*, *Lingonensis*, et 4 alii. Statutum *synodale* Stephani. 4, vt nullus e laicis aut e manu armata, vel ex aliis ordinibus, *electioni* papae interfit, sed a clero et sacerdotibus pontificalis electio proueniat; post electionem, optimates militiae, exercitus et ciues honesti et vniuersa generalitas populi romanae vrbis ad salutandum eum, *sicut omnium dominum*, properare debeat. Ex *actione* 4 superest, de veneratione sacrarum imaginum. Si ad sanctorum consortium venire optamus, hic omnia in honore sanctorum siue *reliquias* non solum

solum corporum, sed et vestimentorum, — etiam imagines et vultus illorum, in quolibet loco *depictas*, celeberrimo honore venerari debemus; pauendum est, ne *sub iconum occasione* ad peiora se status malae assertionis erigat, et corpora sanctorum, et reliquias martyrum adorari, tamquam membra domini (*hominis*), prohibeat. — *quinquaginta* tantum capita susscipiantur, quae susscipit sancta dei ecclesia, ex apostolorum canonibus. Incerti anni est *synodus ratisbonensis*; sub finem Pippini, aut *Caroli* potius initia, 768. 769. de *Chorepiscoporum* potestate circumscribenda; quod non habent, dare non potuerunt; (ordinare clericos, dedicare ecclesiam, consecrare virgines, confirmare &c.) *Capitularia* etiam *Harzheimius* inter *concilia germaniae* retulit, sed exiguo aut nullo iure; licet ad historiam *iuris sacri* pertineant; ista 18 capita, primi *capitularis*, quod in a. 769 refertur, ex superioribus synodis repetita atque iam confirmata fuerunt; sunt *conuentus* regni et reip. caussa, cui iam hic ibi incipiunt subiici clericorum ministeria; e. c. conuentus *Wormatiae*, a. 772, cui episcopi multi interfuerunt, in quo bellum contra *Saxones* decretum fuit, per annos 33 gestum. In *Bauaria Thassilo* dux, concilium habuit hoc eodem anno, apud *Dingolvingam*; cuius ducis *ius circa sacra* satis patet; aduersus *monachorum* auara studia *parochiae* vindicatae fuerunt, atque ab vniuersis abbatibus *facta professio* vt minime *titulis* popularibus se ingerere deprehenderentur (sic lego, pro *depellerentur*, apud *Canisium*, *Binium* et *Harzheimium*; *Harduinum* pag. 2031.) Interfuerunt episcopi *Sabionensis*, *Salisburgensis*, *Patauiensis*, *Ratisbonensis*, *Frisingensis*, et 13 Abbates, vt *Adlzreiter* addit. De die *dominico*, sicut in lege (ciuili *Baioariorum*) et decretis canonum; lex *Baioar.* citatur statim de haereditate, quae tradita est ecclesiae. — 5. Vt *serui principis*, qui dicuntur *Adelschalke*, habeant suam *Weregeldam*, et caeteri *minores*; (priuilegium auitum;) — potest quis pacificare cum accusatore, antequam pugnam Wehadine (leg. Weha-

Wehading) permittat &c. sunt leges praecipue pro iuribus nobilium, non vero ecclesiastica statuta; sequuntur enim porro, *leges populares* ap. Harduinum p. 2031. n. 1-16, quas *Harzheimius* omisit. *Codex canonum* ab Hadriano I, Carolo regi donatus, incertum quo anno; e canonibus Apostolorum; breuiores sunt canones, et quasi *summaria* tantum quos *Harduinus* exhibet; multo autem copiosiores apud *Harzheimium*, pag. 131 ex Mstis *Colonienſibus*, quae inter putat esse aliquem eiusdem huius temporis; est etiam *alius ordo canonum;* Harduinus n. 21 tres simul comprehendit; sed ibi fit 21. 22. 23; itaque 24 hic et 22 Harduini conueniunt rursus. Cap. *Harduini* 34 rursus 2 simul comprehendit; ibi sunt c. 37. 38. sic et fit *Harduini* c. 37, hic fiunt can. 41. 42. 43. contra *Harduin.* facit *duos*, c. 39. 40, qui tantum canonem 45 hic faciunt. Iam pergit *Harzheimii* codex, incipiunt tituli canonum *nicaeni* concilii; apud *Harduinum* canones *Ancyrani* primo loco exstant, cum nota: *Ancyranos* esse priores *nicaenis*, sed *postponi* Nicaenis, ob magni concilii auctoritatem; sed contra fit apud *Harzheimium*, licet *Ancyranis* pag. 146. similis nota praefigatur; multo *breuiores* sunt apud *Harduinum* et hi canones, copiosiores vero apud *Harzheimium*; sic quidem, vt non raro illi apud *Harduinum* aut omnino non possint intelligi, aut falso; *omnes subscriptiones* tam Nicenae quam *Ancyranae* hic ap. *Harzheimium* habentur. Sequuntur canones *Neocaesarienſes*, cum (Dionysii) nota: *anteriores* esse Nicaenis, sed posteriores *Ancyranis* vel *Caesarienſibus;* apud *Harduin.* c. 2. 3. diuisi, hic faciunt canonem *secundum;* itaque *Harduin.* 15 numerat, hic vero 14. atque mirum est, *Harduinum* et *Harzheimium*, talia non significasse. Ceterum conueniunt lectiones e. c. Ancyranae, saepe cum lectionibus, quas *Harduin.* tomo I. p. 273 seq. in margine notauit. Sequuntur in *Hadriani* codice canones *Gangrenſes;* similiter *Harduin.* multo breuiores recenset; tituli canonum *Antiocheni* concilii; et hi multo bre-

breuiores ap. Harduinum. Canones Concilii apud *Laodiceam Phrygiae.* (Canones Concil. apud *Constantinopolin*; incipit canon S. *Ephesini* primi concilii; tituli canonum *chalcedonensis* concilii, num. 27. cum omnibus subscriptionibus; haec apud *Harduinum* omnia *non exstant.*) Incipiunt canones *Sardicenses*, sic 3 Mſta *Harzhemii*, qui et praefationem vulgarem omittunt; ea vero, quam dedit *Harzhemius*, et canones (copia verborum) differunt, ab *Harduini* editione; sed *Harzhemius* negligentissime et non sine dedecore suo excudi fecit e. c. *epistolica* sede; XL. regulae, XX episcopi, cum titulus ipse adsit 20 vel 21 esse canones; episcopi vero 60 subscribantur pag. 194. Canones concilii *carthagin.* num. 33. apud *Harzhemium* multo plura longo ordine; nempe vniversum concilium *Carthag.* 6. desunt vero canones nicaeni, ad quos tamen remittitur hic; tum sequuntur africani canones 33, (e codice *africano* tom. 1. Harduini p. 867 seqq.) Porro, canones diuersorum conciliorum Africanae prouinciae n. 105; omnia e codice africano Hard. p. 880 seq. canon hic *primus*, est codicis africani 34, et sic pergunt; *Harduinus* similiter tantum *summas* canonum 105 exhibet; sed apud *Harzhemium* sequitur epistola concilii africani ad *Bonifacium*, cum numero CI. Rescripta ad Concil. African. *Cyrilli* alex. Cap. CII. epistola *Attici*, constantinopol. ad africanos, Cap. CIII. Incipiunt exemplaria concil. nicaeni, Cap. CIV. Epistola concilii afric. ad papam *Caelestinum*, Cap. CV. Itaque numeri apud *Harduinum* aliter diuisi; sequebantur in MSStis epistolae *Syricii* et aliorum rom. epp. vsque ad *Gregorium.*

Hoc *codice canonum ecclesiae romanae* (1525 Moguntiae primum excusus fuit,) papa sollemnem quasi formulam foederis cum francico et *Longobardico* monarcha prodidit, atque ad suam ipse auctoritatem multum adiecit; hoc quasi signo dato impostores alii et adulatores non defuerunt, qui paparum istas *decretales* confinxerunt. Omittimus *conuentus* plures in villa *Duria*, *Wormatiae*, *Padrabrunnae*

brunnae (a. 777, Saxones omnes baptizati, atroci sponsione addita; *Wittekind* vero ad *Normanos*, seu *Danos* fugit;) &c. quibus forte res quaedam ecclesiasticae actae fuerunt, sed priuatae; e. c. monasterium *Placitium*, abbati S. Dionysii, *Folrado*, per *iudicium crucis* vindicatum; eidem priuilegium *Salonae*, *post Senodalem consilium* datum; barbarica lingua latina iam auditur. *Capitulare*, a. 779 in synodali conuentu, (in *durienſi* villa, vt quidam putant,) cap. 24. pleraque iam saepius definita; de episcopis et monasteriis; decimis, de latronibus; sacramentum pro *Gildonia* ne fiat; (incendii, naufragii &c. causſa.) de *Bruniis* extra regnum non vendendis, (loricis); adiecit *Harzhemius* e codice Msto *Krufftiano*, capitulare, vt vnusquisque episcopus *tres missas* et psalteria cantet, vnam pro *rege*; alteram, pro *exercitu* francorum, tertiam, pro praesenti tribulatione; presbyteri, vnusquisque tres missas; monachi, monachae et canonici, vnusquisque psalteria tria; et *biduanam* omnes faciant &c. *Conuentus generalis* in Saxonia, super Lippiam 780; cella S. *Goari* regi vindicata contra ecclesiam *treuirenſem*, donata a Carolo monasterio *Prumiae*. Nobilis Matrona e Saxonibus de iniuria questa; susciptur in tutelam a Carolo, qui eius filium *Meinulfum* e baptismo suscepit, futurum postea paderbrunnenſem episcopum; ad *confirmationem religionis*, inter Saxones, post annos 5 consilia de ecclesiis instituendis, in Synodo *paderbrunnenſi* a. 785 per prouincias, duces et comites et Episcopi diuisi; *Wiho*, factus *Osnabrug*. *Willebrord*, brem. *Hercumbert*, mind. *Hildegrim*, Ludgeri frater, *Halberstad*. *Suibert*, verdenſ. *Bernardus*, abbas, mimigardevordenſis, *Albertus*, Schidrenſis; Harzhem. ex *Schatenii* histor. Westfal. Volunt et *iudicium Vemium* hic institutum; et *leges Saxonum* recensitas, quas *Heroldus* et Lindenbrog ediderunt. Tandem et *Widdekindus* Attiniaci cum comitibus suis, *baptizatus*; *Geva*, Sigefridi, *Danorum* regis, filia, leuata a Fastrada ex baptismo, eiusque liberi, baptizabantur. Iam

papa

papa, quem *Carolus* per Andream abb. certiorem fecerat, ei gratulabatur; et ſpondet, ſi, *vt pollicita eſt* veſtra potentia, *fautori ſuo* beato *Petro* et nobis — maximas illarum gentium ſuis ſubſternet pedibus — — non ſolum *duabus feriis*, vt Carolus voluit, ſed tribus, *litanias* papa agi iuſſit in omnibus partibus, quae ſub ditione ſpiritualis matris (*nempe in Italia tantum* iſta ditio adhuc fuit;) eccleſiae exſiſtunt, pro laudibus dei et ad ſtabilem victoriam. — Sub hoc fere tempus cadunt capitula illa LXXX, ex variis graecis et latinis canonibus, ſynodis, et decretis praeſulum et principum romanorum collecta, et *Ingilrammo*, metenſi *ab Hadriano tradita*, ſub die 13 cal. Octobr. indictione 9, quando pro ſui negotii cauſſa romae agebat; ita titulum *Sirmondus* dedit; ſed alii libri habent: capitula vel articuli collecti ex diuerſis conciliis et decretis pontificum, *per* Angilrammum ep. met. *oblati* papae *Hadriano*; atque hanc inſcriptionem et nos praeferimus. Inſunt autem pleraque eius generis, vt papae *primatus* (cap. 3.) confirmetur, epiſcoporum aliorum bono; vt ad Romanum ep. *appellatio* valeat; (atque haec *Angelrammus* in ſuam ipſius cauſſam, quam Romae agebat, collegit,) ne iudicium vel definitio iniuſta, regio metu vel iuſſu; quicunque *regum* vel potentum canonum cenſuram permiſerit violandam. Hac ratione iam epiſcopi, qui hac illa de cauſſa ſua forte minus contenti erant, atque ad maiora adſpirabant, Papae auctoritatem ipſi augere non dubitarunt; atque *Hadrianus* quidem, ob ſtrenuam illam operam, qua Carolum adiuuerat in opprimenda fratris ſui familia, non poterat non et ipſe aliquid ſibi tribuere ad eos, qui extra Italiam poſiti, de fato Longobardiae inaudiebant. Mirum igitur non eſt, etiam inter Gallos exſtitiſſe epiſcopos, e. c. *Hincmarum*, Laudun. ep. qui his Romanis capitulis ſubſcripſerunt, cum ſcirent, quantum *Bonifacio* profuerit romana auctoritas; ſed nec alii defuerunt, qui horum canonum auctoritatem nullam eſſe ſtatuerunt; alter ille *Hincmarus*, (rhemenſis opuſc. 33, c. 24. tom. 2. p. 475.)

certe

certe nihili facit hanc compilationem, quae, vt facile patet, iam ex istis *falsis et conflictis decretalibus* non pauca adsciuit. (*Longueval* histoire de l'Eglise gallicane tom. 4. p. 516.) In conuentu *Wormatiensi*, 787, (qui ob episcopos praesentes solent etiam *concilia* aut *synodi* vocari,) *Willehadus* demum consecratus fuit *episcopus*, (quo nomine iam ante, vt solet, vtebatur, ante consecrationem,) super *Wigmodiam*, *Laras*, *Riustri*, *Asterga*, *Nordendi*, *Wanga*; diploma Caroli, de *Bremensi* ecclesia, saepius editum, etiam apud *Harzheimium* pag. 259; de eius integritate quidam dubitarunt, quibus *Schatenius* lib. 8. hist. Westphal. respondere studet; *Bremensi* ecclesiae tribuuntur *decem pagi*, qui *abiectis antiquis vocabulis et diuisionibus*, in 2 prouincias redacti sunt, *Wigmodia* et *Lorgoe*; in his pagis LXX mansi cum suis colonis, qui totius parochiae decimas ecclesiae persoluebant.

Concil. in Anglia, *Calchuthae*, a legatis Hadriani a. 787; praefixa est epistola legati ad papam, qua rationem reddit: vnde patet *Carolum* etiam hoc papae dedisse, vt *Wighodum* abbatem, mitteret cum legatis papae *in Angliam*, vt et ibi papae auctoritas instauraretur. *Ista igitur* capitula anglis regibus et gentibus tradita a legatis; 1. fidem *nicaenam* ab *omnibus clericis* firmiter tenendam; et vt presbyteri de hac fide omni anno examinentur ab episcopis; et fides per 6 synodos tradita, sicut a *romana* ecclesia. 2. De baptismi tempore, et vt omnes symbolum et orat. domin. sciant. 3. Vt per annum 2 concilia habeantur. 4. Vt episcopi prouideant, quo omnes canonici et monachi canonice viuant, *exemplo orientalium*; non tinctis *Indiae* coloribus; — synodalia edicta vniuersalium sex conciliorum *cum decretis romanorum* pontificum saepius lectitentur; (hoc notandum; haud dubie describitur *codex ille romanus*, atque illae *pseudoisidori* decretales.) 5. De electione praefecti monaster. 6. De ordinatione presbyter. et diac. 7. Cursus 7 horarum. 8. Vt priuilegia a pontifice *romano* concessa seruentur. 9. Ne ecclesia-

clesiastici cibum in secreto sumant, (et fallant ieiunium.) 10. Ne minister *nudis cruribus* ad missam celebrandam veniat; panis, non *crusta* a fidelibus offeratur; ne de *cornu bouis* calix aut patena fiat. 11. De officio regum et excellentia sacerdotum. 12. Reges legitime a sacerdotibus et ducibus eligantur, non de adulterio vel incestu procreati; nemo in necem regis coniurare audeat. 13. Vt iusta iudicia fiant. 14. Qui sancto *Petro* communicare cupit, ab hoc vitio (violentiae, qua maiora tributa ecclesiis imponuntur,) immunis erit. 15. contra incestuosa connubia. 16. Filios *sanctimonialium*, (quae ad instar *Mariae* vestem induerunt, spurios et adulteros iudicamus. 17. De decimis dandis; vsuras prohibemus; mensurae et pondera. 18. Vt votum christiani impleant — Abraham vota vouit, et reddidit — ideo meruit dominum in trinitate adorare et in hospitium accipere. 19. Vt reliquias paganorum abiiciant. 20. De poenitentia per sacerdotes imponenda. — Haec rex, aep. et omnes epp. atque abbates, seniores, duces — se custodire vouerunt, et signo sanctae crucis, *in vice vestra*, in manu nostra confirmarunt.

Concil. *oecumenicum* VII, seu Nicaenum II, an. 787. De Historia ista foedarum ob imagines litium postea breuiter exponemus; hic acta concilii, vt habentur iam, *Harduini* tom. 4. excutiemus. Praefiguntur epistolae 2 in istis actis, nomine *Gregorii* ad *Leonem* Isaurum; non satis constat cui *Gregorio* et cui anno adscribendae sint; plerique *Gregorium* 2 nominant, atque *Baronius* in annum 727 refert; *Labbeus*, Gregorio 3; *Pagi* in annum 30; nos audemus dubitare, vtrum omnino ingenuae atque huius temporis sint; etsi de eo non dubitandum est, *Gregorios* istos, quod et *Hadrianus* dicit in epistola ad *Constantinum* et *Irenem*, in causa imaginum epistolas scripsisse. Mirum certe est, in *Archiuis romanis* non exstare *latinum* exemplar antiquum; sed e *graeco* demum, ex bibliotheca cardinal. *Lotharingiae*, latine transtulisse *Frontonem Ducaeum*. Insunt autem in istis epistolis multa

satis

satis crassa atque impotenter dicta — filius de caelo descendens, loco seminis lumen factum est caro. — Mitte ad imaginem, quam Christus *Abgaro* regi misit; ad quam orientis populi concurrunt, et orant; (nam de ista re et fabula imperator a Latinis monendus erat? Sub *Saracenis* populi eo concurrebant?) patrem Christi non pingimus; si eum quoque intuiti essemus, vt filium eius, illum quoque spectandum exhiberemus; (pag. 7. *Harduini* inepte legitur, vt *custodita* et imperita mens, pro, vt *stolida* &c. — Circumi *scholas*, et dic, ego euerto imagines; tum vel pueri tabellas in caput tuum impingent; (eximia oratio, lepida defensio imaginum, a pueris et infantibus adeo!) Iam enarrat *picturas* et historiatos parietes ecclesiarum, quibus compungi soleant christiani; — dogmata sunt pontificum, non imperatorum — priores epistolas tuas auribus cordibusque regum occidentis obtulimus, te mirifice laudantes — cum vero didicerunt, te misisse *ad confrindum Saluatorem*, τὸ Ἀντιφωνητὸ, vbi miracula multa fiunt, tum vel mulieres illum ministrum occiderunt; tu vero mulieres multas illic occidisti, adstantibus viris Romanis, ex Francia, ex Vandalis, ex Mauritania, ex *Gothia*, atque ex omni interiori occidente; qui vbi apud suos talia narrassent, *laurata tua* iam proculcarunt — (sed imagines graecorum Imper. non ad istos populos missae; declamatio illa hic aberrat;) — tu minaris mihi, romam mittam et papam inde abducam; sed scire debes, papam quasi parietem intergerinum et septum orientis atque occidentis, pacisque arbitrum esse — S. Petrum omnia occidentis regna θεον ἐπιγειον ἐχεσι, (latine additum, *velut* deum;) — nos si 24 stadia procedimus ex vrbe, minas tuas ridemus. — nuper ab interiori occidente accepimus preces τὸ λεγομενου Σεπτετου, vt ad ipsum veniamus baptizandum; ad hoc iter nos accingimus. Quis hic intelligendus nomine Σεπτετὸ; *Baronius* explicat de *Saxonibus*, per *Bonifacium* conuersis; sed falsum est, papam vnquam per ista tempora rogatum, vt ipse veniret; multo minus

minus, proficisci voluit; eadem tamen fabula in secunda epistola, quae *declamationem* improbam non minus prae se fert, repetitur. De *Saxonibus* non valet, interior δυσις; nec illud, ὁ λεγομενος. In glossario *du Cange* putat, dignitatis nomen esse; sed impostor confinxit sic, vt eo magis terrere videretur, si non facile pateret, quem designabat. Sequitur *Anastasii* bibliothec. praefatio in synodum 7, de sua interpretatione — in hac synodo quaedam inueniuntur, ex apostol. canonibus et sextae synodi (*trullanos* graeci tribuunt sextae), quae penes latinos nec habentur interpretata nec admittuntur. *Apologeticus* Tarasii, qui ex Laico fiebat patriarcha; *Prima* actio synodi, praesentibus *romanis* 2 legatis; praelecta *Sacra*; actum de reditu *haereticorum* ad catholicam fidem; professio fidei data ab istis, qui *pseudosynodo*, quam *septimam* dicebant, adhaeserant *contra* imagines seu εἰδωλα, vt dicebantur ab istis, (catholici εἰκονας) — expetens intercessiones Mariae, caelestium virtutum, et omnium sanctorum — alius: δεχομαι και ασπαζομαι και προσκυνω intemeratam εἰκονα domini nostri Iesu Christi et θεοτοκε, huius auxilium omni die et nocte inuoco, tamquam quae ad Christum παρρησια vti possit — rogo omnes sanctos, vt intercedant pro me apud deum — si enim regum λαυρατα et iconas missas ad ciuitates populi *cum cereis et incensis* honorant, non ceratam tabulam, sed imperatorem, quanto magis in ecclesiis decet iconem Christi, Mariae et beatorum patrum pingi — *Gregorius* ep. Pisinuntos (ita reuocat) in *synodo Antiochena apostolorum* dicitur: ne vltra errent, hi, qui saluantur, in idolis, sed ἀντεικονιζειν την θεανδρικην ἀχραντον σηλην Iesu Christi &c. (quam barbare hic episcopus rem suam agit, vt placet synodum!) — varia excerpta patrum et canonum, de *recipiendis* haereticis. *Actio* secunda; reuocat *Gregor.* neocaesar. leguntur libelli a papa *Hadriano*, seu epistola ad impp. — Constant. magnus et Helena — *romam*, spiritualem *matrem* vestram *exaltauerunt*; narrat multa, de baptizato *Con-*

ſtantino per *Silueſtrum*; hic afferri iuſſit iam iſto tempore pictas imagines Petri et Pauli; et imperator agnouit, eumdem vultum, quo ipſi apparuerant — gentiles conſpecta *picta hiſtoria* biblica *ab idolis* ad cultum dei adducti; *Gregor.* I. dicit, (ad Serenum, maſſil. ep.) vt hi, *qui litteras neſciunt*, ſaltem in parietibus videant et legant; (nempe, cur et aliis picturae tamen tam ſedulo commendantur, qui *litteras* legunt, et qui non ſunt e plebe?) — *proprio arbitrio* Adam nomina animantium reperit; *Abel* munera deo — *Noe* propria *adinuentione* altare — — ecce, omnia, *quae ex humana* conſideratione ad laudem dei faciunt, deo placent; (ergo et *ſuo arbitrio* alii imaginibus abſtinebunt ad laudem dei.) — ex *Gregorio* nyſſeno in cantic. — ex *Baſilii* epiſtola ad *Iulianum* transgreſſorem; (in edit. *Garnerii* ep. 360;) ſed *aliis phraſibus* graecis hic exſtat quam in *Baſilio*, licet quaedam verba etiam conueniant; εἰς την προς θεον ἱκεσιαν ἐπικαλεμαι apoſtolos, et martyres, vt per eos, ſeu διὰ της μεσιτειας αὐτων, deus mihi ſit propitius, et lytron peccatorum mihi contingat, ὁθεν και τας χαρακτηρας των εἰκονων αὐτων τιμω και προσκυνω — Hic locus obſeruandus, vt vetuſtatem inuenuſtae ſententiae reperiamus. — E *Chryſoſtomo* — e *Cyrilli* in Matthaeum ἑρμηνεια — *Athanaſii* περι ἐνανθρωπησεως — *Ambroſii* ad Gratianum lib. 3. c. 9; *Epiphanii* — ex *Stephani*, boſtrenſium, de imaginibus, differt εἰκων et εἰδωλον ἡ ζωδιον, longus locus, de exemplis e V. T. ex *Hieronymo*. — omiſſa vero eſt cetera pars epiſtolae Harduini in actis, qua papa poſcit, vt *reſtituant patrimonia*, quae ab aliis olim imperatoribus ſeu chriſtianis b. Petro donata fuerunt, *pro luminaribus* et alimoniis pauperum — item *ordinationes* reſtituant aepp. et epp. — nec patriarcha Conſtantinopolit. *vniuerſalis* nomen ſibi tribuat — reprehendit etiam, quod ex laico (*Apocaligus*) repente patriarcha factus eſt. — ſicut *Carolus* rex Francorum, *Longobard.* et patricius romanorum, *noſtris obtemperans monitis*, omnis Heſperiae natio-

nationes sibi subiecit, atque S. Petro *restituit* prouincias, ciuitates, castra, sed et aurum argentumque quotidie non desinit offerre: ita, si et vos feceritis, victores eritis — Epistola Hadriani ad Tarasium — — vt pseudosyllogos, qui sine apostolica sede, et aduersus imagines — anathematizetur, et sacrae imagines restituantur, conseruata *traditione romanae ecclesiae* — Iam longo ordine episcopi et Hegumeni profitentur se amatores iconum — Actio 3. recepti isti epp. qui libellos obtulerant. Praelecta epistola canonica *Tarasii* ad Antioch. Alex. et Hierosolym. missa; recenset *sex* synodos et e canonibus sextae, seu trullanis, can. 82 describit, de *imagine* praecursoris, qui agnum digito monstrat. Epistola ab Orientis epp. missa ad Tarasium, *septimam* synodum non admittunt. Synodica *Theodori*, hierosol. — Christum sepultum, *resurrexisse*, et *exspoliasse* infernum, et eos, qui a seculo vincti fuerunt, liberasse. Episcopi iam profitentur consentire se Tarasio, eum plerique *εἰκαμενικον* nominant — Actio 4. proferuntur testimonia e libris patrum, pro imaginibus; ex Exodi 25, cherubim; Num. 7, inter 2 cherubim; Ezech. 41, cherub — Hebr. 9, cherubim gloriae. Si V. T. habuit cherubim: nouum ex veteri accipit iconas obumbrantes altare. Ex Chrysostomo: iconem Meletii in annulis, phialis, parietibus faciebant — dixit Chrysostomus, *dilexi picturam* — ergo, quinam oderunt? *Gregor.* nyssenus: non sine lacrymis aspexi imaginem Isaac immolandi; — si huic, quando magis indoctis praestabit vtilitatem! E carmine Gregor. naz. icon Polemonis fecit, vt scortum a stupro cessaret. *Antipater* bostrens. in sermone in Haimorrhousan: fecit statuam Christo; *Asterius*, in Euphemiae laudem; eam pictor aliquis in martyrio belle pinxerat. — maior imago est sermone, ob imperitos deus id praestat; ex martyrio *Anastasii*, persae: mulier quaedam noluit eius λειψανα adorare; martyr mulieri apparuit; illico lumbi dolebant vehementissime; tandem portata in locum, placauit sanctum, et sanata est. Ex libro S. *Athanasii*, de

imagine domini *berytenſi*. (His talibus fabulis et nugis vtuntur hi patres ad dogmata illa de imaginibus!) Ex epiſtola *Nili* ad Heliodorum, Silentiarium; eiusdem ad Olympiodorum; ex diſput. S. *Maximi*; canon. *trullan.* 82. — — poſt quatuor aut 5 annos iidem patres ſynodi ſextae expoſuerunt hos canones. Ex *Leontii*, Cyprii, 5 ſermone apologiae contra Iudaeos; pars longa. Ex *Anaſtaſii* epiſcopi. Theupol. ad quemdam ſcholaſticum; προσκυνεμεν homines, angelos, ſed eis non λατρευομεν; ex eiusdem ad *Simeonem*, boſtr. et ſermo de Sabbato; ex *Sophronio*, Hieroſolym. narrat, Cyrum et Iohannem martyres, procubuiſſe ante magnam imaginem Alexandriae, Chriſti, matris eius in ſiniſtra, in dextra Iohannes praecurſor, et apoſtoli, prophetae, martyres quidam, et rogarunt pro ſanitate aegroti iuuenis; tandem Chriſtus annuit, et *per imaginem* locutus eſt — dixerunt igitur aegroto, abi, in magno tetrapylo ieiunus dormi, et modicum olei de candela ante imaginem Saluatoris ſume, et vnge te &c. ſanus factus eſt. Ex eiusdem Sophronii (alibi *Moſcho* tribuitur) λειμωναριω. Ex miraculis *Cosmae* et *Damiani* — per imagines apparent ſancti et miracula faciunt; ex Chryſoſtomo, *Athanaſii* orat. 4. in Arian. ex *Baſilio* (hic illa epiſtola ad *Iulianum* cum editis conuenit;) ex Theodoreto; &c. ſed iſta teſtimonia parum ingenua ſunt, vt *Scholiaſtes* etiam graecus notat, in *apoſtolica bibliotheca* (Vaticana?) eſt antiquus codex, in quo multa inſerta ſunt teſtimonia alia; ex eis eſſe videtur id; pag. 223 ex *Photino* presbytero Conſtantinopol. de vita *Iohannis* ieiunat. ex vita *Mariae* aegyptiacae; e paſſione *Procopii*; e vita *Theodori* Siceotae; Epiſtola *Gregorii* rom. ad *Germanum* conſtantinopolit. patr. Epiſtola huius Germani ad *Iohannem* Synadenſem, ex alia ad *Conſtantinum*, nacoliae; ad *Thomam*, claudiopol. Iam ſubſcriptiones, anathematibus multis antea prolatis. Actio 5. Alia teſtimonia patrum, ad triumphum pſeudoſyllogi, de falſis teſtimoniis; p. 297 pars longa ex περιοδοις pſeudepigraphis Apoſtolorum; (in

ea

ea de Christo mira narrantur — crux illa luminis, dicitur propter homines λογος, νεκ, Christus, θυρα, via, panis, semen, Iesus, pater, spiritus, vita, veritas, fides, χαρις, putatiua humanitas Christi &c. de *spelunca*, in qua Christus docuerit haec μυστηρια, vid. ex *Eusebio* volum. I. p. 25.) Ex *Antipatro* bostr. contra *Eusebium* caesar. de defensione Origenis, pag. 303. *Eusebius* vsus est ad historiam ecclesiasticam βασιλικη συνεργια. Ex *Iohannis*, διακρινομενε, historia ecclesiastica, quod *Xenaias*, seu Philoxenus, imagines angelorum, Christi, columbae (pro spiritu S.) reiecit. — Hostes imaginum e libris quibusdam folia excidederunt, alios combusserunt, pag. 310. Ex *Constantini* diac. Constantinopolitani sermone, in omnes martyres, ibid. Christus *contra aduersarium*, non fraude, nec vi, *sed lege* vsus est — p. 311 deleuerunt *scholion* in codice veteris testam. quod tamen adhuc non nihil videtur. Scholion fuit ad Exod. 20. — non ad adorandum facimus imagines, vt deos, sed ad imitationem vt excitemur — deleuerunt ex alio codice, de imagine *Camulianensium*; ex alio — ἐν δυσι καταβατοις ἀπαλοιφαι, sed ex alio codice *Euagrii* restitui potest, (lib. 4, 26.) Etiam folia in *Limonario excisa*, de imaginibus. (Liceat annotare, indices *expurgatorii* igitur sunt ab iconomachis inuenti.) *Iohannes* monachus τοποτηρητης orientalium aepp. dixit, originem iconomachiae esse a Saracenis, et ab impostura Iudaei cuiusdam; pag. 319. (Sed *Xenaias* atque alii prudentiores plures diu ante *Muhammedanos* ista imaginum scandala reiecerant.) Romanus primus legatus dixit: veniat imago, cras ponatur, vt omnes eam adoremus — ter igitur ἑκασον σιχον omnes exclamarunt. Actio 6. Refutatio definitionis falsae synodi; incipiebat, ὁρος οἰκουμενικης ἑβδομε συνοδε. — semper pars eius synodi lecta, et eius refutatio. — Christus nos remouit a daemonum doctrina et idolorum cultu, et tradidit nobis adorationem in spiritu et veritate — Christus veniens in anno 5051 per 33 annos et quinque fere menses nobiscum versatus — (diabolus

bolus in ſchemate chriſtianismi idololatriam ſenſim reduxit —). Hic in refutatione dicunt, Chriſti illam redemtionem ita valere, vt rurſus ſub diaboli dominium cadere homines nequeant; Chriſtus eſt caput eccleſiae, hanc eſt ſine ruga, quomodo *poſſit coinquinari;* perſpicimus *eccleſiae* nomine monſtrum ali; hoc ſigno ( ) diſtinguimus partes concilii conſtantinopolitani; (numero 338 epp. congregati, in hac 7 ſynodo — *ſex* vniuerſales ſynodos accipimus) — ſi Neſtorii *diuiſio* perſonarum, et ariana et Eutychiana *confuſio* naturarum per ſynodos prohibita eſt, igitur et tales imagines — Chriſtus enim dicitur imago, ſed Chriſtus eſt deus et homo; diuinitatem ſi fatemur non pingi, ergo *ſolam* carnem, quae eſt noſtoriana diuiſio; pingitur enim ſolus homo; — — imagines nihil ſanctitatis habent, e manu pictoris; eſt ars ethnica; (hinc patet, imagines *nondum benedictionem* habuiſſe; hoc idem in libro *Carolino* obiicitur.) ſicut carnem ex vnitione illa propria ſanctificatione ἐθεωσε, ſic τον ἀρτον εἰς ἀψευδη εἰκονα της φυσικης σαρκος per ſpiritum ſanctum ſanctificatum, θειον σωμα ἐυδοκησε γινεσθαι.) Refutatio: nemo dixit panem Euchariſtiae *imaginem* carnis ſeu corporis; ante τελειωσιν τε ἁγιασμε nominare quidam patres ſolent, ἀντιτυπα των σωματικων μελων — (deus eſt ſpiritus — *Epiphanius* Cyprius, ne inducatis imagines, εἰκονας in eccleſias aut coemeteria ſanctorum, nec in domum communem.) Hanc epiſtolam ad *Theodoſium* imperatorem refutatio dicit falſam eſſe — (*Theodoti* ancyrani: imaginum iſtis coloribus pictarum qualis eſt vtilitas? ſanctorum animatas imagines, virtutes intueamur — eſt διαβολικης μεθοδειας ἑυρημα) confutatio: non exſtat in vlla earum ſcriptione *Theodoti*, quas nouimus. (Ex Euſebio, caeſar. ad *Conſtantiam* Auguſtam, quae Chriſti imaginem petierat; negat fieri poſſe.) Hic *Euſebius* eſt Arianus, quod copioſe demonſtratur; omnes Theopaſchitae, qui diuinitatem loco animae Chriſto dant imaginem auerſantur. (Igitur, qui auſus fuerit poſthac conſtruere imaginem, vel adorare, vel ſtatuere

statuere in ecclesia aut alia domo, deiiciatur, anathematizetur; sed vasa historiata aut vela — non corrumpantur. — Si quis non confitetur — canones dogmatici; — *Mariam κυριως θεοτοκον* esse super omnem *κτισιν* — et cum sincera fide eius *πρεσβειας* non exorat — si quis omnium SS. non postulat orationes, tamquam *παρρησιαν* habentium, pro mundo *πρεσβευειν* — *exclamationes* in Synodo, in honorem *Constantini* et *Leonis*. — trinitas deposuit Germanum, Georgium, Cyprium, et Ioh. *Mansur.*) tomis 6 constat haec refutatio, cui istud concilium insertum est. Actio 7. *ὁρος*, definitio synodi nicaenae secundae; subscripta nomina 309. Multae exclamationes. Epistola *Tarasii* et Synodi ad *Constantinum* et *Irenen*; alia ad clericos *Constantinopoleos*. Actio 8. Iussi epp. Constantinopolin venire, congregati in *Magnaurae* palatio, acclamationes; canones promulgati; 1. vt sacri canones per omnia obseruentur. 2. Hoc promittat episcopus consecrandus. 3. Ne per principes eligatur episcopus. 4. Ne episcopus aliquod donum accipiat. 5. Qui exprobrant clericis hoc, quod nihil dederint, — 6. Vt per annum fiat synodus localis. 7. Vt templa non maneant sine reliquiis, (nempe nec imagines nec *reliquias* amabant isti reformatores,). 8. Hebraeos non oportet recipere, nisi ex corde conuersos; simulantes isti potius manifeste iudaizent; nec pueri eorum baptizentur. 9. Ne quis liber absondatur iconomachorum. 13. Ne domus venerabiles aut monasteria, vt factum est, communes aedes, *καταγωγια*, fiant. 14. Ne lectores sine impositione manus in synaxi ex ambone legant. 17. Ne oratorium aedificare audeant (monachi, qui volunt aliis praeesse) nisi sumtus sufficientes ei adsint. 18. *Feminae* ne habitent in episcopiis aut aut monasteriis. 19. Ne per aurum accedant in monasteria. 20. Ne sint monasteria *duplicia*; adulterium enim intercedit — Sermo laudatorius in synodum, ab *Epiphanio*, diac. *Catanensi* dictus, — Christus redit *ex inferno cum animabus*, quae ibi tenebantur — p. 503, *deus* manifestatus est in carne, 1 Tim. 3. (e graeco, *vt hodie* legi-

leginus;) ex reconciliatione semel facta concludit, fieri non posse, vt in diaboli potestatem incidamus. — vbi sunt diuinationes, mysteria Cereris — Epistola *Tarasii* ad *Hadrianum*; *graecus scholiastes* contulit cum latina *Anastasii* translatione; alia epistola eius, contra *Simoniam*; alia ad *Iohannem*, anachoretam; — plures episcopi pecuniis obtinuerunt sacerdotium — si poeniteant, recipiendi. de nomine dei ἀκοινωνήτῳ — lex et prophetae non valuerunt hoc efficere; itaque venit ὁ λογος et liberauit nos ab errore idolorum (sic iam antiquiores describunt Christi prouinciam) — ad augustos directa est oratio p. 530, ergo fragmentum tantum.

Ad historiam *huius concilii* maxime pertinent libri *Carolini*; *Hadrianus* miserat ad Carolum hoc concilium, vt ab episcopis regni susciperetur; *Carolus* episcoporum sententiam rogauit, siue quod aduersus aulam graecam ipse commotus esset, cuius filia *Rotrudis* per *Irenen* filio Constantino sponsa fuerat rogata, quam etiam graecus eunuchus iam linguae graecae facultatem docebat, inde ab a. 782, *Irene* vero filio dedit postea aliam Mariam; siue quod omnino plus eruditionis et sanae mentis apud Episcopos Galliae resideret. *Ingilrammus* igitur, archicapellanus, attulit papae censuram satis verbosam, quae *Caroli* ipsius nomine conscripta et libris 4 diuisa fuit. In *praefatione* reiiciunt tam Constantinopolitanum illud a. 754 quam hoc nicaenum concilium; et fatentur, refutatione opus visum esse. Satis bene et recte pleraque hic disputata sunt; sed cum facile in manibus hodie sint hi *Carolini* libri, non opus est, vt multa describamus. *Hadriani* scriptum pro synodo hac, aduersus gallicanam censuram exstat apud *Harduinum* p. 774 seq. sed ad pauca tantum respondet; non ad omnia. Excusat papa, quod *Tarasius* dixit Spiritum S. *per filium* procedere; ita *Athanasium* &c. dixisse. *Hadrianus* parum venuste respondet plerumque; cap. 15. (desunt haud scio an casu, an vetusto consilio, in serie capita 10 vel 11.) quod non propter caussam imaginum scriptum est Psalm. 73,

quanta

quanta malignatus est inimicus in *sanctis tuis*; papa audet affirmare, recte hoc carmine graecos vti. C. 16. Epistola, quam graeci *Simeonis Stylitae* dicunt, parum conuenit cum scripturis diuinis — *diuinas* aures tribuit Iustino &c. — papa defendit. C. 17 falso dicunt, omnibus haereticis deteriores esse iconomachos. C. 18. Nulla Euangelii lectio tradit, Christum scripsisse ad Abgarum; papa inepte respondet, *Stephanum* papam iam defendisse hanc historiam, ex Ioh. 20, *multa alia fecit Iesus* &c. item synodicam trium patriarcharum, *Cosmae*, alex. *Theodori*, Antioch. et *Theodori*. Hierosol. in qua de hac re narratur, ab omnibus fideliter *honoratam* et venerabiliter susceptam esse. (Hoc testimonium addendum *dissertationi* de epistola Christi ad *Abgarum*;) C. 19. Non huc pertinet ex Psalmo 73, quoniam non iam est propheta; resp. hoc *psalmifice* dixerunt coaequantes iconomachos Iudaeis. C. 20. Ex Cantico cantic. c. 2. *ostende mihi faciem tuam*, impudentissime ad imaginum visionem protulerunt; (obseruemus, bonae mentis clara documenta, in his libris carolinis;) papa: recte hoc protulerunt, quia visio imaginum ad formam domini secundum carnem, et genetricis sanctorumque pertinet. Adeo non puduit papam hermeneuticam inscitiam suam commendare! C. 23. Non inuenitur in nostris codicibus, qui ex hebraica veritate translati sunt, de *tabefacta* veste talari pueri Iosephi, quam Iacob osculatus est &c. Papa: in multorum patrum opusculis de diuersis historiis, (bibliis) *asserta* (alia, quae in bibliis non exstant,) leguntur: quasi bene et recte id fiat; sed *traditionum* patrumque illi amatores ita solent, ne ratione homines vti sua audeant, atque abiicere ea, quae ratione carent. C. 24. Indocte et inordinate dicunt, calumniaris me, quod lignum vt deum adoro; cur non Iacobum, qui summitatem virgae Iosephi adorabat? Iosepho enim, non ligno honorem exhibuit, vt nos per crucem Christo. C. 25. Non pertinet ad imaginum adorationem, quod scribitur, Iacob benedixit Pharaonem; papa: semper benedicere nos docet SS; et prius chartae cessabunt,

quam sermo, si de benedictionibus diuinae scripturae exarare volumus. Nonne papa eximie interpretatur? C. 29. illud psalmi 84, misericordia et pax obuiauerunt sibi, temere aut *adulatorie* in participatione Hadriani et Tarasii dicitur esse completum; papa, defendit. Perpetua est illa hermeneutica crisis, et semper iusta. C. 33. *Absurdissime* afferunt ad imagines illud, *nemo accendit lucernam* &c. Papa: valde nimis atque pulcre hoc contra eos dixerunt, qui imagines condemnarunt; lucerna enim fides nostra est. C. 36. Numquam ab apostolis, verbis aut exemplis, vt illi *garriunt*, imagines adorare institutum est. Papa respondet ex *Dionysio*, areopagita. C. 45. *Dementissime* et *ratione* carens dixit Iohannes presbyter (in actione 4.) absente imperatore, imago eius honoratur; Christo visibiliter non apparente, honoranda eius imago. Papa nil respondit, quam hoc non esse Iohannis, sed esse *Anastasii* theopol. ab isto citatum; (manet vero id praedicatum, *dementissime* dictum esse. C. 47. Absurde cherubim et arcam afferunt; papa nihil respondet, quam patres quosdam in istis rebus a mose narratis dicere, adumbrari inuisibilia. C. 48. Non parui est piaculi, scripturas s. aliter intelligere, ad hos sensus, quos illae non continent. Papa: *Augustinus* dixit, mysteria et sacramenta de Christo quaerenda esse in Veteri testamento; (ergo imagines adorare est mysterium de Christo!) C. 49. Quae sit differentia imaginis, similitudinis, aequalitatis? Papa ex Ambrosio affert locum: de veneno in dialectica disputatione; deo non complacuit in dialectica saluum facere populum suum; (sed profecto etiam deo non placuit homines stoliditatis et stuporis incremento saluare.) C. 53. Mulier in ecclesia non doceat, sicut Irene; papa prouocat ad *Helenam*, in concilio *Siluestri* romano cum Constantino &c. C. 57. *Non est contra religionem* christianam, vt illi dicunt, *non colere et non adorare imagines*. Papa ineptissimum locum *Augustini* affert, nisi quis misceri visibiliter velit Christianis, hunc quasi lineam vestem habere, tunicam non velle. *Ridiculose* et pueriliter *Theodosius*,

dosius, myrensis, somnia archidiaconi sui retulit, vt adorationem imaginum adstrueret. Papa dicit, per somnia in V. et N. T. pluribus reuelata sunt. (Somniauit et papa.) *Deliramentum* errore plenum, quod de retruso quodam narrant, qui daemoni iurasse dicitur, (actione 4.) cuius abbas *non mediocriter* deliraſſe dignoscitur, dicens, commodius esse, omnia in vrbe lupanaria ingredi, quam abnegare adorationem imaginis domini aut Mariae. Papa: est hoc ex libro Sophronii, cuius *deiloqua* dogmata nemo orthodoxus respuere audebit. (Papa bene respondit! Tales orthodoxi tamen deliri dicuntur tam olim in Gallia, quam hodie in orbe terrarum omni.) In epistola imperatore papae vrbis romae scripserunt: rogamus tuam paternitatem, et maxime deus rogat (scil. te, papam) quod omnino ineptum est; papa respondet, *Christus rogauit* deum pro Petro; e 2 Cor. 5 Paulus sic loquitur, deo *exhortante* per nos. *Falsissimum et omni ridiculo* dignum est Iohannis presbyteri dictum, (actione 5.) *qui non minus ceteris insaniisse* dignoscitur in imaginum adoratione, cum dicit, qui adorat imaginem et dicit, hic est Christus, filius dei, non peccat. Papa, (quem ex responsionibus videmus non parum metuisse et timuisse, aliter sexcenta anathemata non sufficiebant Gallorum scommatibus et dicteriis,) ex Augustino affert: diuinitas vbique praesto est; ad eam igitur vndique duci potest similitudo; dicitur Christus *ianua*, *pastor* &c. Vt scire nos faciant, *vbi* in V. vel N.T. aut in sex conciliis *iubentur*, *imagines facere* vel factas adorare? Hic papa omnino se deridendum praebet: dicant, vbi *reprehensae* sunt imagines? Affert autem *historias*; Siluester et Constantinus M. venerati sunt imagines; ecclesiae Siluestri, Marci, Iulii sunt *depictae*, tam in musiuo, quam in ceteris historiis cum imaginibus. Ecclesiam Damasi adhuc pictam habemus; Caelestinus *coemiterium* suum decorauit. *Sixtus* papa fecit basilicam *Mariae ad praesepe*, in metallis aureis et imaginibus — et per eius rogatum *Valentinianus* Augustus fecit *imaginem auream* cum

12 por-

12 portis et saluatore; item S. *Leo* fecit ecclesias, atque eas imaginibus pingens decorauit — Vigilius — Pelagius — vt Ambrosius dixit: seruemus praecepta maiorum — Tandem! vt sciat domnus apostolicus et cuncta Romanorum ecclesia: *permittimus* imagines sanctorum, quicunque eas formare voluerint; *adorare* vero eas nequaquam cogimus eos, qui nolint; frangere eas, etiamsi quis voluerit, non permittimus — — Magni momenti sunt hi *carolini* libri; videmus quasi oculis, si principes subiectos bonam mentem amare patiantur, vana est conciliorum auctoritas; papae illa potestas, vt concilium confirmet. hic tam nulla apparet, vt fere pedibus conculcetur istud concilium, eique stultitia et impudentia exprobretur; nec aduersus *Galliae* episcopos aliquid valuit papa. Mirum vero est, qui acciderit, vt tandem ista somnia et ridiculosas narrationes et sanctiones, quas maiores publice hic proiiciunt, nepotes quasi christianae religionis partes suspexerint!

Concil. *Narbonense* minus certi temporis; si quidem non confictum est scriptum, initium videtur serius appositum; dicitur enim, episcopos conuenisse pro variis ecclesiasticis negotiis, praesertim pro *Felicis* vrgel. *pestifero dogmate*; is tamen *Felix* subscripsit; in hac charta tantum agitur, de limitibus parochiae *Narbonensis*. *Capitulare* aquisgranense a. 789, capitulis 59; et alia 8 adhaerent, omnia 67. Adscribitur capitulis, *omnibus*; *episcopis*; *omni clero*; *ad solos sacerdotes*; ex vetustioribus collecta sunt conciliis et paparum epistolis. C. 20. Repetitur ex concilio laodiceno, de canone N. T. *omittitur adhuc apocalypsis*; alia capita iam demum edita. C. 63. Parvuli, qui sine rationabili aetate sunt, non cogantur iurare; sicut *Gnebodinge* faciunt. C. 72. — vt *scholae legentium* puerorum fiant, psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per singula *monasteria vel episcopia discant*; sed et libros catholicos *bene emendatos* habeant — et pueros non finite eos legendo vel scribendo corrumpere; si opus

est,

est, *Euangelium*, *Psalterium*, missale scribere, perfectae aetatis homines *scribant cum omni diligentia*. C. 76. Auditum est, aliquas abbatissas *benedictiones* cum manus impositione et signo crucis super capita virorum dare, et *velare* virgines. C. 78. Pseudographiae et dubiae narrationes, vt superiori anno *epistola de caelo* — non legantur, sed comburantur. C. 79. Mangones et cociones vagabundi — et isti *nudi cum ferro*, qui dicunt *data poenitentia* se sic ire. C. 80. Vt monachi *cantum romanum* pleniter per nocturnale vel gradale officium peragant. C. 82. Ne sinatis presbyteros praedicare *noua*, ex suo sensu, non *secundum scripturas sacras;* praedicandum est de deo, patre &c. quod filius dei incarnatus est — venturus in iudicium, et *impios* cum diabolo — de resurrectione; manifesta sunt *opera carnis* &c. De dilectione dei et proximi. Alia *capitula* pro monachis, quae solent istis subiici. — C. 9. *Nullus cogatur inuitus* — Alia capitula, de rebus diuersis. 1. Vt comites pupillorum et orphanorum causas primum audiant. 3. De monasteriis minutis, vbi *nonnanes* sine regula sedent, vt in vno loco fiat per Episcopum congregatio regularis; claustra sint bene firmata; nullatenus *Winileodes* scribere vel mittere praesumant; et de *pallore earum*, propter sanguinis minutionem. 4. Ne in psalterio vel euangelio *sortiantur* — 7. *Baptisterium* secundum morem romanum — 8. De calceamentis, sec. morem romanum. 15. Episcopi, abbates, abbatissae cuplas canum non habeant, nec falcones, iaculatores, (iocul.) 17. Vt super altaria tectoria fiant vel laquearia. 18. Vt *cloccae non baptizentur*, nec chartae per perticas pendeant *propter grandinem*. Concil. *Foroiulienſe*, a *Paulino* aquileg. 791. primum omnium (Paulinus) agam de symbolo Nicaeno; — *exponendo* addere licet, e. c. et *in spiritum S.* quid hoc est? sensus *supplendus* est — additum est postea, *filioque*, sed non contra sensum additum est — quia filius *in patre*, non potest spiritus s. a *solo* patre procedere — qui addiderit ad hanc, apponet deus, *Apocal.*

cal. fine. Disputabimus contra eos, qui de *personarum discretione dubitant* — qui *tria* principia faciunt — qui filium *naturalem et adoptiuum* affirmant. Symbolum fidei, (nihil de *descensu ad inferos;* in copiosa vero explicatione, *additur;* sepeliri, *ad inferos* descendere, *resurgere*;) hoc symbolum sacerdotes memoriter teneant, saltim, si non ante, in anniuersario concilio proximo; Capitula. C. 4. — nos *omnes omnino* mulieres subintroductas vetamus; experimento enim scimus, earum velamento *alias* mulieres aditum habuisse — 9. Vt matrimonia fiant inter eos, qui *aetate aequales* sunt. 12. Vt puellarum monasteria bene *clausa* sint — nec *quasi orationis causa*, loca venerabilia, *Romam*, adire licet abbatissae aut monachae. *Synodi* in causa *Felicis*, vrgelitani, *Ratisbonae*, 792, Felix hinc Romam missus cum *Agilberto*; *Francofurtensis* 794, 2 legatis papae praesentibus; exstat apud *Harzhemium* pag. 288 Epistola *Hadriani*, ad epp. *Hispaniae*, sed ne quidem ab ineptissimis erroribus typorum cantum fuit; (e. c. cruci affixit in *arce*, ita etiam *Harduinus*, pro in *carne*;) ceterum papa hiulca declamatione vtitur; de spiritu S. hic exstat, ex patre *filioque* essentialiter procedit — illa vox, filius meus, in quo mihi bene *complacuit*; non placuit, simpliciter; sed *complacuit*, totam trinitatem comprehendit, *quae* in homine christo complacuit; *secundam humanitatem* hic dicitur, *filius meus*. Libellus episcoporum *Italiae* contra Elipandum; concilii decreto, (in suburbanis *Moguntiae* in loco celebri Francofurt,) contra Epistolam *Elipandi;* auctore *Paulino*, aquileg. Verbosissima est scriptio; in qua etiam illam *Hispanorum* (seculi superioris) tangunt sententiam, ex *tribus substantiis* vnam mediatoris personam consistere; — *Synodica* concilii ab episcopis Germaniae et Galliae ad epp. *Hispaniae* missa. — in vestro libello *duae* res difficiles nobis occurrerunt; *vna*, cur non sufficiant, quae in SS. et patrum dictis inueniuntur; cur affirmamus, quod in scriptis Apostolicorum doctorum non exstat? *Altera*, quare

genera-

generationem filii vel aeternam, vel temporalem aliquis audeat inuestigare? — vsi estis *Hieronymi tractatu in Apocalypsin* — eius epistola, quam ad Cerasam scriptam dicitis, nec apud Romanos nec apud nos, inueniri potuit. — Inuehuntur in Hispan. doctores, Eugenium, *Ildefonsum*, Iulianum, qui in *Missa* de coena domini, sic locuti sunt: qui per *adoptiui* hominis passionem — — vt notum sit omnibus, cur Hispani traditi sitis in manus infidelium — melius est testimonio dei patris credere, quam *Ildefonso* vestro — talibus in precibus vos non exaudiri putamus. — Christus in vtraque natura est vnigenitus et primogenitus — verbosissima est epistola, sed parum inest ingenii. Epistola *Caroli* M. ad *Elipandum* tolet. et ceteros Hispaniae consacerdotes; — congregauimus concilium, ter, quater ad papam scripsimus; de *Britanniae* partibus conuocauimus aliquos — scripsistis ad me: per eum, qui pro te in cruce manus extendit, — et ad *liberandos electos* ad infernum descendit — vt per te ipsum *arbiter sedeas* (videntur Hispani adhuc, vt olim, abhorruisse a magisterio romano) — a vobis ortum *adoptionis* nomen — in hac fidei professione Carolus nihil ponit de descensu ad inferos; ceterum *tres istos* se *libellos* mittere significat. Canones huius concilii Francof. 1. contra Elipandum et Felicem. 2. De noua Graecorum Synodo; *adorationem* et seruitutem, δουλειαν, patres nostri omnimodis condemnauerunt; (itaque non intellexerunt de diuino cultu, quem sciebant verbo προσκυνειν per se non significari, sed honorem omnem *publicum*, ecclesiasticum, si quasi per dogma et canonem inbeatur, reiiciunt; ita *Sirmondi*, *Binii* — aliorumque scholiis non opus est.) canones sunt 56, *mixti generis*; de moneta noua etc. c. 42, vt nulli *noui sancti colantur* aut inuocentur. C. 52. Nemo credat, quod tantum in *tribus linguis* deus orandus sit; quia in omni (etiam *vernacula*, vulgari *lingua* deus adoratur et homo exauditur. C. 55. Vt sicut *Angilramnum*, sic iam *Hildebaldum* ep. Carolus semper in palatio habeat, (supremum

sacra-

ſacrarum rerum arbitrum). C. 56. Vt *Alcuinus* a ſynodo in conſortium recipiatur. Epiſtola *Paulini*, aquileg. de *Heiſtulfo*, qui vxorem ſuam occidit, cauſa adulterii, propter vnius teſtimonium; ſuadet, in monaſterio poenitentiam ſubeat. Capitulare *Saxonum* aquisgrani, a. 797. cap. 11. ſed non ſunt eccleſiaſtica. Capitulare *Theodulphi*, aurel. ep. ad ſacerdotes parochiae ſuae. C. 46. C. 9. Ne deinceps in eccleſiis ſepeliantur, niſi ſacerdotes. C. 12. *Nulla omnino* femina cum presbytero habitet. C. 19. Si quis presbyter nepotem ſuum aut conſanguineum vult ad *ſcholam* mittere, id faciat in hac eccleſ. hoc monaſterio &c. quae *nobis ſubſunt*. 20. Presbyteri *per villas et vicos ſcholas* habeant. 21. Sententiam inſerimus *cuiusdam patris*, de inſtrumentis bonorum operum &c. 22. *Symbolum* et orat. *dominicam* omnes memoriter teneant, aliter non ſunt catholici. 23. Saltim bis per diem, *mane* et veſpere dicant ſymbolum, vel orat. dominicam, et alias oratiunculas; — ſolo deo ſic adorato, ſanctos inuocet, vt pro ſe intercedant. 25. Vt hoſpitium praebeant, etiam ſine mercede — 31. *Confeſſiones* dandae ſunt de omnibus peccatis, ſiue in opere ſiue *in cogitatione*. 36. Hebdomada vna ante XL, *confeſſiones* — 37. Quadrageſimae dies *decimae* ſunt totius anni — 39. 40. *Ieiunium* durat vsque ad veſperam. 41. Singulis dominicis in XL, ſacram. corporis et ſanguinis ſumenda ſunt; et in coena domini, paraſceue, vigilia paſchae, et in die reſurrectionis, *ab omnibus* communicandum. 44. Non nimis abſtinendum a ſ. coena. 45. Ne miſſae *peculiares*, (priuatae, pro defunctis) populum a miſſa publica, hora tertia, abſtrahant. (Igitur hoc ſeculo miſſae priuatae multae iam fiebant.) Concilium *Aquisgranenſe* 799, in quo *Felix*, vrgel. catholicam fidem ex animo profeſſus eſt; (poſt concil. *Romanum*, epp. 57 ſub Leone 3, cuius fragmenta tantum ſuperſunt;) exſtat confeſſio *Felicis* apud *Alcuinum;* in ea mirum eſt ſuperesſe tales mendas p. 931. Harduini, p. 337. Harzhemii. — ad dextram dei, vnde *perſonam* conſtitutos principatus et pote-

potestates &c. cum liquido legendum sit, vnde *super omnes* constitutus principatus &c. Incerti anni est capitulare, seu capitula a papa missa cum reducibus *Caroli* legatis, qui rogauerat de presbyteris criminosis, et de *chorepiscopis*; nulli deinceps chorepiscopi fiant, &c. Hi locum *των 70 discipulorum* Christi tenent, (sic iam in *Zachariae* capitulis ad *Pipinum* a. 747. c. 4. est e secul. 4.) Sed num. 5. de his, qui a Chorepiscopo confirmati sunt, exstat mendum, quod sensum plane impedit: nam ante synodalem prohibitionem Chorepiscopi *non* ex 70 discip. ordine erant, quos numquam Spiritum S. tradidisse nouimus. Legendum, *tantum* ex 70 &c. Haec obseruatio ceterum vera est, isti discipuli non impertiisse leguntur Spiritum S. sed soli *Apostoli*; hi enim soli ministeria publica, quibus destinatur πνευμα ἅγιον, procurabant et ordinabant.

De ritibus et superstitione.

Inter *concilia* excerpsimus iam non pauca, quae ad *ritus* pertinent; sed nec piget alia ex hoc seculo addere. S. *Gertrudi*, tradidit sua omnia *cum cespite et ramo, cultelloque cum manubrio* albo; in vita S. *Berlendis*; addit *Mabillon.* sec. 3. parte 1. actorum pag. 17. similiter narrari in miraculis S. *Gertrudis*, seculo 2. ad a. 658. Moribunda *oleum sanctum* petiit, et postea corpus et sanguinem Christi. Poena in monasteriis, *vade ad crucem*, pag. 34. extensis scil. manibus, *inflexibilibus brachiis*, *iunctis ad crucem*, p. 71. *nobiles* olim tantum in monasteriis; p. 41 narratur, electam aliquam fuisse, (tu es ex monasterii huius *nata famula*, debes *seruile opus* exercere *foris*, ausa es arbitrari, vt rapinâ *corpori sanctimonialium* sociata, *domina effici* delecteris;) miraculo febris opus fuit, vt abbatissa puellam ignobilem admitteret. Iter *Romam* dicitur peregrinatio *pro Christo*; dicuntur etiam *peregrini S. Petri*. Ordo *tertius*, (clerici, laici, *monachi*) dicitur ceteris perfectior, in vita S. Hermelandi; *baptismus*

fiebat *die octauo*; Guthlacus solebat *post bis denos dies* tonderari, (barbam resecare;) *Tetricus*, ep. Autissiodor. habito concilio constituit, qualiter abbates vel Archipresbyteri in ecclesia S. Stephani diuinum persoluerent officium: Kal. *Ianuarii* 1. hebdomada, Basilica S. Germani; 2. hebdom. Basil. S. Amatoris; 3. hebdom. Basil. S. Petri; 4. hebdom. Basil. Monasterii S. Iuliani. *Februarii* 1. hebdom. Basil. S. Mariani; 2. hebdom. Basil. S. Eusebii; 3. hebdom. Basil. S. Martini; 4. hebd. Basil. S. Mariae. *Martii* 1. hebdom. S. Nazarii; 2. hebdom. monaster. longoretense; 3. hebdom. monast. Sesciacense; 4. hebd. Scolius vicus. *Aprilis* &c. semper in alia basilica; Kal. *Augusti* et *Octob.* clerici dominici; septembri omisso. Mense octobri redeunt basil. S. Germani &c. vt ab initio. Clerici ad officium sic conuenientes ex dominico cellario, ab oeconomo ecclesiae stipendium sufficiens accipiant. In *praefatione* actorum huius seculi *Mabillonius* pluribus egit, de Scotorum dissidio, de paschate, per benedictinos sublato; itaque tam multa in gratiam Scotorum monasteria exstructa; hoc seculo ex more *tonsura* laicorum valuit; ideo orationes ad *capillaturam incidendam* in ordine romano occurrunt; *Clericorum* vero tonsura *triplex*, romana, graeca, scotica. Graeci penitus tonsi et rasi; *Scoti*, posteriorem capitis partem intonsam gestabant, coma ab aure ad aurem in anteriori parte capitis ablata; Romani, detonso superius capite toto, inferius solam circuli coronam relinquunt. Non omnis, qui attondebatur in monachum, simul etiam clericus dicebatur, etsi a seculo sexto fere per aliquod tempus ita fuit. Monachorum in coenobiis non vnum fuit genus; erant pueri *oblati*, ex voto parentum; erant *conuersi* (*nouitii* etiam et *pulsantes* dicti;) qui in *adulta* aetate in monasterium se contulerunt, hi ad ordines sacros etiam admouebantur; monachi *laici*, exterioribus curis dediti, (*ministeriales* in *Smaragdi* regula C. 35.) sed et postea ad clericalem gradum veniebant; post *annum* vestem monasticam induebant — Monachi

nachi ad *succurrendum*, in mortis periculo habitum expetebant; si rediret valetudo, tamen in seculum non redibant. *Fratres conscripti*, in tabulis monasteriorum scripti, participes bonorum operum; erant etiam istae classes inter sanctimoniales; etiam reclusi et reclusae. *Corona* tantum monachorum *clericorum*; laici monachi, tantum capillis tonsis. Fol. 14 seq. agit de *Germania* a Benedictinis ad christianam religionem adducta, et de monasteriis *in ea* institutis. Fol. 17 de cathedralibus ecclesiis in germania per Benedictinos erectis; de episcopis abbatibus, seu episcopis monasteriorum. In germania episcopales ecclesiae minimum VII paruere monachis, in Anglia nouem; p. 25, de *scholis interioribus*, seu scholis *claustri*, quae pueris oblatis destinatae; *exterioribus*, seu *canonicis*, pueris secularibus. Num 4. pag. 24 multis agit *Mabill.* de *litterarum studiis* a *Benedictinis* excultis; sed satis pauca sunt, quae fide non carent; pag. 32 de cultu soli germanici, (siluis excisis &c.) per benedictinos. *Obseruationes ecclesiasticae* p. 34. de *Missa quotidiana*; panis ad S. coenam non erat cibarius, sed rotulae, *oblatae*, quae etiam solebant cum sacerdotibus, sub capite et circa pectus, sepeliri. Vdalric. libro 1. consuetud. cluniac. c. 49, quae in ferramento *characterato* in conspersione farinae tenuissimae, fiunt, et ab hominibus romanae linguae, *nebulae*, a nostratibus appellantur *oblatae*; de superstitioso ritu eas faciendi, p. 36 seqq. quo ritu oblatae a fidelibus olim; ex *Gregor.* turonensi iam, C. 65 de gloria confessorum: mulier quotidie oblationem offerens pro memoria viri, quod haberet requiem ea die, qua pro eius anima oblationem — semper *sextarium Gazeti* praebuit; sed subdiaconus nequam reseruabat sibi Gazetum et vehementissimum acetum in calice offerebat, vt mulier putaret sibi dentes excuti — videtur hoc seculo et paulo post *oblationum laicarum* vsus desiisse; successit *eleemosyna pecuniaria*, et donatio praediorum, villarum, vnde vinum ad sacrificium pararetur pag. 47 seq. de vsu *azymorum*, (contra *Sirmondum*). Com-

munio laicorum, quam ſua *manu* recipiebant, ſub *vtraque ſpecie*; p. 53 ſeqq. *plura altaria* in vna eccleſia; altaria *portatilia*; *Confeſſio* ante communionem, p. 60 ſeq. ex *Alcuini* epiſtola (71, ap. du Chesne; 26 apud Caniſium) in prouincia Gothorum, (Gallia *narbonenſi*,) nemo ex laicis volebat *ſuam confeſſionem ſacerdotibus dare* &c de eo dubitari nequit, confeſſionis *auricularis* ſemina iam hic ibi ſpargi hoc tempore. *Pater confeſſionum*; capellanus, cui Carolus confitebatur peccata ſua — ea fiebat aut in periculo mortis, aut in feſtis praecipuis; ante peregrinationem, ante vitae monaſticae initium, ante confirmationem, ante initiationem militarem, (manebat homo per noctem in eccleſia; gladio in altari poſito, quem benedictum ſacerdos collo mitis cum benedictione imponebat;) ante praelium. *Societates* mutuae pro ſuffragiis; pro viuentibus, et pro mortuis his ſociis, quorum nomina in libro ſcripta, p. 76 ſeq. *Anniuerſaria* perpetua; campanae pulſatae pro moribundis; *Romani ritus* plerique omnes hoc ſeculo in *Angliam*, *Galliam* et *Germaniam* illati; *Gallicana* eccleſia in *cantu* et *pſalmorum* tum ordine tum translatione a romana diſtinguebatur; *cantum* romanum iam *Pipinus* induxit, ſublato Gallicano, vt Carolus ipſe narrat in capitul. *Aquisgran.* C. 80, quia vero cantuum modi etiam in Gallia diuerſi audiebantur, miſit *Carolus* 2 clericos ad Leonem 2, vt in ſchola romana inſtruerentur.

Organa in Galliam ad *Pippinum* a Conſtantino miſſa, a. 757, vt *Eginhard* narrat. *Canonicorum* etiam collegia in eccleſiis cathedralibus hoc ſeculo primum coepiſſe (frequentiora eſſe,) quidam ſtatuunt; fuerunt enim iam ſeculo 7, ſed rariora. Fuerunt hoc ſeculo *abbates*, qui tantum diaconi erant, non ſacerdotes; in quibusdam tamen monaſteriis fere centum presbyteri erant, quilibet miſſam habuit. S. Spinulo, qui mortuus nimis multa miracula faciebat, ex *obedientia* impoſitum, vt deſineret; et paruit, p. 88. *Abbates ſeculares et Aduocati monaſteriorum* reperiuntur iam hoc ſeculo; iſti abbates, monaſteriorum

facultates ita absumebant, vt propinquos suos ditarent — Quod aliis *ecclesiis* defensores, id monasteriis *aduocati*, e ducibus, comitibus potentibus; iste titulus postea haereditarius mansit; dicuntur alibi *conseruatores*. Per *Bonifacium* magna copia superstitionum inter Germanos et Francos succreuit; e. c. in statutis, quae edidit *Ducheri*; n. 4, vt presbyteri sine oleo benedicto et chrismate et Eucharistia alicubi non proficiscantur; 5. vt chrisma sub sigillo custodiant, nec sub *praetextu medicinae* donare praesumant, genus enim est *sacramenti*. C. 36. Index festorum dierum; *natale* domini, dies 4. circumcisio dies 1. Epiphan. dies 1. purificatio Mariae dies 1. pascha dies 3. Ascensio dies 1. natale Ioh. bapt. dies 1. passio Petri et Pauli dies 1. assumtio Mariae dies 1. natiuitas Mariae dies 1. passio S. Andreae dies 1. Plura e conciliis iam excerpsimus.

De Superstitionibus.

Non rarae iam adfuerunt eius generis narrationes, quae satis crassam superstitionem nomine christianae religionis ornant; rudibus atque imperitis populis facile, aliquid dandum fuisse, et ipsi statuimus: sed non debebat illud studium abesse, vt e rudimentis atque tirociniis inuenustis ad vsum sanae rationis et incrementa cognitionis se emergere populus posset; rarissimi autem fuerunt antistites, qui id sibi proposuerint. *Guntramnus*, abbas trudon. fuit tam liberalis, vt *occultare studeret* miracula, quibus sepulcrum Trudonis dicebatur frequentissime coruscare; dixit, signa (olim) data esse infidelibus, non fidelibus; addit ille scriptor (ap. *Mabillon.* in citata praefatione p. 88.) non tam timori et reuerentiae, quam *ostentui* et *populari gloriae* haberi coepisse; ordo monasteriorum per innumeros peregrinos vehementer turbatus fuit. Nempe quasi ludi scenici et theatrales continui; narrationes autem et opiniones de miraculis vsum omnem rationis et probae virtutis incrementa

ſuſtulerunt; nec enim vel *Iulius Obſequens* et *Palaephatus* talia portenta et dira monſtra religionis inter paganos repererunt. Mola ſe ipſam rotauit, vita S. Winnoci ap. Mabillon. ſecul. 3. parte 1. p. 306, addit ineptus homo, o mirabilem deum in ſanctis ſuis! curioſus frater aliquis cum hoc rei intueri clam vellet, hic caecus factus eſt, et mola iam ſtetit; ſic in vita S. Pardulfi, p. 579. agitarium, vel berciolus per ſe diuino nutu agitabatur. In *Guthlaci* vita, quae diabolorum commerciis plena eſt, *deſcribuntur daemones*, n. 19. eis nec valuae nec crates obſtabant; capitibus erant magnis, collis longis, facie macilenta, lurido vultu, ſqualida barba, auribus hiſpidis, trucibus oculis, ore foetido, dentibus equinis, gutture flammiuomo, fauce torta, labro lato, comis obuſtis, pectore arduo, femoribus ſcabris, genibus nodoſis, cruribus vncis, talo tumido, plantis auerſis — hunc virum membris ligatis extra cellulam ſuam ductum in coenoſis laticibus immerſerunt, inde per denſiſſima veprium vimina lacerarunt, tandem ei imperant, vt eremo diſcederet. Cum ſtabilis maneret, velut ferreis flagellis eum verberare coeperunt — horridis alarum ſtridoribus in gelidi aeris nubifera ſpatia ſubuectant; innumerabiles ſpirituum immundorum alae obviam venerunt, eum omnes in tartari nefandas fauces perducunt. Ille fumigantes inferni caterias proſpectans; ignivomi gurgites — maligni vero inter fauillantium voraginum atras cateruas miſerabili fato animas torquebant — Guthlacum S. *Bartholomaeus* protexit; verbum non addimus, de his immanibus nugis, ſed id notamus, non pauca eſſe ſimillima hic, (de auibus &c.) eis, quae in *Conformitatibus Francisci* leguntur. S. *Siluinus*, ep. Morinorum, multa ſanctorum limina circumiuit, *vt nullus Iuſtorum* (iſtorum) remaneret, quem ipſe ad huius peregrinationis exitum, non *propitiatum* haberet — viſitauit etiam *terram*, in qua dominus noſter Ieſus Chriſtus, ſecundum carnem natus et educatus fuit — etiam in Iordane lotus, quaſi denuo renatus et totus *intrinſecus reparatus*

receſſit

receſſit — p. 297, vt ſuum corpus magis affligeret, *circulos ferri* impoſuit membris ſuis, et auſteritate ferri et aeruginis carnem lacerauit, memorans, quod Chriſtus clavis ferreis eſt confixus. *Lapideas molas* eodem affectu Romam tulit, ante fores S. Petri; S. *Pardulfus* per quadrageſimam a diſcipulo ſuo, omni corpore nudato, virgis ſe caedi praecepit. S. *Egwin*, ep. Wigorn. *pro peccatis populi* ſui pedes ſuos vinculis ferreis adſtrinxit, clauem vero eorum in fluuium proiecit, et Romam ire coepit. — romae tandem *famuli eius* (igitur ſeruitiis non deſtituebatur,) quemdam piſcem magnum emunt; eo exenterato compedum clauis inuenitur; igitur vincula ſua reſoluit. S. *Medericus* aeſtum libidinis, quo monachus aliquis vrebatur, exſtinxit miſſa ad eum tunica ſua; daemon ſtatim fugit, et proclamauit, ſancte Medarde cur — Omnis tandem illa narratio, de apparitione S. *Michaelis* archang. in monte tumba, ineptiſſimis fictionibus et nugis plena eſt; rubeum palliolum Archangelus in monte Gargano poſuerat ſuper altare, quod ipſe *manu ſua* (angelica) conſtruxerat; impreſſit marmori veſtigia ſua — hic Archangelus Paradiſi praepoſitus, animas ſaluatorum in pacis regione collocaturus legitur — praeſul *occidentalium* populorum — poſt domini adſcenſionem, poſt diu exſpectatam Iſraelitarum plenitudinem — Michael miniſterium, quod in dei quondam populum exercuerat, ſortitus fuit in gentium electionem — dici non poteſt, quantum in *aduentu* angeli (ſeu reliquiarum eius) prouinciae gauiſae ſint; *Autpertus* poſt initium ſeculi octaui, 12 clericos deputauit, qui legitimis obſeruationibus in beatiſſimi Michaelis perſiſterent *famulatu* &c. Sed iſta haud dubie nobis ſufficiunt, vt liberalem et iuſtam ſententiam ferre audeamus, de religione chriſtiana, eiusque iſta per tempora improba malignitate, a qua eo longius recedimus, quo plus ſtudii impendimus augendae cognitioni ingenuae, et alendae liberalis conſcientiae.

CAP. III.

De Haereſibus, ſeu exemplis liberalis ingenii.

Nempe audemus *haereſes*, quae tam atrociter deſcribi ab imperita iſta clericorum multitudine ſolent, ita explicare, vt exempla fere prodant ingenii melioris, minus certe pigri aut improbi, quam aliorum illa vulgata agendi et ſentiendi conſuetudo ſecum ferebat. Per ſuperiora iam ſecula obſeruauimus ſatis multa, quae non obſcure hoc produnt, ſi quidem animum aduertere audeamus: *haereſeon* iſtud πολυθρυλλητον nomen non ſemper tam ſcaeuo eſſe omine atque ingenio, vt et nos ſtatim in illorum ſententiam ire oporteat, qui ſolebant hoc vti quaſi praeſidio domeſticae aut conſuetudinis, quae legis tamen inſtar habere ad alios non poterat, aut callidae prauitatis. *Bonifacius* crepabat haereſin fere continuam, ſi ſacerdotes reperiebat coniugio vtentes, aut a more publicorum ſacrorum romano alienos; is igitur catholicam atque orthodoxam doctrinam illam commendabat, quae ad romanae eccleſiae exemplum atque auctoritatem informabatur; ſi quidem fas ſit, *doctrinae* nomine inſignire, recens repertarum conſuetudinum et caerimoniarum copiam. *Aruernae nouatiana haereſis* dicitur ſe emerſiſſe, in vita S. *Boniti*, ſeu *Iouiniani* incontinentia, frugalitatis indignae atque improbae, comparuiſſe; nempe clerici a matrimonio non abſtinebant; nec amabant romanas nouas conſuetudines aut leges ſacras, ideo *Nouatiani* dicuntur; contra has haereſes in magnilocenſi monaſterio *epiſtola* exſtitiſſe dicitur, (in vita S. *Boniti*, n. 18.) ſed illa videtur periiſſe. *Bonifacius*, homo ad legati romani perſonam et natus et factus, inquiſitorem *haereticae prauitatis* eximie egit, vt auctoritatem in omnes ſibi conciliare poſſet; luculenta ſunt iſta exempla *Aldeberti*, *Clementisque*, et *Virgilii*, Salisburg. Quod ad iſtos priores attinet,

net, facile hominis consilium patet, ex Epistola eius ad *Zachariam: contra istos* obsecro apostolicam auctoritatem vestram, vt *meam* mediocritatem *defendere* et adiuvare, et per scripta vestra populum Francorum et Gallorum *corrigere* studeatis, vt haereticorum fabulas non sectentur, et vt *mittantur in carcerem*, et nemo cum iis loquatur. — Ego enim *propter istos* persecutiones et inimicitias multorum patior; dicunt, quod *Aldebertum*, ipsorum apostolum, abstulerim — ille fecit, vt multitudines populorum, *spretis ceteris episcopis* et *dimissis antiquis* ecclesiis, in aliis locis, vbicunque visum est ipsi, conuentus celebrarent; — ab episcopis indoctis (i. e. sine Bonifacio) episcopus *absolute* (sine plebe et titulo) ordinatus est; dedignabatur ecclesias consecrare in honore Apostolorum et Martyrum, (tamen etiam ante narrabat, Albertum iactasse olim, per angelum sibi *reliquias* de extremis mundi finibus allatas;) improperans etiam hominibus, cur studerent apostolorum (romae) limina visitare — *vngulas* suas et capillos dedit ad honorificandum et portandum cum reliquiis S. Petri, (seu Roma allatis.) Venienti populo et volenti (ex isto nouo more romano) *confiteri peccata* sua: dixit, scio iam peccata vestra; non est opus *confiteri*, dimissa sunt peccata *praeterita*, (nempe, iam vero a peccatis abstinete.) Alter autem *Clemens*, contra cathol. ecclesiam contendit; *canones* refutat, (quos Bonifacius inferebat,) recusat tractatus *patrum*, *Hieronymi* &c. affirmat, se post 2 filios, posse esse episcopum; iustum esse putat, *viduam fratris* accipere vxorem, (hoc dicit Bonifac. *iudaismum* esse;) Christum *omnes*, quos inferni carcer detinuit, liberasse; de *praedestinatione* contraria fidei catholicae (Augustino certe) affirmat. Mandare curate *Carolomannum* ducem, vt mittatur in custodiam. *Denardus*, presbyter Romam a Bonifacio missus, *porrexit actus* seu scripta *de eo*; scil. *vitam* eius; (sed a quo tandem scriptam?) *Epistolam*, qua vtebatur Albertus, dicens eam esse Iesu et de caelo cecidisse; in Hierosolyma,

per Michael, archangelum, inuenta est ad portam *Ephrem*, et per manus sacerdotis exemplata; eam transmisit ad *Hieremiam* (*Erim*, ap. Baluzium.) ciuitatem, et hinc missa est ad *Arabiam* ciuitatem; et hinc sacerdos Leobanius misit ad *Vetsauiam* (*Pettauiam*, in Norico) ciuitatem; et transmisit sacerdos *in montem* (Garganum?) S. *Archangeli* Michael; per eius manus venit ad romanam ciuitatem ad locum sepulcri Petri, vbi claues regni caelorum sunt; et 12 *papati*, qui sunt in romana ciuitate, fecerunt triduanas vigilias &c. Hanc epistolam edidit *Baluzius* in corpore *capitularium*, tomo 2. p. 1396; nos nihil dubitamus, eam *confictam esse* a ministris *Bonifacii*. Nam editio *Baluzii* vel in *Inscriptione* vehementer abit ab ista, quae est in *Baronio;* illa in *Baluzio* recensio est antiquior, barbara latina lingua, sed alii emendare voluerunt. Pleraeque sententiae, sexies et saepius repetuntur, de die dominico celebrando; de decimis dandis, aliter ad decimam res vestra redibit; (hac sententia memini papam hoc seculo vsum;) contra paganias; mittam super vos lapides calidos, serpentes pinnatas; in ecclesia non verbosandum, aut ante Missam non egrediendum; Amen dico vobis &c. scatet teterrimis naeniis, vt haud dubie a quodam aduersario *Adalberti* conficta sit, qui ignorauit ea, quae *Bonifacius* de hominis doctrina scripserat, his hic ibi contraria, e. g. de decimis, et *ecclesiis* frequentandis; tam insanas et putidas ineptias nemo confingere potuit, nisi cum Adalberto minime comparandus: e. c. die dominico feci coelum et terram, solem et lunam, mare et omnia, quae in eis, et Adam — Mirari liceat, eruditis de hac impostura nondum in mentem venisse! In isto eodem romano concilio an. 745. etiam *oratio* a *Denardo* Zachariae tradita fuit, quam composuisse dicebatur Adalbertus. — in ea oratione dicebantur etiam exstare istae sententiae, Angele *Vriel*, Angele *Raguel*, — *Tubuel*, *Michael*, *Inias*, *Tubuas*, *Sabaoc*, *Simiel* — igitur ab officio sacerdotali deponatur *Albertus*. — Ex synodo *Francica* eiusdem anni, (*Othlonus* in vita

vita Bonifac.) patet, non solum clericos haereticos ex ecclesiae communione pulsos, sed etiam *episcopos* capitalium criminum maculis infames depositos fuisse. Totius autem erroris, qui tum in *Germania* grassabatur, (nempe Germanos non subiiciendos esse papae legibus,) praecipui auctores fuere *Clemens* et *Adalbert*; hanc synodum *Bonifacius* haberi auctor fuit *Carolomanno*. Non aliena est ab hac ista caussa et lis inter *Bonifacium* et *Virgilium*, Salisburg. de qua ex *Zachariae* epistola ad *Bonifacium* aliquid historiae colligimus. *Virgilius* dicebat, se successurum, si qua sedes quatuor illorum episcoporum, quos *Bonifacius* in Baioaria ordinauerat, vacua esset; hoc non patitur *Bonifacius*; atque *Virgilium* erroneum esse a catholica doctrina arguit, (quod alius *mundus esset et alii homines*, sub terra, aliusque sol et luna;) papa ad ducem *Odilonem* se scripsisse dicit, vt *Virgilium* Romam mittat — hortatur tamen ipse papa *Bonifacium*: ne ad iracundiam prouocetur cor tuum &c. Itaque facile intelligimus, fastum et arrogantiam *Bonifacii* cum multa imperitia rerum aliarum coniunctam, fecisse, vt haeresin Virgilio tribueret. Ceterum phrases et verba Epistolae *Zachariae* apud *Baronium*, et apud alios, *Harzhemium* &c. non parum differunt.

Multo plus turbarum et litium oriebatur ex *Felicis*, orgelitani Episcopi, sententia, de ratione nominis *filius dei*, quod homini Christo tribuitur. Hominem non imperitum atque ineptum fuisse, facile intelligimus; nec ad imperitum *Elipandus*, Aepiscopus toletanus, se contulisset, qui et ipse de hac caussa requirere solebat, et ad *Felicem*, quid sentiret, scripserat? Respondit *Felix* 783, sic vt distingueret *subiectum*, quod *Christi nomine* duplex comprehendatur; homo ex Maria natus *nomine* quidem eodem insignitur, sed illo omine et significatu tum caret hoc nomen, quod omen subesse solet, si a patre dei filius, qui ante Mariam semper iam exstitit, distinguitur. Hominem, igitur istum *adoptione* et nuncupatione dici *dei filium*.

Scimus

Scimus *Hispanos* iam superiori seculo Romanos doctrinae magistros pati noluisse; atque certum est, non a *Felice* demum repetendam esse hanc disciplinam, cum ad *Missale Ildefonsi* et aliorum superioris seculi (etiam *Hilarii*; licet *Alcuinus* aliique dicant, eum *adoratur* fraudulenter mutasse in *adoptatur*;) auctoritatem *Felix* prouocarit. Igitur, qui *romanae* crassioris doctrinae modum conseruare didicerant, occasionem hanc se ostentandi et praeferendi non e manibus elabi sinebant. Itaque in synodo *Narbonensi*, a. 788. (si quidem placet,) *Ratisbonensi*, 792. *francofurtensi* 794. tandem *romana* 799, atque in *Aquisgranensi*, *Felix* ita contrariis sententiis petitus et pressus fuit, (non sine *Caroli* in Romanum ep. fauore,) vt sententiam publice mutasse videretur; sed eam ipse ad mortem tenuit, quae ei *Lugduni* in exilio accidit. Ad *Elipandum* nihil valuit ista ecclesiastica auctoritas, quia ciuilis potestas eum, sub *Saracenis* viuentem, attingere non potuit. *Nestorianismi* illa infirma et dubia imago caussae momentum tantum ad imperitos augere potuit; quemadmodum enim nemo *Nestorianus* est, (posita nominis illa caussa,) qui negat παθηματα pertinere ad τον λογον, filium dei, qui distinguitur a filio Mariae, seu ab homine: ita nec Nestorianus est, qui subiectum necessariae naturae, distinguit a subiecto finitae naturae; *proprius* enim et *verus* filius dei inuoluit diuinam naturam, sine humana; haec autem addita subiecto illi, manet finita, et *dicitur* filius dei *ex alia ratione;* hanc aliam rationem si quis *adoptionem* velit dicere, nemo inter homines vetare id potest, nisi aut imperitus aut impotentis auctoritatis cupidus. *Gerrae* sunt de *Nestorianismo; Elipandus* ad Alcuinum: homine adsumto vel adoptiuo *personarum numerus non est auctus.* — in Christo *verbum* et homo adoptiuus, *vna* est persona; hoc nomine *adoptiuus*, tollit omnem aditum ad 2 personas, et facit ἀνυποστασιαν humanam. Sed tanti non est, vt et nos repetamus istas lites, quibus aliae *politicae* caussae vim et auctoritatem addiderunt. Scriptores de

exi-

exigua et futili causſa multos allegare nihil attinet; doctiſſ. *Walchius*, gottingenſ. 1755, *hiſtoriam Adoptianorum* in 8. copioſius collegit. Nos certe conuenit abhorrere hodie ab iſtis inſtitutis papalibus, quibus ius eccleſiaſticum ita peruerſum fuit, vt vel ius liberalis ingenii hominibus adimatur, et ſeruilia iſta obſequia eo magis laudentur, quo facilius in ſtatam et immotam ſententiam concedunt; quod tam abeſt a liberali mente, vt improbiſſimus et imperitiſſimus quisque hanc laudem apud nouos *Bonifacios* et *Hadrianos* ſibi comparare queat. Nos *Felicis* ſtudia laudamus, et optamus, vt quam plurimi potius liberali ingenio vſi, prophetent, quam linguis peregrinis loqui, et alios condemnare pergant, qui ſciunt, mentis facultate potius in dei honorem et religionis iuſtam vim vtendum eſſe, quam torpore aut ſtupore noſtro religionem adiuuari, ſtatuere.

Sub orientem ſolem *imaginum illa cauſſa* ingentes atque nefandas turbas et calamitates ſecum tulit; vt mirari ſatis non poſſimus, adeo in rudimentis et στοιχειοις chriſtianae religionis homines etiam illos ſubſtitiſſe, qui docendi prouinciam gerebant, vt foedam et turpiſſimam diſputationem tot per annos non ſolum paſſi fuerint, ſed etiam quaſi pro aris et focis chriſtianis pugnandum eſſet, atrociſſime continuarint. Initia omnino inde repetenda, quod *Philippicus* ſeu *Bardanes*, ex Armenia, qui occiſo *Iuſtiniano* imperator fiebat, ex *Monotheletis* ipſe eſſet, alienus igitur ab imaginum iſto publico amore, ſicut iam inde a *Xenaiae* Monophyſitae exemplo id notum eſt. Nec abhorret a veroſimilitudine, eum iam olim a recluſo quodam admonitum, vt *concilium ſextum* tolleret, ſi imperator fieret; nam *Armenos* et *Monotheletas* parum amaſſe ſextum concilium, facile credimus. *Picturam* igitur *ſexti concilii* e veſtibulo palatii auferri iuſſit; *Cyro*, patriarcha electo, monotheletam *Iohannem* ſuffecit; ſynodum porro indixit, vt *ſexta* illa ſynodus publice damnari poſſet; quod et accidit, adeo verum eſt, *conciliis* non tam

libe-

liberalem mentis vim inesse, quae tam leuiter circumagi non posset; quam externam auctoritatem; tacent episcopi, pauci narrantur martyres, et patroni superioris dogmatis. Vicit autem secretior plerorumque indignatio; *Romani* reiiciebant imperatoris huius omen, quod tandem et Constantinopoli exemplo non caruit; *Philippicus* igitur oculis et imperio priuatur; tandem *Leo*, Isaurus, qui in Armenia iam versabatur, fit Augustus; is, vt videtur, et ipse *imaginum* publicum honorem parum amabat, siue quod erecto esset ingenio, siue quod intelligeret, quantum continui mali et periculi ista superstitio secum ferret; per priores tamen annos consilia sua pressit; anno demum X legem aduersus imagines tulit. Narrant graeci scriptores de *Iezide*, Muhammedano principe, qui Iudaei auguriis hoc dederit, vt imagines omnes delere atque auferre iusserit, *Leonis* fere anno 8; facile nos credimus, publicam christianis ignominiam non defuisse, atque tam *Saracenos* quam *Iudaeos* in infamia augenda consensisse; quis enim ad tam barbara christiana sacra accederet, quae nec inter gentes idololatras imaginum ipsis simile studium et miraculorum parem stuporem habere dici poterant. Consensit et episcopus *Nacoliae*. Non superest epistola, qua *Leo* Romano pontifici eadem consilia suggessit, vt a christiano nomine seiungeretur ista turpitudo; sed facile credimus, *Leonem* vehementissime scripsisse, qui tam vehementer agere non verebatur. Non dubitamus, scriptores ex amore imaginum etiam rei atrociam auxisse narrando; sed, si etiam magnam partem demimus, multum tamen supereſt atrocitatis, a qua miramur, imperatorem satis prudentem non abstinuisse; nisi quid suberat, de quo iam nihil nos scimus. Iam quasi signo sacri belli dato hic ibi plebs aperte rebellare; monachorum ficta illa pietas et publica inscitia rei successus adiuuit, quia ipsa res christiana in imaginum honore credebatur consistere. Nec papa iam defuit, cui iam a longo tempore parum placebat graecorum imperatorum augustior illa auctoritas, quam romani pontifices iam saepius experti fuerant;

rant; *Gregorius* 2 à christiana fide imperatorem desciuisse grauiter querebatur; dicitur et vetuisse tributa porro reddi, (Theophan.); hic ibi igitur praefecti et ministri imperatoris occisi aut reiecti ab Italis; quemadmodum et imperator insidias struxisse dicitur in papam. Iam bellum in Italia ex vtraque parte non obscure et paratum et gestum; Longobardi eo facilius prouincias Exarchae occupare audent. Nec illud ignoramus, papam continuisse Italos, qui alium imperatorem creaturi erant; sed quod id papa sine callido consilio fecerit, hoc vix aliquis vt credamus efficiet. Sub hoc tempus *Gregorii* 2 epistolae referuntur, quae concilio *nicaeno* 2 praefiguntur; imperator patriarcham *Germanum* sede sua deiecit, suffecto Anastasio, 730. Atque aperte vis illata eis, qui imperatoris consilio aduersarentur; seiunxit etiam *Leo* episcopos omnes *Illyrici, Calabriae, Siciliae* a patriarchatu romano, eosque addidit Constantinopolitano (epistola *Hadriani* ad *Carolum* M. fine concil. nicaeni 2. epistola Nicol. 1. ad imperatorem Michael.) Itaque ab hoc tempore *publici et sacri odii* Latinorum in Graecos, initia repetenda sunt, vt *Muratorius* recte obseruat, (histor. Ital. ad a. 730.) *Iconomachi, Iconoclastae*, inimici Christi; *Iconolatrae, Iconoduli*, nomina partes in hac imaginum caussa distinguunt. Ab an. 731. Gregor. 3. nec epistolis nec aliis studiis pepercit, licet primas epistolas *Georgius*, presbyter, quem Constantinopolin miserat, ob metum prodere ausus non esset; concilium *romanum* 732 publice anathema dixit aduersus eum, qui antiquae consuetudinis et apost. ecclesiae fidelem vsum contemnens, aduersus venerationem sacrarum imaginum, *dei* et domini nostri, immaculatae Mariae, apostolorum et sanctorum omnium, depositor, destructor, profanator, vel blasphemus exstiterit; fecit et papa *nouas imagines* et *reliquias* vndecunque conquisiuit; nempe nec *reliquias* amabant, qui imagines reiiciebant. *Bonifacii* ministeria eo magis papae auctoritatem apud *Carolum Martellum* promouebant; atque an. 741 papa *claues* Confessionis

S. Petri,

S. Petri, *ad regnum*, Martello direxit; eadem legatio Carolo offerebat, Romae et romani populi defensionem, quia populus *relicta dominatione imperatoris*, mallet per inuictissimum *Carolum* defendi, contra *Longobardos*, qui Romanos iam subiicere adebant. Itaque iam ante mortem *Gregorius* 3 fecit, quod potuit, (vid. eius epistolae 2 apud Baronium a. 740;) licet *Launoius* lib. 7. ep. 7. aliique negent, papam a fide in imperatorem recessisse. Leoni *Copronymus*, (cui *Artabasdus* per aliquod tempus se opposuit, *imaginum* amori confisus;) Gregorio 3 *Zacharias* successit an. 741. *Anastasius* patriarcha iam aduersus *Constantinum* Copron. atrocissima, vt potuit confinxit, imaginum enim ipse, si placet, fautor; vicit tamen *Constantinus*, in quem monachi scriptores conuitiis variis non parcent; ei certe prudentia eximia non defuit. Ceterum Zacharias vt res tulit, cum Longobard. regibus *Liutprando* et *Rachiso*, vt prudentissime potuit, vixit; et *Pipino* regum nomen interea impertit; nec superest aliquid, quod ad Graecos ex eius rebus gestis praecipue pertineat. *Stephanus* autem 2 (alii tertium, addito alio, qui die tertio post electionem moriebatur,) an. 753. Constantinopolin misit, vt imperator aduersus Longobardum *Aistulfum* Romam Italiamque defenderet; sed *Anastasius* nihil narrat, de controuersia *ob imagines*; iam enim papa de re maiori consilia agitabat, ad *Pipinum* regem plane conuersus, et post nuntios vtrimque missos in Galliam profectus; non tam hic id egit, vt haeresibus obuiam iret, quam vt ex partitione graecae sub occidentem solem ditionis pars non nulla ad S. Petrum rediret.

Constantinus imper. inde ab an. 751 aduersus *Saracenos* fortuna non obscura vsus, tandem aduersus superstitiones et monachorum, (ἀμνημονευτοι, ἐν σκοτιας ἐνδυματι,) et imaginum audet palam agere; epistolas ad episcopos per prouincias mittit, vt ad concilium conueniant, qui, tantum abest, vt ipsi noluerint interesse rebus, quas iam agi non ignorabant, vt 338 omnino conuenerint; quibus

bus imperator *Constantinum*, episc. *Silaei*, patriarcham regiae vrbis ipse proposuit; et sine vllius episcopi dissensu, in templo Blachernarum sententiam publice ferri iubet, *aduersus imagines*. Nec temere aut per vim haec gesta; rationibus enim liberaliter vtuntur episcopi, vt videmus *ex istis excerptis*, quae in *Nicaeno* 2 turpi conuentu, cum refutatione, si placet, ex huius concilii actis habentur. Eximiae sententiae plures, atque cum meliori religione plane consentientes; negatur, *Mariam* aut sanctos alios mortuos apud deum aliquid interceſſionibus suis facere posse, quod nobis praecipue salubre sit atque frugiferum; — — *Instauratio* haec melioris religionis iam per prouincias procurata, sublata hic ibi imaginum variis portentis. Non interfuerunt legati ex patriarchatu *Alexandrino*, *Antioch.* Hieros. Romano; quod partim Imperatoris consilio atque prudentiae tribuendum videtur, qui intelligebat, nisi auctoritas sua accedere posset, monachorum impotentem vim et tumultum eo minus frangi posse, atque cohiberi; partim fieri aliter non poterat, cum Saraceni e. c. paulo post *Theodorum*, Antioch. expulerint, ob suspicionem fauoris in Graecos; eo minus certe passuri erant, vt ad imperatorem commearent. Monachi videntur praeter immanem superstitionem etiam priuatae vtilitatis gratia imagines defendisse, siquidem pictoriam artem scimus a monachis praecipue exerceri solitam; itaque continua permanserunt ista dissidia inter Graecos, atque eo minus valuit vel poena in turbatores et rebelles homines sancita, quod nec romanus episcopus cessaret auitam superstitionem vehementer apud imperatores adiuuare. *Paulus*, qui fratri *Stephano* successit, dicitur saepius missos suos cum apostolicis litteris ad Augustos direxisse, pro restituendis confirmandisque imaginibus, (*Anastasius*). Non desunt exempla eorum, qui a monachis martyrum honore ornantur. *Acta* S. *Andreae* martyris, apud *Surium* d. 17 Octobr. *Baronius* excerpsit; ille homo — tempus arbitratus ad *Zelum* ostendendum, quia plerique tempori concessissent, relicta patria vltro Constan-

tinopolin adiit, publice aduersus imperatorem concionaturus, et ad poenitentiam alios adducturus. Ipsum imperatorem in Mamantis basilica dicitur compellasse — similia fere de S. *Stephano*, in monte *Auxentiano* &c. narrantur, sed sic, vt facile calami malignitatem perspiciamus; atque sic sane credimus, prohibuisse imperatorem prudentem, ne liceret cuiuis in monasterium ingredi. Anno demum 767 mentio apud Gallos fit quaestionis de *imaginibus* et processione spiritus S. sed ea parum luculenta; in concilio seu conuentu *gentiliacensi*, iussu Pipini. Miserat imperator graecus iam aliquoties ad *Pipinum*, cuius potentiam non ignorabat res *Italiae* a Graecis auertisse, aliter vana consilia paparum manserant; atque vel *Giselam* francicam imperator filio suo expetierat, vt hac ratione anceps Italiae causa eo facilius componeretur. In vico igitur seu palatio regio legati *graeci* cum *romanis* disputarunt; sed nihil omnino superest, quaenam sententiae latae fuerint; licet *Longueval* ita scribat, *Pipinum* cauere voluisse, ne graeci errores etiam per istas prouincias viam inuenirent; ex secuti autem temporis historia potius patet, pro imaginum publico cultu minime sententiam hic latam fuisse, aliter in *Carolinis* libris argumentum aliud inueniremus. Si supereſſent *Pauli* papae epistolae, quarum argumenta *Baronius* ex Panuinio descripsit, a. 767, haud dubie multum lucis haec omnis causa nanciscereturr; in eis enim saepe de rebus *graecis* narratur; Papa contra Graecos Pipinum, vt maxime potest, excitat; *Cosmas* patriarcha alex. monachum ad papam, hic ad *Pipinum* misit, (haud dubie de imaginibus, et contra imperatorem;) num. 17, Pipino indicat, sex patricios graecos cum 300 nauibus Romam, atque inde ad Pipinum venturos &c. *Theodorus*, hieros. patr. an. 767 misit legatum romam, de consensu ceterorum patriarcharum cum romano episcopo in causa imaginum, contra imperatorem graecum; *Theophanes* autem multa atrocia narrat, de martyribus imaginum; nec desinit de imperatoris foeda libidine, auaritia &c. concionari. *Stephanus*

papa

papa 3 ſtatim in ſynodo *imagines* aduerſus graecorum ſynodum defendit; interfuerunt Epiſcopi 12 e Francia, (poſt mortem Pipini;) praelecta fuit epiſtola 3 patriarcharum oriental. ſatis inepte etiam ab *imagine* Chriſti Abgaro miſſa, argumentum papa repetiit. Nec litteris ad imperatorem miſſis aliquid profecit papa; monachos potius, quia rebellionem ſacram continuarent, locis cunctis eiecit Conſtantinus. *Hadrianus* papa ab an. 772 id fere vnice egit, vt imperium romanum a Graecis in *Carolum* regem transtuliſſe diceretur. *Conſtantino* poſt regnum longum et fauſtum a. 775 ſucceſſit filius *Leo* 4, nec turbare nos poſſunt, quae de poenitentia et ſuppliciis patris narrant graeculi quidam; hic ſub initium, vt opus fuit, mitis et lenis; monachos etiam quosdam ampliſſimis ſedibus praefecit; poſtea vero nec a fortioribus adiumentis ſe abſtinere poſſe intellexit, ſi ſucciſam iſtam ſuperſtitionis vim reſurgere nollet. Mirari ſatis vix poſſumus, imaginum tuendarum quaſi ſacram coniurationem, qua et *Irene*, Auguſta, ad periuria facile commota fuerit; eadem atrox improbitas multorum aliorum conſcientiam conſcelerabat; itaque ad ſupplicia in periuros et perfidos, atque haud dubie res nouas molientes, non defuerunt. Ineptiſſime *Baronius* an. 780 dicit, deum tandem orientalis eccleſiae miſeratum, ſuſtuliſſe e medio Leunculum; quem ſcimus *Irenes*, *catholicae*, ſi placet, atque *orthodoxae* coniugis, perfidia, ſancto veneno interfectum; haec igitur mulier, quaſi *pacis* fons et religionis nouum columen eximie laudatur a *Theodoro*, ſtudita, *Theophane* et aliis; quos oportet aut imperitos fuiſſe homines; atque talium auctoritate non opus erat; aut improbos et malignos, cuius generis orthodoxia et deo et bonis cunctis hominibus exoſa eſt. Etiam miraculis et numine haec rerum conuerſio non caruit; *inſcriptionem* certe confinxerunt in longis Thraciae muris inuentam — ſub *Conſtantino* et *Irene* o ſol iterum me videbis! Viam vero feciſſe videbatur improba mulier nuptiis filii cum *Caroli* filia; cuius rei cauſſa legati anno poſt mariti caedem altero in *Franciam* miſſi; ibi et *Eliſaeus*

Eunuchus relictus, qui eam graecam linguam et *romani imperii* (apud Graecos enim sic videbatur conseruari) consuetudinem doceret; sed vana fuerunt ista mulieris consilia, et paulo post ea, vanitatis illius satis gnara, aliam filio coniugem dedit &c. De historia imaginum *Frid. Spanhemius*, *Dallaeus* et alii scriptores bene meriti sunt.

CAP. IV.

De statu eruditionis; et scriptoribus ecclesiasticis.

De barbarie huius seculi, ante *Caroli* M. initia, quod ad solem occidentem attinet, solet iam inde a longo tempore inter nos ferri sententia; itaque non opus est, vt exempla tantae foeditatis hic colligamus; cum publica et priuata multa documenta rei non desint; vel in *Francia*, quantum barbariei inest scriptionibus istis, donationis caussa factis, apud *Mabillonium* in appendice ad annales benedictinos huius temporis, in legibus etiam et canonibus, in *annalibus*, in epistolis actisque ecclesiasticis! Non solum illam turpitudinem linguae barbaricae tangimus, sed etiam ingenii publica vitia, quod ab omni cultu et exercitio abfuit. Caussae tantae et tam late quasi grassantis pestis, coierunt ad augendam malignitatem variae. 1) Sacrarum *missionum* et monasteriorum, quibus noui christiani quasi in obsequio continebantur, ista multitudo. 2) Sacrorum publicorum peruersa consuetudo, quae inuenustis libris, *baptisteriis*, *poenitentialibus*, *sacramentariis*, *missalibus* continebatur; hi enim libri arcem rei christianae complecti credebantur; ab iis vel latum vnguem recedere fas non erat: quibus igitur exercitiis ingenii locus aliquis esse potuit? 3) *Patrum* auctoritas ista, mentis propriam aciem obtudit; quorum et scribendorum et legendorum et al-

allegandorum perpetua conſuetudo, ſeruitiumque librariorum, deſcribendis pſalteriis &c. nihil fere otii ſupereſſe patiebatur, quod ad animi aliquem ornatum comparandum impenderetur. 4) Bella perpetua, praecipue in Francia, obruerunt liberalia ſtudia. Recte *Caroli* M. opera ſolet collaudari, qui barbariei ſe feliciter oppoſuit, quam ſciebat ſalubri regimini maxime obeſſe; ſcholas itaque plures conſtituit, doctorum virorum miniſteriis conquiſitis. Ex his *Alcuinus* eminuit, *Ecberti* ebor. ep. diſcipulus, qui nec omnino alienus fuit a *graecis* litteris; hunc ex *Italia* in Galliam venire iuſſit; quemadmodum et *Petrum*, Piſanum, (*Alcuini* epiſt. 15.) *Paulum*, Warnefridi, diacon. aquileg. hi vel in Italia aliquid graecarum litterarum adhuc arripuerant. *Petrus* ille et *Alcuinus* praeceptoris honore apud ipſum *Carolum* functi ſunt; in *palatio* etiam quaſi perpetua, licet non vnius loci, ſchola fuit, ſed iam longe illuſtrior, quam ſeculo ſuperiori; licet iam non placere ſoleat iſta quorumdam ſententia, etiam celeberrimam *pariſienſem* academiam ad *Carolum* referre originem ſuam. Certius eſt, *Carolum* ipſum exercuiſſe ingenia epiſcoporum propoſitis variis quaeſtionibus; atque hac ratione fere per omnes vrbes *ſcholae* erectae, tam *cathedrales*, quam in *monaſteriis*, etſi non in omnibus litterarum eadem amplitudo obtinuit. Floruit praecipue *Turonenſis*, ſub *Alcuino*; ex iſta ſchola praeter *Sigulfum*, e diſcipulo adiutorem, prodierunt *Rabanus*, *Hatto*, *Amalarius*, *Haymo*; ſchola *fuldenſis*, *Augia diues*, *Corbeia*, vtraque; S. *Galli* &c. Gorcenſis, Prumienſis, S. *Bertini*, Weiſſenburgi &c. Hoc dubio caret, eruditionis illa fere perpetua veſtigia et liberalis mentis documenta, quae *Gallicanam* eccleſiam ab aliis diſtinguunt, huic *Carolo* maxime deberi. Superfuit et in *Italia* non nihil graecae et latinae eruditionis, e qua etiam in Angliam ſubinde aliquid translatum fuit; ſicut in *Hiſpania* per *Sarracenorum* vicinam eruditionis impedimentum quidem fuit, ſed nec occaſio omnino defuit. *Germaniae*, *Saxoniae*, *Franconiae*, *Alemanniae*

niae non nihil inferior fors fuit, quia Paparum auctoritas in has prouincias nimium valuit. Operae est pretium legere *Launoii* de scholis a *Carolo* M. institutis; eiusdem de varia *Aristotelis* fortuna. Apud *Graecos* ob ineptos istas de imaginibus lites eruditioni liberali vix locus esse potuit; monachorum contagio litterarum florem cohibuit, vt pauci supersint scriptores, quos adhuc legere operae pretium sit; *Ioh. Damascenus*, vix vnus quod ad ingenium attinet, (licet rebus exiguis deditum,) nam cetera sanctorum historiis et fabulis animi bonorum corrupti, improborum autem hominum studiis et consiliis lata via facta. Inter Arabes seu *Muhammedanos* per Arabicas graecorum librorum translationes exstitit aliquis ingeniorum cultus, et *Aristotelis* philosophia superstitionem apud non paucos cohibuit.

Scriptores graeci.

Agatho, magnae ecclesiae Constantinopolit. bibliothecar. patriarchalis protonotarius; antea synodi sextae notarius; descripsit acta sextae synodi; et post initium huius seculi istum *Epilogum*, in quo narrat de *Philippici*, Bardanis, conatu, abolendi istam synodum. *Iohannes*, patriarcha Constantinopolit. scripsit ad *Constantinum* papam, *epistolam apologeticam*, post Bardanis mortem, quae post *Combefisium* in conciliis exstat. *Germanus*, post *Iohannem* deiectum, ex Cyzici ep. patriarcha Constantinopolitanus, a *Leone* tandem 730 ob pertinacem imaginum defensionem expulsus; eius supersunt 3 epistolae in Concil. nicaen. 2. citatae, ad Ioh. Synnadensem Constantin. Nacoliae, Thomam, Claudiopol. ep. Tractatus de 6 concil. oecumenicis, a *le Moine* inter varia sacra editus, antea sine nomine excusus. Θεωρια, ἐκκλησιαστικη καὶ μυσταγωγικη, quae, vt typis excusa est, additamenta habet, quae non possunt seculo huic conuenire, quod e. c. μεριδας &c. adhuc ignoravit; itaque *Allatius*, *Ducaeus*, *Caue*, *du Pin*, *Oudin*, in secu-

seculum 13 ad alium *Germanum* retulerunt; sed Rich. *Simonius* in notis ad *Gabrielem Seuerum*, philadelph. item in bibliotheque choisie tom. 2. et in *Critique* de la bibliotheque des auteurs eccles. tom. 1. pag. 270 seq. ex vetusto Msto codice obseruat, abesse ista additamenta, quae posterioris sunt temporis. *Latine* aliquoties in bibliothec. patrum excusa est. Tribuuntur etiam huic *Germano* varii *sermones*; in praesentationem *triennis Mariae* in templo; in eius κοιμησιν, tres Homiliae; in annuntiationem Mariae; edidit *Combefisius* in auct. nouo. Sermones quidam alii incerti sunt; eius ἀνταποδοτικος, ἡ ἀνοθευτος a *Photio* codice 233 excerpitur, iam nobis periit; in isto libro *Gregor. nyssenum* defendit aduersus *origenistas* interpolatores scriptorum Gregorii; intruserunt ἀποκαταστασιν, refutationem erroris ipse addidit, ex Christi sententiis; ex apostolorum, e patribus; vtitur contextu *Nysseni*, aliisque eius locis ostendere studet, intrusa quaedam esse in dialogum de anima, in κατηχητικον, et in περι τε τελειε βιε. *Cosmas*, Hierosolymitanus, seu Hagiopolites, ex abbate, episcop. *Maiumensis*; eum a Saracenis praedonibus captum *Iohannis*, damasceni, parentes receperant huius filii praeceptorem; scripsit *Hymnos* 13 in praecipuas festiuitates, cum acrostichis, latine aliquoties editos; *canones*, seu cantica ecclesiastica, *troparia* (modulos, quasi antiphonas;) *triodium*, (tribus odis constans carmen, in honorem trinitatis;) a septuagesima ad sabbatum sanctum recitari solitum; in alias hebdomades *Theodorus* et *Iosephus*, studitae, addiderunt. Εκφρασις metrica in psalmos in biblioth. *vindobonensi* exstat. Ad hunc *Cosmam*, *dialectica* Ioh. Damasceni scripta est. Hic vero *Iohannes*, damascen. presbyter, (per contumeliam *Mansur* appellatus, a Constantino aut per familiam) eminet inter omnes huius temporis graecos; eum ob imaginum defensionem *sanctis* et ipsum addiderunt; vid. Acta SS. Maii tom. 1. die 6, fabulis in eius honorem nec olim pepercerunt. Post alias minus fidas editiones, *clerus gallicanus* superiori seculo nouam edi-

tionem fieri iussit; quam, cum nec *Ioh. Aubertus*, nec Phil. *Labbe* rem perfeciſſent, tandem *le Quien* pariſiis 1712 tomis 2 fol. dedit. Memoratu digna omnia complexus eſt *le Quien;* atque eruditis *diſſertationibus* et multis notis vtilitatem harum ſcriptionum et copioſorem et certiorem nobis effecit. Addidit *Allatii* prolegomena, in quibus multa bene obſeruantur; e. c. patrum graecorum ſententia, Chriſtum animas a ſeculo vinctas ex inferno reduxiſſe; (quam ſententiam, cum *Clemens* etiam proderet, vt nouas caerimonias eo felicius refelleret; ſcimus a *Bonifacio* et papa damnatam fuiſſe;) de dubiis ſcriptionibus Damaſceni; de tempore feſti *conceptionis Mariae*, de quo *Iohannes* aliquis Euboeae ſiue presbyter ſiue epiſcopus, narrat, ſua id aetate a multis celebratum, ab aliis vero non receptum fuiſſe — — Iam ſequuntur *diſſertationes damaſcenicae*, peculiare huius editionis ornamentum. 1. De proceſſione ſpiritus ſancti; diuiſa ſemper fuit ſententia, vtrum *a filio* etiam procedat ſpiritus ſanctus; nec ideo ſcindebantur eccleſiae; *Damaſcenus* negat, quod latini iam ſolebant affirmare; hic lites de *filioque*, ſeculi *noni* initio, illuſtrantur n. 13 ſeqq. ab *Hiſpanis* primum id adiectum, n. 27, ſed *ſine decreto* pontificum romanorum, 39. de tentata vnione graecorum cum latinis; *Diſſertatio ſecunda*, de quibusdam auctoritatibus, quibus Eutyches aliique vnius in Chriſto naturae adſertores haereſin ſuam tuebantur. *Cyrillus* phraſin, *vna* verbi *natura* incarnata, ex ſpuria *Athanaſii* confeſſione ad Iouianum, deſumſit, *deceptus ergo fuit*; Apollinariſtae multas ſcriptiones nominibus claris ſuppoſuerunt; de *Dionyſii* areopagitae libris confictis, n. 10 ſeqq. *Ioh. Scythopolitanus* germanus auctor ſcholiorum, quae Dionyſii alex. nomine abutebanrur; illuſtratur doctrina Eutychis, *Dioſcori*, (ſanguis Chriſti, *dei* eſt ſanguis, non corruptibilis Bengelii;) *Seueri*, antioch. *vna* compoſita *natura*; ſeruatis vtriusque proprietatibus; (cum catholici vnam compoſitam *hypoſtaſin* dicerent;) iſti libri forſitan ab ipſo *Petro*, fullone, conficti n. 16. Epiſtola ad

Pau-

Paulum Samosat. quae *Dionysii* alex. nomen fert, ab *incorrupticola*, siue Iuliano, siue Gaiano, scripta videtur, n. 23 seq. *Dissertatio* 3. de Epistola ad *Caesarium* monachum, quae *Chrysostomi* nomine insignita est; videtur esse scriptoris aliquantum recentioris, cum eam primus Damascenus excitet; auctor est nestorianae partis; *Ioh. Malela*, non est recentior Damasceno; quis *Iohannes ὁ διακρινομενος*, idem et *Rhetor* dictus; *Photii* oscitantia cod. 52 et 99. *Athanasii* quaestiones ad *Antiochum* similiter a Damasceno primum citantur; ex *Anastasio* Sinaita multa per istum Athanasium descripta sunt. Huius iunioris, ψιλῷ, Athanasii videtur illa narratio esse, de imagine *berytensi*, quia hoc demum seculo citatur. *Dissertatio* 4. de epistolis variis, quae ob clausulam *trisagio* adiectam ad *Petrum* fullonem scriptae feruntur; de expositione fidei, inter *Iustini* M. opera. Istae epistolae omnes a nestorianis fictae; etiam ista *expositio*. *Dissertatio* 5. de oratione in eos, qui in fide obdormierunt; et de *purgatorio*, secundum orientalis ecclesiae sensum. Fidelium precibus iuvari mortuos; vt *Augustinus* Enchirid. c. 110 sacrificia et supplicationes *defunctis prodesse*, aliis, vt plena sit remissio; valde malis autem, vt tolerabilior fiat ipsa damnatio. Ex *Marco Eugenico*, Ephesino metropolita, qui Ferrariae 2 orationes habuit &c. Graeci, praeter memoriam in liturgia, diem obitus 1. 3. 9 et 40, et annuam pro defunctis precantur; *Eustratius* seculo 6. medio, in libro, refutatio eorum, qui dicunt animas precibus et sacrificiis non adiuuari; quotannis in sabbato ante ἀποκρεω, (70 nostram) omnium fidelium memoriam agunt — *Cyrillo* Hierosolym. *mystagogicas* catecheses tribuit hic *Eustratius* — *Dissertatio* 6. de *Azymis* et de postremo Christi paschate, (licet Damasceni non sint scriptiones de *Azymis*,) asserit, Christum paschalem agnum in vltima coena comedisse; de *Petauii* sententia ad Epiphanii haeresin 51, pascha 2 diebus a quibusdam celebratum; *Neomeniae* non sine omni supputatione, non tantum ex phasi

definitae. *Armeni* inter orientales primi *azymis* vsi, n. 30 seqq. — *Dissertatio* 7, de christianis *Nazarenis*, eorum fide, et de Ebionitis. Sequitur iam vita graeca *Damasceni*, cum notis. Πηγη γνωσεως dicebatur tripartitum opus de *dialectica*, de *Haeresibus* et de *orthodoxa fide*. *Dialectica* constat 68 capitibus, in codicibus, qui fusiorem logicam exhibent, alio ordine; multa ex *Ammonio* in Isagogen *Porphyrii*; in *breuiori* logica, et alia descriptio saepe est, et facilior; vtilia multa ad patrum graecorum lectionem hic leguntur. De *haeresibus*, est *Epiphanii* Synopsis integra; adiecit sectas 20–24, collectas ex aliis scriptoribus; in fine de Ismaelitis, seu *Saracenis*. De *fide orthodoxa*; capita cuncta 100; in librum *primum* capita 14 diuiserunt; capiti 12 adhaeret (*accuratius de nominibus diuinis*) caput, cuius est incertus locus; libri 2, capita 30; septem αιωνες, ideo secula seculorum; de creatione; multa physica; de paradiso cap. 11; adducit *le Quien* ex *Anastasio* 2, Antioch. in *Hexaemeron*, veteres *ecclesiasticos*, *Philonem*, *Papiam*, *Irenaeum*, *Iustinum*, *Pantaenum*, *Clementem* et alios, *Paradisum* πνευματικως intellexisse de Christi ecclesia — recentiores vero patres, (ne deus non crederetur mundi corporei conditor,) κατα το γραμμα exposuisse; *Nyssenus* negat ob *esum* ex arbore hominem morti addictum, quia quod *in os hominis intrat hominem non inquinat*. *Maximus* etiam vtrumque lignum figurate intelligit — Cap. 12. Homo ad *imaginem* dei, ob ὁμοιοτητα ἀρχης, dominii, *Chrysost. Basilius* — ad *imaginem* (vis arbitrii, ratio) ad *similitudinem*, (virtus) Damasc. adhuc distinguit; vt inde a *Clemente* alex. fiebat; sed negauit hoc discrimen *Cyrill.* alex. (in catenis). C. 13. *Diuisio* voluptatum, est ex Chrysostomo homil. 74 in Ioh. atque hic hausit ex *Epicuro*, ap. *Ciceronem* lib. 1. de fin. bon. et mal. eam *Cicero* postea reprehendit. C. 29. Voluntas *antecedens* et *consequens* iam a Chrysostomo, iam a *Platone* distincta, (ap. *Hieroclem Photii* cod. 251.) Patres graeci de *praedestina-*

destinatione, etiam *latini*, sic sensérunt, vt *Prosper* ad Augustinum: deum *praeuidisse* hominum actiones, gratiae adiutorio, futuras; liberas esse, non fieri, quia deus noverit; sed ideo deum nosse, quia futurae sint; *Augustinus fatetur* se istam sententiam misisse, et *aliam* deo *revelante* amplexum esse; (tamen ista *Pelagianismi* fabula adhuc nos fallit, ne *Augustinus* relinquatur?) Deus praeuidit per peccatum mortem venire, et sic humanum genus deletum iri; ideo mulierem creauit, vt homines propagarentur; sic graeci scriptores plerique; sed cum deus praeuiderit per Mulierem peccari, quomodo haec cohaereant, quaerat lector. Liber 3. capita 29. C. 1. Hostis — obiecta carne Christi velut escâ capitur. C. 3. Aduersus monophysitas; subtiliter, etiam χριστης — sic et cetera capita de vnione naturarum, produnt insulsas veterum multas fuisse quaestiones. C. 9. Nulla φυσις est ἀνυποστατος, aut ἐσια ἀπροσωπος — sed aliter habet, in substantiis vel naturis, quae secundum hypostasin et per compositionem copulantur; de *Trisagio* et appendice Petri, Fullonis; *vna* verbi natura incarnata; Maria θεοτοκος, de duplici voluntate Christi; et 2 operationibus. C. 15, (ex *Anastasio*, de ἐνεργειας varia significatione.) C. 17. Carnis Christi natura et voluntas deificata; (ex isto verbo, τεθεωθαι carnem, quo *Gregor.* nazianz. et alii vsi, habent *Eutychiani.* C. 29. Deificata anima ad inferos descendit. Liber 4. C. 2. *Dextra* dei est δοξα et τιμη της θεοτητος. C. 4. Ideo incarnatus est, vt imaginem diuinam instauraret, πολιτειαν ἐναρετον nos doceret, et τη της ζωης κοινωνια nos a corruptione liberaret. — euangelium της θεογνωσιας — C. 9. baptismus domini mortem significat, rom. 6, 3. trina *mersio* tres dies mortis Christi. C. 13. De sacra coena; — vt olim *dixit* deus, et vis statim secuta est, *producat* terra — sic et deus dixit, hoc *est* corpus meum; hoc praecepto eius γινεται, donec veniat; graeci dicunt μεταρρυθμισιν, μεταποιησιν, μεταστοιχειωσιν, μεταβολην, (μεταποιειται εἰς σωμα και αἱμα θεϐ,

θεϐ, scribit Damascenus;) — vt *panis* est δυναμει corpus illud, quod pane nutritur, sic hic panis, quem Christus antea edere solebat, est eius corpus — in προθεσει, seu minori mensa ad dextrum latus altaris, ponebantur panis et calix, vt pararentur altari, dicitur θυσις, προσφορα, προσκομιδη, quam *oblationem* diaconos facere non licet; panis non est τυπος τϐ σωματος, sed αὐτο σωμα κυριϐ τεθεωμενον, sic et *Macarius Magnes* contra Theosthenem ethnicum, (hoc *Caueo* addendum) asseruantur eius libri *Venetiis* in bibliothec. *Marci*, e quibus *Turrianus* in lib. 5. Clement. et *Coccius*, aliquid excerpserunt; plura *Nicephorus* habet ex hoc Macario, in antirrheticis; in Synodo ad *Quercum* nominatur *Macarius* episcopus Magnetum. C. 15. De *reliquiis*. C. 16. De *imaginibus* SS. et honore iis debito; (apud Graecos *pictae* tantum imagines vel ad summum *prostipae*; sed iisdem argumentis etiam statuaria opera defendi possunt; vid. *Assemani* in *Calendariis* eccles. volum. 1., pag. . qui pluribus de hac re agit;) imaginum cultus est *traditio* αγραφος; *Petauius* inter ἀδιαφορα refert, pro tempore imagines possunt prohiberi, vt primis 3 seculis, aut approbari; — *quinto seculo* ineunte demum *imagines in ecclesiis* pingi coeptae; ideo *Xenaias* se iis opposuit. Traditiones sacras nuper vltus est iunior graecus diaconus, *Francisc.* Prossalentes, corcyraeus, libello, quem Anglia egressus Amstelodami 1706 edidit, aduersus suum, cum Oxonii commoraretur, magistrum. C. 17. De scriptura. libri V. T. 22 vt litterae hebraicae; si *finales* numerantur 27, sic libri *duplices*, vt illae litterae; iudicum et ruth, *vnus;* regum 1 et 2, vnus; 3 et 4 vnus; 1 et 2 paral. vnus; 1 et 2 Esdrae, vnus. Παναρετος, seu sapientia Salom. et Syrachi, praeclari quidem, sed non erant in arca. Libri N. T. — apocalypsis et canones apostol. per Clementem. C. 18. De his, quae de Christo dicuntur; τροποι γενικοι sunt 4. Eorum, quae in ἑνωσει, τροποι 3, exaltatio, exinanitio, et de vtrisque; hic ἑνωσιν, κοινωνιαν — dicimus. Περιχωρησις ex diui-

nitate.

nitate. Eorum, quae vnionem ſecuta, τρεις τροποι. C. 23. *Sabbatum* Iudaeis quaſi ſeruis impoſitum — Suffi-ciunt iſta noſtro conſilio; auctor pleraque omnia e ſuperioribus patrum ſcriptis excerpſit, non ſine iudicio, potius non raro quaeſtionibus et λογοις dat multam operam, vt operae pretium ſit opuſculum a noſtris legi, ne patrum diſciplinam dogmaticam ignorent. Sequuntur *orationes* tres pro imaginibus, apologeticae; in ſecunda dicit, n. 12. regum non eſt, νομοθετειν τη ἐκκλησια. Iſtae orationes conſtant incerta rhapſodia; confer. orat. 3. num. VI ſeq. cum orat. 1. n. 4 ſeq. n. XVI ſeq. et n. 9 ſeq. Initium orat. 3. cum orat. 2. n. 2 - 8. &c. nemo liberalis auctor ſe ipſum per omnem orationis ſeriem bis aut ter deſcribit, quod hic fit; ſimiliter et patrum teſtimonia, quae orationi primae adiiciuntur, etiam ſecundae adhaerent; ſimiliter et *tertiae* orationi eadem rurſus ſubiiciuntur, (quaedam etiam alia), vt mirum ſit, iſta hic etiam *ſaepius excuſa* fuiſſe, cum iam antea primae addita fuiſſent. Τομος contra *Iacobitas*, mutilus apud Caniſium. Φυσις olim cum ὑποστασει ab Arianis fuit confuſa; apud alios ὠσια et ὑποστασις idem — forte ſanctum *Ariſtotelem* decimum tertium Apoſtolum facitis; multa ſubtiliſſime diſputantur; adduntur teſtimonia patrum, de 2 naturis in vna hypoſtaſi; e *Iuſtini* tertio *de trinitate;* (eſt iunioris; exſtat in expoſitione fidei, ſicut et ea, quae *Leontius* citat e libro contra paganos, hic habentur.) Dialogus contra Manichaeos; dubitatum fuit a quibusdam, an ſit Damaſceni; ait vero editor; ſed eſt rhapſodia. Diſputatio *Saraceni* et chriſtiani; habetur etiam inter dialogos *Theodori*, Abucarae, (Cara, Syriae, olim Charran;). Libellus de *draconibus*, qui incubi ſunt, et humana in ſpecie cum mulieribus coeunt; inſigne *ſuperſtitionis* ad chriſtianos translatae documentum; antea ineditum; de ſtrygibus, quae per aerem noctu conſpiciuntur, infantibus heparexedunt. Opuſculum de *trinitate*; *Epiſtolae;* de hymno triſagio, et de aliis argumentis. Εισαγωγη δογματων στοιχειωδης, quaſi praeparatoria,

toria, ad orationes tres, contra *Acephalos*, (de natura compoſita) *Monotheletas* et *Neſtorianos;* eas legere eſt operae pretium, ob vetuſtiorem eruditionem theologicam. Inter *fragmenta* p. 573 notamus: in SS. trinitas *non tam luculenter* exſtat, ὅσον ἐκ της φυσικης ἀκολουθιας, adeo contrariae ſententiae locum habuerunt. Pag. 575. De variis modis ἑνωσεως — Oratio, de iis, qui in fide dormierunt, quomodo liturgiis et beneficientiis adiuuari queant, vel a Romanis eruditis negatur eſſe *Damaſceni;* quod num. 19 citatur, ex *Anaſtaſii* oratione, in eos, qui dormierunt, ab *Euſtratio*, Conſtantinopolit. tribuitur *Cyrillo* alexandr. Epiſtola *de confeſſione*, non videtur eſſe huius auctoris; *le Quien* in praefatione illuſtrat morem, a *monachis* graecis poenitentiam et abſolutionem accipiendi; quem ſcimus etiam *inter latinos* tandem inualuiſſe paparum adiumento. Nec huius Iohannis, nec Hieroſolymitani eſt illa *declamatio* in Conſtantinum caballinum; nec iſta ad *Theophilum* epiſtola, de ſanctis et venerandis imaginibus; et ſic aliae ſcriptiones falſo vtebantur olim Damaſceni nomine. Tomo 2 inſunt excerpta ex interpretatione Chryſoſtomi in epp. *Pauli;* e quibus *variae lectiones* multae ad textum paullinum colligi poſſunt; (ſed videtur *iunioris* collectoris eſſe.) *ſacra parallela*, ad ordinem *graecarum* litterarum collecta capitula dogmatica et moralia, e SS. et patribus multis; diuerſa exſtant ſcripta exemplaria, alia aliis antiquiora (vel ante Damaſcenum) alia, auctiora; inſunt hic ibi fragmenta, quae alibi non habentur, quorum nomina e codice *Rupefucaldiano* ſcimus; pag. 752 ex iſtis locis, qui tantum in rupefuc. habentur: *alia theologia* conuenit iis, qui mentem purgati ſunt, ἡ μαλιστα ἀληθης, ἀλλη δε τοις πολλοις, qua eorum mens poſſit ad pietatem prouocari et δικαιοπραγιαν. *Athenodori* eſſe dicitur. Multa ex *Antipatro*, ep. Boſtrorum, contra Origenem. Recte annotatur; p. 789, cum ex libro περι τε παντος, *contra* Platonem locus affertur, hunc librum, qui *Ioſepho*, *Iuſtino*, *Irenaeo*, *Caio*, *Origeni*,

geni, (*Meletio* antioch. etiam hic in rupefucald.) tribuitur, esse *christiani* cuiusdam; sed nihil agit, quod *Hippolyto* tribui vult. Sed ista sufficiant ex frugifera hac editione descripsisse, quibus putamus historiae theologicae studiosos multum iuuari; *Homiliae* enim, quae sequuntur, sunt minoris momenti; atque recte *Oudinus* dubitat, vtrum tres homiliae de natiuitate Mariae sint huius auctoris, qui *lumbos* Ioachimi et *vuluam* Annae laudat. *Historia indica*, recte resecta fuit a noua editione, (in illa dicitur spiritus S. a patre et *filio* procedere;) et recte 3 orationes *pro imaginibus* Oudinus dicit graeculi serioris sec. II. 12. esse. Satis incerti sunt hymni, cantica, canones; nec de *Parallelis* sine ratione dubitauit *Oudinus*, esse iunioris collectoris. Non male *Oudinus* videtur in hoc seculum reponere *Bartholomaeum*, Edessenum monachum, qui confutationem scripsit *Hagareni*, quae a *le Moine* edita est inter *varia sacra* tomo I. *Anastasius*, abbas S. Euthymii in palaestina, librum contra Iudaeos scripsit; graece supereſt in bibliotheca vindobonensi; *Lambecius* latinam translationem a *Canisio* editam multum reprehendit; ad hunc Anastas. ille Damascenus *de trisagio* scripsit, quia hymnum istum totum ad filium referebat. *Athanasius* iunior, auctor narrationis de imagine *berytensi*, hoc omnino seculo floruit; eidem *Lambecius* tribuerat *quaestiones* ad Antioch. principem; istas vero *quaestiones*, et explicationes *parabolarum* V. et N. T. tribuit *Oudinus Iohanni*, patr. antiocheno, seculi II fine. *Iohanni*, monacho, *Euboeae* presbytero et episcopo quaedam *homiliae* tribuuntur; ei videntur quaedam etiam adscribenda esse, quae *Iohannis* damasceni nomen gerebant. *Anonymi* dialogum σηλιτευτικον contra synodum 755, edidit *Combefisius* in *scriptoribus* post Theophanem. *Tarasii* patr. Constantinopolit. epistola encyclica supereſt, et 2 epistolae ad Hadrianum; vna ad *Ioh.* anachoretam; *apologeticus*, cum patriarchatum iniret. Huius *Tarasii* syncellus fuit *Georgius*, qui isto chronico inter *byzantinos* scriptores bene meruit. *Theophanes*,

phanes, post varia ministeria e marito monachus, *confessoris* honore ob strenuam iconoduliam auctus, *chronographiam* scripsit vsque ad *Leonem* Armenum, mediocri tamen ingenio; vtitur *alexandrina* aera, quae 7. 8 annis minor est, quam illa Dionysii; eum *Pagius* saepissime aut corrigit aut illustrat, in critica Baronii. *Elias*, cretensis metropolita, qui hoc seculo floruit, (interfuit enim concilio isti septimo), solet auctor dici commentariorum in Nazianzeni orationes; atque grandis operis in scalam *Iob.* Climaci; sed non sine ratione hi libri ad *iuniorem* Eliam referuntur, seculi 12, ab *Oudino*, tomo 2. commentar. pag. 1069. 1070. *Epiphanii*, catan. diaconi, sermo laudatorius exstat in actis Concilii nicaeni 2, in eodem concilio quorumdam epp. libelli habentur, quibus imaginum cultum rursus amplectuntur.

Latini scriptores.

Inde ab initio seculi iam floruit inter Anglos venerabilis ille *Beda*, presbyter, qui eruditione et scribendi labore plerosque alios huius temporis post se longe reliquit. Quod ad *historica* attinet scripta, celeberrima est ista historia *ecclesiastica* gentis Anglorum, libris 5, vsque ad annum 731, saepius edita; cum *Alfredi* regis paraphrasi Saxonica per *Whelocum* 1644 cantabrigiae; *anglice* vertit *Stapleton*; *Epitome*, istius operis maioris. *Martyrologium*, quod tamen solet interpolatum et minus genuinum supereſſe; etiam carmine heroico aliud editum est a *Dacherio* sub Bedae nomine: in quo pauciores sunt sancti; *Vitae* 5 priorum abbatum *Weremuthensium* et *Girvicensium*. De *temporum ratione*, et de *sex mundi aetatibus* chronicon, libellus breuior, *de temporibus*, hic ad initium seculi; ille copiosior, ad *Leonis* nonum annum pertingit. *Vita* S. *Cuthberti*, episc. lindisfarn. *Vita* S. Felicis, Nolae episc. falso autem eius nomine ferebatur vita S. *Vedasti*, atrebat. ep. S. *Columbani*, *Attalae*, Eustasii, abbatum

tum luxov. et S. *Bertulfi*, bobiensis abbatis, (sunt *Ionae*, luxov. monachi) S. *Patricii*, Hibernorum apost. (est Probi alicuius;) *Arnulfi*, metensis ep. (est Pauli Diaconi); vita sanctae *Burgundofarae*, *Iustini*, Martyris, non sunt Bedae. Libellus de locis sanctis. Ad *Theologica* pertinent inter excusa, commentarii fere in omnes libros V. et N. T. In *Iobum* tamen non est *Bedae*, sed *Philippi* presbyteri, seculi 5. de expositione in *Matthaeum* dubitatur. Retractatio *in actus* praecipue superbit graeca *quadam recensione*, quae plane conuenit cum *Laudiano* codice, quem edidit *Hearne*, abit autem a nostris phrasibus. Sed de nominibus locorum in actibus, et interpretationes nominum hebraicorum ordine alphabetico in SS. videntur potius *Remigio* Antissiodor. tribui debere; *praefationem* in commentarium in epistolas *canonicas*, primus edidit *Caue* (tomo 1. histor. litterar.) commentarius in Apostolum, Paulum, ex *Augustino*, scriptus quidem fuit aliquis a *Beda*; sed ille excusus videtur potius esse *Flori*, diac. lugdun. Genuinum commentarium hunc nondum excusum habuit *Mabillonius*, (acta SS. ord. bened. sec. 3. tomo 1. vbi de scriptis *Bedae* diligenter egit;) *Homiliarum* numerus inter excusas est CXL. Aestiuales de tempore 33. de sanctis 32. Hiemales de tempore 15. Quadragesimales 22. Hiemales de sanctis 16. ad populum 22; sed in Mstis ne quidem *quinquaginta* inueniuntur. De his aliisque post *Mabillonium* egit *Oudinus* diligentius, qui et alium ordinem nouae editionis alicuius praeiuit; tomo primo, quae spectant ad liberales artes, (incunabula artis grammaticae Donati, de 8 partibus orationis; de arte metrica; de schematibus et tropis SS. de orthographia; de Arithmetica — de loquela per digitorum gestus; decennouales cycli; cyclus paschalis; de planetis, de computo &c.) in tomum alium reiecit incerta aut supposita; de quibusdam anecdotis egit *Caue*, qui tamen *Mabillonii* diligentiam in excutiendis *Bedae* scriptis superare ausus non est. *Beda* eruditione, vt tempus tulit, varia non caruit, sed mediocri

aut paruo iudicio vſus eſt, ob monaſticam malignitatem; itaque ex aliis congerere ſua potius ſolet, quam ipſe aliquid reperire atque audere.

Aldhelmi, qui poſt huius ſeculi initium Schirburnenſis eccleſ. epiſcopus factus eſt, mentionem iam fecimus inter ſcriptores ſuperioris ſeculi; ſed iam demum in manibus eſt *bibliotheca patrum maxima*, cuius tomo 25 exſtant eius *opuſcula*. Inſunt *carmina* ſatis multa, aenigmata &c. non omnino inepta, vnde nobis fingere poſſumus, eruditionis et ſcholarum in Anglia conditionem; ex opuſculo, de *laudibus virginitatis* videmus, quaenam ſexus muliebris nomina praecipue celebria olim fuerint; vtitur *Gregorii*, quem praeceptorem nominat, *miſſali*, (Gregor. qui noſtris parentibus errorem tetrae gentilitatis abſterſit, c. 28.) non raro *poetam* (anonymum) citat, et verſus latinos. *Gregorii*, papae 2, plures epiſtolae ſuperſunt; in *Wilkinſii* corpore exſtant illae ad Anglos; *liturgiam* Gregorii ſeu formulam Miſſae cum *Georgii* (ſic legendum) *Codini graeca verſione* a Morello editam 1595 pariſ. et in auctario Ducaei tomo 2. repetitam, *Caue* narrat; ſed eſt *Gregorii* primi, ad quem *dialogi* iſti ſpectant, (quare a Graecis dicitur dialogus.) alibi dicitur ab Emmanuel *Chryſoloră* translata, et eſt hic ibi auctior; *Fabricius* biblioth. graeca volum. 10. pag. 700. *Cauei* et *Whartoni* errorem video iam correxiſſe *Oudinum* tomo 1. commentar. p. 1508. *Bonifacii epiſtolae* praeter alias editiones habentur in biblioth. patrum maxima tomo 25. pag. 70 ſeq. numero 69. Audet hic ibi *graecari*, κατα pſalmiſtam, ἀπο των γραμματων ἁγιων, (ſic legendum in prima epiſtola) multa inſunt ad hiſtoriam ipſam eccleſiaſticam facientia. Ep. 3. ſine patrocinio principis *Francorum*, nec presbyteros monachos — defendere poſſum, nec paganorum ritus in *Germania* prohibere valeo; (ideo in comitiis publicis *prohibentur*) librum ſex prophetarum, quem *Wynbert* magiſter quondam meus reliquit, mitte; quia talem librum in hac terra acquirere non poſſum (ſine *abbreuiaturis*, eſt

tam

tam clare *discretis* litteris;) mitto casulam villosam, ad tergendos pedes sanctitatis vestrae; Ep. 4. 5. carinam seu lintrem nostram tuis orationibus ad portum deduc, et pelta, parma tuae orationis protege — turis, piperis et cinamomi xenia mittuntur. Ep. 7. Eadburgae mittit *graphium* argenteum, et storacis et cinnamomi partem. Ep. 8. rogat, vt accipiat de *Bedae* opusculis; mittit Gregorii Epistolarum exemplaria, villosam vnam, corporale pallium. Ep. 9. *cloccam* mittatis, si laborioſum non fuerit; mittit caprina lectisternia. Ep. 10. mittimus thymiama et sabanum — Ep. 11. mitto corporale pallium albis stigmatibus, et villosam — Ignorabam hactenus, nec in canonibus aut pontificum decretis inueni, esse maximum crimen, si viduam quis ducat, cuius filium in baptismo adoptiuum susciebat. (nempe loquitur de *adultis* baptizatis, de eadem re epistola 15. et 22.) Ep. 12. ad regem *Ethelbald:* mittimus *accipitrem* vnum et 2 falcones, 2 scuta, 2 lanceas; nuntiis nostris praeterito anno adiutorium praestitisti — Ep. 13. aureo amoris spiritualis vinculo amplectendae et diuino virgineo caritatis osculo *strigendae* sorori Eadburgae — Ep. 19. — in *antiqua Saxonia* adulterium ita punitur a gentilibus — quidam reges per monasteria *Nonnarum* vaga libidine grassati — — Ep. 20. *Bugga*, abbatissa Romam vult peregrinari; eam iubet exspectare litteras *Wiltbergae*, quae etiam Romae in quiete viuit. Ep. 21. narrat de *visionibus* mirandis ex inferno &c. Ep. 24. — vt pro dormientium fratrum animabus orationis et missarum solemnia celebrare faciatis — Ep. 26. Bonifacius *seruus seruorum* dei (hac inscriptione saepe vsus est, atque sic solent etiam alii scribere;). Ep. 28. Eadburgam rogat, vt *cum auro* conscribat epistolas domini S. Petri, ad honorem SS. *ante oculos carnalium in praedicando.* Ep. 33. *Daniel*, ep. famulorum famulus. Ep. 35. *Bugga* mittit 50 solidos et pallium altaris; rogat vt missas offerat pro anima propinqui. Ep. 36. *Leobgith* versus latinos facit, magisterio *Eadburgae.* Ep. 38. *Eangith* ancilla

ancillarum dei — Ep. 40. regis Aethilberti — mittimus caucum argenteum, intus deauratum, penſantem libras 3 et ſemis — rogat contra, 2 falcones, qui grues captent — Ep. 44. *tonſura* Scotorum eſt Simonis magi — de noſtris ſi quis ad eos venit, eum 40 dies poenitentiae ſubdunt. Ingenium monaſticum, turgidum, ſcabrum, vel ex talibus epiſtolis patet; n. 45. inſcribitur: clarae eccleſiae lampadi, luciferae, Gregorio duplici presbyteratus abbatisque honore — decorato, *Lullus* extremus orthodoxae matris alumnus, immarceſcibilis caritatis, in angulari lapide vtriusque teſtamenti, ſalutiferam ſalutem; admonet, vt extraneae mulieres abſcindantur, ſcurrarum bacchationes — Ep. 47. *Lullus* excommunicat abbatiſſam *Suitham* cum ſuis, quia 2 feminas ſacras e monaſterio in longinquam regionem ire permiſit, propter arrogantiam et voluptatem laicorum explendam. Ep. 52. de *communione* in orationibus, ſtatis horis; nomina defunctorum transmiſſa, vt addantur in orationibus. Ep. 57. abbas Aldhelmus ſcribit: de baptismo *ſororis* (tuae) interrogaui pontificem; dedit licentiam, *baptizari illam ſanctimonialem*, ſed tantum *clam et latenter* (quid hoc rei eſt? iam ſanctimonialis, ſed nondum baptizata?) Ep. 58. ille abbas non vult conſentire in redemtionem *puellae captiuae*; 300 ſolidi mittuntur pro ea. Ep. 62. monachi et monachae, ob *pluviorum flagellum*, hebdomadam vnam abſtineant ab omni carne et potu, in quo mel fit: quolibet die 50 pſalmos cantent, et *miſſas quae pro tempeſtatibus fieri ſolent.* Miſimus nomina romani epiſcopi, pro quo vnusquisque 30 miſſas cantet — ſimiliter pro 2 laicis, nomine — — 10 miſſas. Ep. 63. finit: in gaudiis Elonqueel, Michael, Acaddai, Adonai, Alleuatia, Alleluia (tamen de nouis angelorum nominibus accuſabat Bonifacius *Adalbertum?*) Ep. 67. Dauid epiſcopus inſtituit *Bonifacium*, quomodo gentiles ad chriſtiana ſacra *ratione et prudentia*, transferre poſſit: *non ſtatim* contraria de eorum diis docere debes, ſed ſenſim *quaeſtionibus* eos ſapienter ad vſum ratiocinio-

rum

rum traducere — non quasi insultando, sed placide et cum magna moderatione. Haec Epistola a nemine adhuc ad *historiam missionum* adhibita fuit; e qua patet, *fuisse etiam prudentes et probos ministros rei christianae*; hic nihil quicquam de superstitione, miraculis &c. Ep. 68. recenset *studiorum* modum; de *legibus romanis*; de *metrorum* generibus, cantilenae modulamina (*notas* dicunt,) *calculatione*, *zodiaco*; crederem alicuius esse scholastici doctoris. Ep. 69. — *metricae artis peritiam* sub magisterio domini nostri omnium generalis, mei specialis, *Bonifacio*, didiceram — insunt vestigia cryptographiae. Ep 71. visionis fragmentum exhibet — *Cuthberga* et *Wialan*, reginali potestate fruentes, in poenalibus puteis — multitudinem infantium sub *Daniele* episcopo sine baptismo morientium — Ep. 74. — si quos secularis litteraturae libros adepturi sitis, de *medicinalibus*, quorum copia est apud nos, sed tamen *segmenta ultramarina*, quae in eis sunt, ignota nobis et difficilia ad adipiscendum. Ep. 85. Bonifacius rogat aep. Ecbertum, vt Bedae commentarium in prouerbia, et super *lectionarium* anniuersarium mittat, quod praedicantibus nobis habile et manuale sit; rogat, quid faciat presbytero; qui olim fornicatus fuerat inter Francos. Ep. 89. Lullo ex anglia: mitte aliquem *vitrifactorem* et citharistam — Ep. 90. rex *Alhred* et *Osgeofa* regina, — rogant Lullum, vt rex *Carl* porro amicitiam illis seruet. Ep. 100. *Lullus* queritur de *Willefrith*, presbytero, qui seruos, boues, vaccas, aurum, ab ecclesia abstulit, in Saxoniam — Facile igitur patet, non pauca ex his epistolis posse colligi, cui rei illustrandae Nicol. *Serarius* suis in notis dedit operam, sed primum omnium opus erat, vt ad chronologiam disponerentur; exstant enim sine ordine; post mortem Bonifacii sequuntur aliae ad eum &c. Alia non sunt huius seculi, sed sequentis.

Bonifacio tribuitur a *Dacherio* collectio statutorum, 36 articulis; in *collectione ampliſſima* Martenii et *Durandi*.

randi habentur 15, *sermones*, de quibus tamen addubitare licet, quia historici illi caracteres desunt, qui abesse vix poterant. Periisse videtur tractatus, *de vnitate fidei catholicae*, quem *Zacharias*, papa, an. 748 approbat; licet *Mabillonius* putarit eum in concilio *Suession. Liptin.* &c. supersse; sed ratione non carent, quae reposuerunt auctores *Historiae litterariae Franciae* tomo 4. pag. 117, qui et a *Possevini* pluribus indicibus abeunt. *Pirmini* nomine, (qui e missionario inter Suitenses et Baioarios, tandem 724 episc. loci incerti factus est,) *Mabillonius* in analectis edidit *tractatum ex omnibus libris canonicis* derivatum; homo post angelorum lapsum demum creatus est; a creatione mundi ad diluuium numerat 2242 annos; diuina Christi natura non decessit a corpore et anima, cum ad *inferos* descenderet — de symboli apostolici origine, 2 sententiae a *Thoma* dictae, vt numerus 12 exsistat; — de gradibus prohibitis — necessaria (aduersus capitalia peccata) est confessio et imposita poenitentiae expletio, — vitandae sunt inter alia vitia, *ballationes* — *Chrodegangus*, ep. metensis, bono genere, licet non ex sorore *Pipini*, breuis; ex laico, (cancellarius Martelli) 742 factus est episc. Hic in ecclesia cathedrali *congregationem* clericorum s. canonicorum instituit, qui monachorum vitam et regulam imitabantur; *canonici regulares* hinc orti; reditibus satis amplis iis prospexit; a *Stephano* 2, quem ad *Pipinum* adduxit, *pallio* ornatus et *aep.* honore; reliquias S. *Gorgonii*, *Nabor* et *Nazarii* Roma transportari fecit. *Regula* illa *canonicorum*, [capp. 34. cuius collectionis auctor est, celeberrima euasit, vel in *Italiam*, *Angliamque* admissa; distinguenda tamen est illa alia recensio et editio, capitum 86 aut 84. quam *Anonymus* confecit, resectis illis, quae praecipue ad *Metensem* ecclesiam tantum spectabant, additis aliis ex concilio *aquensi* sec. 8; hanc minus ingenuam editionem dedit *D'Acheri* in Spicilegio tomo 1. vtriusque editionis. *Coinius* vtramque contulit in annalibus ad an. 757. *Harzhemius*

mius etiam tomo I. concil. *German.* p. 96 ex *D'Acherio* recudi fecit; sed sine liberali cura. *Ambrosio*, cadurcensi episcopo, *Oudinus* in commentario de scriptor. eccles. tom. I. pag. 1827 seqq. tribuit *septem* libros *de sacramentis*, qui mediolanensi *Ambrosio* inscripti esse (numero tamen sex tantum, omisso isto, *de his, qui initiantur mysteriis*) solebant. Istorum auctorem iam eruditi quidam, (Petrus *Aurelius*, *Dallaeus*, in seculum hoc octavum posuerant; atque rem suam non male egit *Oudinus*, licet auctores *histor. litter. Franciae* tomo 4. p. 137 seqq. superbius pronuntient aduersus *Oudinum*, stilum praecipue causati, seculo 8 longe meliorem; quasi plane desint etsi rari sint, scriptores tolerabili stilo vsi. Edidit *Oudinus* simul istos 7 libros; in quibus quod mirum est, auctor docet, peccata *propria* per baptismum deleta esse; *originale vero deleri*, per lotionem pedum. Ex his *sermonibus* seu homiliis, (sic enim potius loqui oportet de iis) multa possunt colligi, de docendi et *sacra peragendi modo* — in eucharistia, *natura* ipsa (panis) benedictione *mutatur* — quid quaeris *naturam* in Christi corpore, cum praeter naturam sit partus ex virgine; (non tanti est, contra *Perronium* et alios difficilius disputare; hic scriptor, vt alii quidam, omnino crassius sensit, sed nulla inde aduersus alios exsistit auctoritas; et *nos sensum habemus*, vt ipse dicit aduersus morem romanae tum ecclesiae,) — mersio adhuc in vsu, et *candida* vestis (nempe de *adultis* hic auctor loquitur. Sermone 6. citat in orat. dominica: *ne patiaris* induci nos in tentationem; non dicit dominus, non inducas &c. Ita et olim alii allegabant; est Glossa *Tertulliani*.

Ambrosius Autpertus, (Antpertus, Anspertus), ab anno 776. abbas monasterii S. Vincentii, prope *Beneuentum;* videtur in Italia, in qua ab an. 754. haesit, aliquid graecae linguae didicisse; saltim in *commentario* in Apocalypsin eius rei vestigia quaedam exstant. Libri hi X papae *Stephano* inscripti sunt; — carere nunc ecclesiam

ceteris miraculis reprehensio nulla est, — — damnandus censetur, quisquis *hanc libertatem* spiritus, (qui prout vult bona distribuit,) *abolere* conatur, aut humano imperio Spiritum S. subiicere — num spiritus S. amisit nunc omnipotentiam, et varietati temporum subiacet? petit, vt papae decreto hi sui libri *confirmentur* — namque adversariis, qui impedire me volebant, non assensisti; (nempe, erant, qui *Autpertum* apud papam accusauerant,) auctor iudicio et bona mente minime caret. Eiusdem est, *conflictus vitiorum et virtutum*, Augustini, aliorumque olim nomine insignitus; scripsit etiam vitam *Paldomir*, *Tasonis* et *Tatonis* fundatorum monasterii S. *Vincentii* ad Vulturnum, post *Vghellium* edidit *Mabillon.* in actis; *Homiliae* tres exstant in *collectione amplissima* tomo 9. p. 219 seq. prima, de cupiditate, in *Alcuini* Homiliario alligata dom. Sexagesimae; in quo etiam *secunda* habetur, de purificatione b. virginis; *tertia*, de transfiguratione domini; *quarta*, de assumtione Mariae, iam Augustini nomine edita. Eidem et aliae scriptiones minores tribui possunt; atque in V. T. commentar. in Leuiticum et Canticum, etiam recapitulatio in libros Mosis et Iosuae, ei adscribitur. *Lulli* aep. moguntini, post Bonifacium, (qui eo vsus fuerat legato ad papam 751, in rebus, quas litteris perscribere non audebat; *huius generis cura* hoc praecipue seculo adhibita, itaque in epistolis ad Bonifacium aut ab illo, nihil magni momenti, aut ad historiam claram, supereſt;) habentur inter Bonifacianas *epistolae* 9. *Angelrammus*, (Engerran) e nobili genere, in *gorcensi* monasterio et cellae nouae educatus, ex abbate Senonensi post *Chrodegangum* aepiscopus metensis, 768, *Caroli* archicapellanus; itaque inuidia aliorum non caruit; congessit igitur, vt se facilius defenderet ista capitula 80 (vel 72, si quidam iunguntur;) e falsis decretalibus pleraque. *Wigbodus*, cetera minus notus, collegit quaestiones in *octateuchum*; sed in *collectione amplissima* tomo 9. habentur tantum in tria geneseos capita; quia hodie tanti

non

non erat, ex Hieronymo, *Isidoro* &c. saepius eadem repeti, cum ipsis his commentariis non careamus. *Zachariae* papae supersunt epistolae 18, in concil. et alia ad Theodorum, ticin. ep. Idem transtulit graece *Gregorii* dialogum; alia quaedam vero translata, de quibus *Photius*, cod. 252, non supersunt. *Pauli*, 1. papae epistolas 12 habemus, quaedam in codice Carolino sed *decem* carent nota temporis. *Stephani* 3, epistolae 3. *Hadriani*, papae, epistolae 18; epitome canonum, *Carolo* M. missa; Responsio ad libros Carolinos. *Paulinus*, patriarcha aquil. ob eruditionem Carolo carus; *libellus* de trinitate contra *Elipandum* et *Felicem*, vrgel. est in conciliis. Libri 3 aduersus *Felicem*; editi a Duchesnio ad finem operum *Alcuini*. De *salutaribus documentis* liber, olim Augustino falso inscriptus; epistola ad Heistulfum; ad *Carolum* M. (in conciliis). Libri 7 aduersus Felicem olim in biblioth. patrum editi, *Alcuino* tribuendi sunt, non vt ibi fiebat, Paulino; *Paullinum* optime edidit *Madrisius*. Ante Paulinum aduersus *Elipandum* scripserunt *Etherius*, seu Heterius, axum. episc. et *Beatus* presbyter in Asturia, *Etherii* magister. Libri 2 isti ad Elipandum, saepius excusi sunt. Pauca excerpimus, quia rariores sunt huius indolis scriptores hoc seculo. Christus dicit Petro: pater meus tibi *reuelauit*; scil. *operibus*, quae me loquuntur filium dei, credidisti. — deus passus et crucifixus est; dicamus ergo psalm. 81, 8. *surge* deus, iudica terram; nempe, *surgit*, qui mortuus est — discipuli non *dant* spiritum S. sed *orant*, vt veniat super eos, quibus manum imponunt — vna pars episcoporum dicit, quod Iesus Christus adoptiuus est *humanitate*; altera pars, (et nos) dicit, ex vtraque natura est vnicus patris filius *proprius*, non adoptiuus; parabolam de villico iniquo, de *Paulo* explicat; pag. 360. in bibliotheca patrum maxima tomo 25. describitur ex prima Epistola Iohannis longa pars, ex capite etiam quinto; sed versus noster 8 ponitur *ante* septimum; variae *latinae* lectiones e N. T. non rarae hic sunt, vt fere in codice *gothico* Blanchinii,

in *vindiciis* canon. ſcripturarum — habitauit *in nobis* Ioh. 1. i. e. in *carne*, quae nos ſumus; incipit ſymbolum *Elipandi* — dei filius inuiſibilem *deitatem exinaniens*, apparuit creaturae ſpecie cum patre et ſpiritu ſancto Abrahae — eum pro ſalute generis humani, *deitate exinanita* teſtatur ſcriptura hominem factum — Elipandus dicit: — tam in feſtis paſchalibus, quam in ceteris erroribus *Migetianorum* haereſin emendauimus — de finibus Baeticae haereſis *Migetiana* eradicata — ſatis inepte reſpondetur a Beato et Etherio — *topadium*, Hiob 28, 9. quaſi το παν — Chriſtus tres habet ſubſtantias; vnam aeternam, et 2 temporales — ſola caro mortua, quae in ſepulcro, Chriſtus filius dei eſt; ſola anima, quae in infernum deſcendit, Chriſtus filius dei eſt — — p. 37, multa ex *ordine miſſae*, ex Iſidori de officiis eccleſ. deſcribuntur — Eſt inuenuſtiſſima congeries rerum ſine omni vſu et ratione corraſarum; quam *Elipandus* et homines rationis vſu non carentes perlegere omnem haud dubie non potuerunt.

Ordo romanus, de diuinis eccleſiae cathol. *officiis* et miniſteriis per totius anni circulum, conſtat collectione deſcriptionum miniſterii publici eccleſiaſtici, quae non ſunt vnius temporis; ſatis tamen certum eſt, aliquam *recenſionem* romani ordinis, quae nobis ſupereſt, huius *octaui* ſeculi eſſe, quam aliae praeceſſerunt inde a *Gelaſii*, Gregoriique, temporibus. Deſcribuntur ſtatae *caerimoniae* multae, ſiquidem publica religionis exercitia et ſacrorum miniſtrorum variis negotiis conſtabat, et in ſenſus praecipue incurrebat; qua ratione ad Iudaeorum illam πολυπραγμοσυνην et gentilium ſpectacula religioſa multo magis accedebat haec religio, quam ad ſpiritum et veritatem compoſita fuit. *Caerimoniale* romano gallicum forte dici poſſit, ſicut habemus caerimoniale *byzantinum*; ingenium certe eſt ſimillimum, illiberale et ſatis ineptum; mirari

omnino

omnino licet, imo indignari etiam serio, christianam religionem tam illepidis seruitiis, satellitiis, appendicibusque adeo oppressam fuisse; omnia oculis auribusque capiendis composita sunt; cerei, thuribula, fumigatio, gestatio Euangelii, sanones candidi; mira negotia vel L hominum, cruces, cantus, varietas vestimentorum oculosque et aures miro et studiosissimo modo agitant — Nempe maluerunt clerici, varietatem et multitudinem rituum et retinere atque augere, quam christianos ad bonae mentis et rationis vsum liberum adducere, vt discrimen christianae et facillimae religionis ab aliorum sacrorum inuenustate luculentissime pateret. Sed piget et taedet huius generis sacram ignominiam publicam copiosius recensere; praeteriit eius temporis, quo istis caerimoniis ipsum diuinum cultum contineri credebant, miseria. Longa vero est disputatio, de *ordinis romani* omni historiae; de ea *Ioh. Mabillonii* commentarius in ordinem romanum, et *Oudini* dissertatio de ordine romano, tomo 1. commentar. pag. 1811 seqq, pluribus agunt; illud satis iam scimus, *Gelasium*, *Gregoriumque*, M, iam collegisse huius generis libros formularum sacrarum; sed non supereſt iste ille *ordo* caerimoniarum sacrarum, quae Romae obseruabantur; ille autem *ordo romanus*, qui aliquoties excusus est, recentioribus e temporibus non pauca habet, sub finem seculi octaui collectus, ad faciliorem ecclesiae romanae et francicae communionem; fuerant olim diuisi et separati libelli; alius, de missa pontificali; alius, de missa episcopali; alius de baptismo, (quem *baptisterium* dicere solebant) &c. Hanc in rem etiam *Mabillonii* libri, de *liturgia gallicana*, conferendi sunt; postea ecclesiae per *dioeceses* varios alios ritus assumserunt, vnde talium librorum non parua copia habetur. *Liber diurnus*, qui sollemnes litterarum, aliarumque ecclesiasticarum rerum formulas complectitur, quibus auctoritas romana non defuit, a *Garnerio* in *Gregorii* 2 tempora refertur; eum edidit 1680 in 4. Parisiis, recudi autem

tem fecit Christi. Gotfr. *Hoffmannus* in *collectione* nov. scriptor. et monum. tomo 2. In hoc libro etiam *Honorius* cum aliis haeretici dogmatis assertoribus anathemati subiicitur; insunt multa, et ad antiquos ritus pertinentia, et liberale nostrum iudicium prouocantia.

Historicae scriptiones.

Non est exiguus illorum scriptorum numerus, qui *sanctorum* historias seu vitas scripserunt; multi anonymi, seu quorum nomen ignoramus; auctor vitae S. *Anstrudis*, abbat. laudun. S. *Iodoci*, presbyteri; S. *Virgilii*, ep. arelat. S. *Boniti*, aruernens. ep. S. *Bertilae*, abbat. calensis. S. *Austrebertae*, abbat. pauliacensis, S. *Walarici*, abb. Leuconaensium. S. *Botulfi*, abb. ikanhoensis in Anglia. S. *Goari*, erem. et confessoris. S. *Richmiri*, abb. apud Cenoman. S. *Hermenlandi*, abbatis antrensis. S. *Eucherii*, aurel. ep. S. *Pardulfi*, abb. waractensis; poeta, ex quo Mabillon. actor. sec. 3. parte 2. longam partem descripsit, de *Eborac.* pontificibus et sanctis &c. Nomina alia non ignorantur; *Siuiardus* anisolensis abbas, auctor vitae S. *Carilefi*; *Felix*, anglus, vitae S. *Guthlaci*, anachoretae croilandensis; *Antenor*, vitae S. *Siluini*, episcopi apud Morinos; sed interpolata supereſt. *Heddi*, Stephanus, cantuar. presbyter, vitae S. *Wilfridi*, hortante Acca; exstat apud *Galeum* in scriptor. hist. angl. melius, quam apud Mabillonium. *Ionas*, fontanell. monachus, scripsit etiam S. *Wulframni*, senon. ep. Eidem *Condedi* vitam tribuit Mabillon. quam *Bollandini* dant *Aigrado*. Willibaldus, *Bonifacii*; *Anastasius*, cassinensis mon. historiam translationis, partis reliquiarum S. *Benedicti* et *Scholasticae*; *Marcellini* nomine fertur vita S. *Suidberti*, sed est supposita; *Aribo*, ex monacho, abbas, et tandem *Frising.* ep. vitam S. *Corbiniani*. *Florum S. Trudonis* monachum, qui *gestamartyrum* scripserit, seu Bedae martyrolog. suppleuerit, falso,

in

in secul. hoc *Caue* aliique retulerunt, cum sit diaconus ille Lugdunensis, seculi 9. *Godeschalcus*, leod. diacon. vitam S. *Landeberti*, traiect. ad Mosam ep. *Anso*, monachus laubiens. in Belgio, vitam S. *Vrsmari*, abb. et ep. Laubiensis; et S. *Ermini*, seu Erminonis, ep. *Donatus*, diac. mettensis, vitam S. *Trudonis*, confessoris.

Praeter istos, si placent, sanctos historicos, sunt et quidam alii, qui meliori iure hic recensentur, licet nomina ignorentur. *Annales* enim superstunt varii, qui intra hoc sec. 8. finiuntur, e quibus sec. sequenti et 10 alii chronicographi multa desumserunt, quae ad hoc tempus pertinent. Solent breuissimi esse indices, per omnes annos, alii tamen aliis sunt copiosiores. 1) Edidit *Freherus* annales Francicos, quos Du Chesne tomo 2. corporis sui inseruit, qui S. Nazarii nomine solent insigniri, quia monachus eius monasterii videtur auctor esse; initium ab an. 707 — finis an. 790. saepe, cum bellicarum rerum nihil esset, scribit, *Franci quieuerunt.* 2) Annales *Tiliani*, postea in bibliotheca Alex. *Petauii*; init. an. 708 finis 799, sunt hic ibi paulo copiosiores; exstant in corpore *Du Chesniano*; eorum vero alia et auctior recensio in *Labbei* bibliotheca noua Mstorum, ab an. 726 — 796. 3) Praestant istis cunctis annales, seu *fragmentum* annalium Francicorum, a *Canisio* editum; supereſt tantum 741—793, sunt vero multo copiosiores, vt isti alii quasi ex his tantum titulos annorum exhibere videantur; ex his *Regino*, prumiensis multa descripsit. Istae tres scriptiones, cum de annis 751. 752. nihil notent, videntur omnino ex vno eodemque libro excerpti esse aut supereſſe; in noua Canisii editione *Basnagius* exhibuit *variantes*. Anonymus auctor, cui *gesta Francorum* debemus, s. continuationem *Fredegarii*, scripsit an. 725. edidit eam *Freherus* et *Du Chesne*.

Anonymi quidam in hoc seculum referuntur ab auctoribus *Historiae litterariae* Francicae; auctor 47 statutorum, seu *capitularis*, (fere eius generis, vt *Theodulfus*, aurel.) quem *Martenius* edidit, in *collectione* amplissima

tomo 7

tomo 7. ab initio. E ſexu altero quaedam monialis, *Wunibaldi* ſoror, ſcripſit vitam (ſeu *itinerarium* per terram ſanctam) *Willibaldi*; et poſtea etiam vitam *Wunibaldi*; vtramque edidit *Caniſius* et *Mabillonius*; (etiam in *Surii* editione altera ſunt). Edidit etiam Ioh. *Morinus* (de ſacram. *poenitentiae*) 2 anonymorum *poenitentialia*; habentur et hic ibi *poematia latina* hiſtorica; liber *formularum Sirmondianarum*, a *Baluzio* editus tomo 2. Capitular. pag. 467 ſeqq. *Turpini*, ſeu *Tilpini* fabulam commemorare nihil attinet; licet aliquoties excuſam. De ſanctorum *legendis* variis vid. Hiſtoriam litterariam Franciae. *Codex Carolinus* poſt *Gretſerum* a *Du Chesne* editus.

Tabula Seculi octaui.

A. Chriſti 701. Hegirae 82. die 15 Feb. — *Sergio* Papae ſuccedit *Ioannes 6; Egicae*, regi Viſigot. Filius *Wittizae*; concil. *toletanum* 18, cuius acta ſtudioſe ſublata fuerunt; *Iudaeis* iura multa reſtituit, quibus caruerant. *Aigradus* ſcribit vitam *Lantberti* et *Ansberti*, abb. fontanellenſis; haec tantum ſupereſt. *Tiberii* Apſimari annus 4. *Raganbert*, taurin. dux Anſprandum longobard. regni tutorem vincit.

702. Hegirae 83. die 4 Febr. — Synodus ſub rege *Aifredo*, in campo Neſtrefild, in cauſſa *Wilfridi*, aduerſus eum habita; appellat ad ſedem *Romanam*. *Aripertus* regnum Longobardiae electo *Anſprando*, occupat; hic in Baioaria apud ducem *Theodebertum* 9 annis haeret; *Theodo* enim pater, dux Baioariae, inter tres filios et ſe tetrarchiam inſtituit hoc anno; *Pagi*.

703. Hegirae 84. die 24 Ian. — *Wilfridus* ex Britannia maiori *Romam* abit; eius etiam accuſatores eo veniunt. Auctor anonymus S. Anſtrudis, et eius fratris, *Balduini*, vitam ſcribit.

704. Hegirae 85. die 13 Ian. — *Edilred*, rex Merciorum, monachus factus, Coënredo regnum tradit; hic *Mabillonius* in annalibus ad a. 704. n. 16. de aliis regibus *monachis* narrat. *Wilfridus* Romae abſoluitur.

Iuſti-

A. Christi 705. Hegiræ 86. die 2 Ian. et 87. die 22 Dec. *Iustinianus* restituitur imperio; *Callinicus*, patriarcha, oculis priuatus, *Romam* in exilium mittitur; eius in locum *Cyrus* venit, incluſus in Insula *Amaſtris*, *Iohannes* 6. moritur; ſucceſſit *Iohannes* 7. quem *Iuſtinianus* rogat, vt *concilium* congreget; miſit et concilium *trullanum*; in quo papa nihil reprehendit. *Wilfrid*, Meldis morbo liberatus, in Angliam redit, parum honorifice exceptus; rex *Alfrid* paulo poſt moritur, poſt quem *Eadwulfus* tyrannidem arripit in Nordhumbria; poſt eum *Osred*, Alfredi filius, regnat. Reſtituitur *Wilfrid* anno Alfredi vltimo, in Synodo Niddana. Moritur *Hedda*, ep. dorciceſtrenſis apud Weſtſaxones; inde prouincia diuiſa; partem *Daniel* (cum quo Bonifacius litterarum commercium habuit;) partem *Aldhelmus*, Schireburnenſis. Moritur 12 Califa Abdalmelec; ſucceſſit filius, *Walid*; ſub hoc tempus mortuus *Anaſtaſius*, patriarcha Hieroſolymit. ſucceſſit *Iohannes* 4, qui vitam Ioh. Damaſceni praeceptoris, ſcripſit.

706. Hegiræ 88. die 12 Dec. *Childeberti* annus 12. Pippinus cum Plectrude donat dimidium Epternaci, quod olim *Theodardus* dux ibidem habuit, monaſterio. Naſcitur *Sturmius*.

708. Hegiræ 89. die 1 Dec. Moritur *Iohannes* 7 papa; ſuccedit *Siſinnius* anno ſequenti. *Muſa*, a Califa *Walid*, in Africam ſuperiori anno miſſus, Chriſtianos multos ad legem muhammedicam transfert. *Iulianus* Comes Septam, *Ceutam*, et alia oppida ſtrenue defendit. *Hiduifus*, ex epiſcopo monaſterii *Mediani* rector, moritur. Alpes *Cottiae* redduntur ſedi romanae per *Aripertum*.

709. Hegiræ 90. die 19 Nov. Poſt *Siſinnium*, qui dies XX ſedit, Conſtantinus, natione, vt ille, Syrus, papa fit. *Drogo*, dux campaniae, moritur; ex eius filiis *Hugo* eodem tempore *eccleſias epiſcopales tres*, et 2 abbatias, rexit. *Iuſtinianus* a Bulgaris victus. Apparitio S. Michaelis in monte tumba, in confinio Britonum et Nordmannorum, ſeu *in periculo* Maris; vnde monaſterium. Pagi refert in an. 707.

Mori-

A. Chriſti 709. Hegiræ 91. die 8 Nov. Moritur *Wilfridus*; etiam *Aldhelmus*, ep. *Coenred*, rex Merciorum, et *Offa*, rex oriental. Sax. a regno abeunt, Romae monachi futuri. Moritur abbas *Bertinus*. Rauenna a graecis magna clade afficitur. *Saraceni* in Cappadocia Graecos vincunt.

710. Hegiræ 92. die 29 Oct. Papa *Conſtantinus*, Conſtantinopolin proficiſcitur, vt canones Trullani confirmarentur, iuſſu imperatoris; eum diaconus Gregorius, (papa poſtea 2) comitatus. Crudelis vindicta a *Cherſoneſi* incolis per imperat. famitur. Moritur *Witiza*, rex Hiſp. filiis 2 relictis; ſed *Rudericus* per annum regnum arripit; *Iulianus*, comes, in Rudericum iratus, Arabes in Hiſpaniam inuitat; *Tarif*, Ebn Zaric, cum paucis militibus venit, vnde longa calamitas vsque ad annum 1492. *Hadrianus*, Abbas cantuar. moritur, ſuccedit *Albinus*, primus ex Anglis, poſt 7 romanos. Rauen. aep. *Felix* Conſtantinopoli *abbacinatus*, alii occiſi. Itaque anno ſequenti *Rauennates* aliique in Italia ab Exarcha deſciſcunt.

711. Hegiræ 93. die 19 Oct. *Iuſtinianus* occiſus; *Philippicus* ſucceſſit; (huc pertinet *Agathonis* Epilogus;) imago ſynodi ſextae deiecta. Rex vltimus Hiſp. *Rodericus*, occiſus in praelio. *Childeberto* 3, ſuccedit *Dagobertus* 3.

712. Hegiræ 94. die 7 Oct. Conſtantinopoli in *Synodo Cyrus* depoſitus; *Iohannes* ei ſufficitur; de *oeconomia* tot epiſcoporum, qui imperatori non obſtiterunt, variae ſententiae; (*Combefiſius* in notis ad Ioh. epiſtolam ad papam Conſtantinum, *Pagi* etc.) *Anſprandus* Baioariorum auxilio Aripertum expellit; patri poſt tres menſes filius in regno Lombard. ſucceſſit. *Pelagius* in montibus *Aſturicis* contra Saracenos ſe defendit, et *Oppam*, epiſcopum Hiſpalenſem, deditionem ſuaſurum, capit. Hoc *Aſturiae* regnum ita auxit, vt a. 877. in Concilio *Ouetenſi* fuerint Epiſcopatus 22. inſtituti.

713. Hegiræ 95. die 25 Sept. *Philippico* imper. deiecto et excaecato ſufficitur *Anaſtaſius*; imperator et patriarcha Romano epiſcopo dant operam. *Vrsmarus* Epiſc. abbas Lobienſis in Belgio, mortuus; etiam *Suidbertus* hoc anno mortuus. *Benedictus* mediol. aep. Ro-

A. Christi 713. Romam iter sacrum suscipit, et consecrationem *Ticinensis* ep. frustra sibi vindicatum it. *Liutprandus* quaedam addit legibus longobard. a *Rothari* et *Grimoaldo* latis. *Liutwino*, *treuir.* ep. succedit *filius Milo*, quem tyranni instar habuisse Hincmarus scribit.

714. Hegirae 96. die 16 Sept. Magdeburg. centur. hoc anno Synodum *londin.* de cultu imaginum, per *Egwinum* promoto, designant; sed eius historica documenta nulla habentur. *Grimoaldus*, maior domus a *Rantgario* interfectus; filius ex prima coniuge, non ex *Ratbodi* filia, succedit in parua aetate. *Pipinus* aliquot menses post moritur, qui per annos 27 summa potestate vsus fuerat. *Carolus Martellus* eum excepit. *Mosarabes*, mixti arabes, in Hispania nominari solent.

715. Hegirae 97. die 5 Sept. Constantino succedit *Gregorius* 2, papa; qui Alpes *Cottias*, quas Luitprandus subtraxerat, monitis grauibus rursus extorquet. In locum Iohannis Constantinopolit. mortui suffectus *Germanus*, ex Cyzic. metropol. In Francia post Pippini mortem bellum ciuile per tres annos. *Dagoberto* 3. mortuo *Chilpericus* 2 succedit. Califae *Walid* succedit frater, *Suleyman*.

716. Hegirae 98. die 24 Aug. Rebellio graecum imperium concutit; *Artemius* seu Anastasius, relicto throno in monasterium secedit; *Theodosius* annum vnum, et quod excurrit, imperatoris honore fruitur, *Leone* tamen Isauro, duce orientis non obsequente. *Hienses* monachi ritum romanum (paschatis et tonsurae) recipiunt; *Ceolfrid*, abbas in itinere Romano moritur. *Ethelbald*, rex Merciorum, *croylandense* monasterium condit. *Cassinense* monasterium instauratur per abb. *Petronacem*. *Corbiniamus* anno siue hoc siue superiori *Romam* profectus. *Radbodus*, rex Frisiorum, Carolum Martellum *austrasiae maiorem* dom. vincit; hic vero *Reginfredum*, maior. dom. Neustras. vincit. *Aera* incarnationis in gallia, in schedula illa, quae cum reliquiis S. Magdalenae reperta fuit; *Eudonem* seu *Odoinum*, Septimania et Prouinciales aduersus *Saracenos* foedere sibi iungunt. *Theodo* 2. dux Baioar. a *Rudberto* ad sacra christiana translatus,

A. Chriſti 716. latus, *Romam*, de illa gente primus, profectus. *Bonifacius*, ſ. Winfrid, cum paucis ſociis ex Anglia in *Friſiam* praedicandi gratia venit.

717. Hegiræ 99. die 14 Aug. *Leo*, Iſaurus imperator; Theodoſius ſponte ab imperio abierat. Conſtantinopolis a Saracenis obſeſſa. Secunda *Caroli* victoria a Raginfredo reportata; *Chlotarium*, aliquem ex Auſtraſia, *Childerico* regem iam opponit *Carolus*; electo *Rigoberto*, ep. rhemenſi, *Milonem*, iam treuirenſem, imponit. *Suidbertus*, Friſiorum apoſtolus, ep. et primus abbas *Verdenſis*, in dioeceſi *colon.* moritur. (de falſo Marcellino, vitae eius auctore, *Blondellus* in pleniori aſſert. Genealogiae franc. *Henſchenius* ad d. 1 Martii;) Papa arcem *Cumanam* Longobardis feliciter eripit, et Graecis reſtituit. *Solimannum* califam excipit *Omar*, qui chriſtianos ad muhammedana ſacra pertrahere ſtudet, Epiſtola ad *Leonem* miſſa.

718. Hegiræ 100 die 3 Aug. Conſtantinopolis liberata; annua memoria die 15 Auguſti in Menaeis. *Caroli* Martelli expeditio in Saxones, quos *Chilpericus* in auxilium vocarat. *Radbertus*, ſalisb. ep. mortuus; is *Ereptrudi*, nepti, cum qua ex Francia venit, monaſterium apud Iuuauiam conſtruxit. *Bonifacius*, cum Danielis ep. litteris, Romam proficiſcitur. *Conſtantinus*, Copronymus, naſcitur.

719. Hegiræ 101. die 23 Iul. Bonifacius roma in Thuringiam redit, paulo ante mortem *Radbodi*. In *Francia* transrhenana *idola* redeunt, et baptiſmus neglectus. *Eudo*, a *Chilperico* aduerſus Carolum in auxilium vocatur; ſed vincitur. *Artemius* a rege Bulgarorum adiutus audet Conſtantinopolin oppugnare.

720. Hegiræ 102. die 12 Iul. *Omaro* ſuccedit frater *Izid*; moritur *Chilpericus* 2, quem *Eudo* tradiderat Carolo. *Luitprandus* ſecundo, an. 721. tertio, an. 722. quarto, addit ad leges longobardicas. *Leo* filium coronari iubet.

721. Hegiræ 103. die 1 Iulii. Concilium ſub Gregor. 2. *romanum* primum; in Syria aliquis ſe *Meſſiam*, dei filium, eſſe mentitur; is ex *Hiſpania* receſſerat, *Serenus* nomine. Saraceni *Narbonam* occupant; eos Toloſam obſidentes Eudo vincit. *Ioannes*, beuerlacenſis, epiſc. Eborac. moritur; acta SS. Antwerp. die 7 Maii

A. Christi.

721. 7 Maii. *Izid*, califa, in imagines grassatur; *Pagi* ad a. 723. n. 7.

722. Hegiræ 104. die 21 Iun. *Leo Iudaeos* et *Montanistas* ad baptismum suscipiendum impellit. Bonifacius spreto Frisiae episcopatu, in Germaniam interiorem proficiscitur, cum *Gregorio*, (*Addulae* nepos ex filio Albrico; illa fuit abbatissa Palatioli prope Treuerim, *Dagoberti* 2 filia;) et Sturmio.

723. Hegiræ 105. die 10 Iun. *Bonifacius* in *Hassia* et *Thuringia* christiana sacra profert; romae sub anni finem episcopus ordinatur, sed nulli sedi affixus. *Izid* califa moritur; succedit *Hischam*. *Corbiniani* secunda profectio Romam; paulo post *Theodo* 2, videtur mortuus. *Drogonis*, olim campan. ducis, filii, a Carolo in carcerem missi, ne res nouae oriri possent.

724. Hegiræ 106. die 26 Maii *Lintprandi* legum liber *sextus* editus; in quo multa aduersus superstitiones. *Carolus* adiuuat Bonifacium, contra haereticos in Hassia, Thuringia; monasterium in *Ordruf*; *Pirminius* monasterium *Augiense* instituit.

725. Hegiræ 107. die 19 Maii *Carolus* Martell. in Baioariam irruit; Grimoaldi concubinam *Piltrud* et aliam huius cognatam, *Sonechild* inde abducit; hanc matrimonio sibi iungit. Eudo Saracenos in Aquitania vincit. *Rotrudis*, Caroli Martelli coniux, moritur; *Walpurgis*, prima abbatissa Heidenheimii floret; de qua acta Antwerpiensia, SS. die 25 Februar.

726. Hegiræ 108. die 8 Maii. *Leo* imperat. imaginum adorationem, vt idololatriam, prohibet; rebellio per insulas cycladas &c. inde tandem factum, vt Italia a graeco imperio auelleretur. *Gregorius* respondet ad *Bonifacii* consultationes.

727. Hegiræ 109 die 27 Apr. Saraceni Nicaeam obsident; *Pirminius* Augia pulsus in Alsatia exstruxit *Murbacense* monasterium; diploma *Theoderici* regis apud *Mabillon.* in annalibus ad h. a.

728. Hegiræ 110. die 16 Apr. Carolus secunda vice pugnat in Baioaria; graeci in Italia pentapolitanos aduersus papam frustra concitant. *Lintprandus* Exarchae prouincias inuadit. *Ina*, rex occid. Saxon. fit romae monachus, vxoris instinctu.

A. Christi.

7. 9. Hegiræ 11. die 5 Apr. Saraceni in Galliam irruunt. *Ofric*, rex Northanhumbrorum moritur, ei *Ceolwulf* succeſſit, Coenredi frater; moritur *Egbert*, presbyter monachus in Anglia. In hunc annum Muratorius refert epiſtolas Gregorii 2 nomine ad Leonem; quas pro fictis habere licet. *Liutprandus* vrbem Romam pacifice intrat; papa excommunicationem exarchae tollit regis precibus.

730. Hegiræ 112. die 26 Martii. *Germanus*, Conſtantinopolit. patriarcha, imaginum cauſſa abit a ſede ſua; in monaſterium pulſus. *Anaſtaſius* ei ſuffectus; ob deiectam imaginem, Antiphonetes; (de ea narratio apud *Combefiſium* in Hiſtoria haereſeos Monotheletarum), mulieres aliquot eam defendentes, honore martyrum augentur, d. 9 Auguſti in Menaeis. Ergo prima ex iſtis Epiſtolis Gregorii ſiue hoc ſiue poſt hunc annum ſcripta, in qua de iſta hiſtoria iam narratur. *Leo*, quia papa reſiſtit, prouincias illyricianas ab eccleſia romana auellit; et patrimonia R. eccleſiae in Sicilia et Calabria in fiſcum redigit. *Corbinianus*, primus ep. Friſingenſis, moritur. *Carolus* Alamannos, quorum dux *Lantfrid* iam diu a Francis deſciuerat, ſibi ſubiicit. Sub Gregorio 2 videtur *Liber diurnus* ſcriptus eſſe.

731. Hegiræ 113. die 15 Martii. Gregorio 2 ſucceſſit hoc nomine *tertius* papa, Syrus; *Carolus* aduerſus *Eudonem* feliciter pugnat; *Saraceni* Galliam inuadunt; vide de vtraque re, hiſt. de Languedoc tome I. note LXXXIII et LXXXIV. copioſius et accuratius, quam ab aliis, tractatum.

732. Hegiræ 114. die 3 Mart. *Wilfrid*, eborac. epiſc. moritur; ei ſurrogatur *Egbert*, de regio ſemine, iam rurſus aepiſcopus. *Gregorius* contra Leonem *concilium* Romae habet 93 epp. ex Italia. *Abderammo*, Saracen. duce a Carolo occiſo, ſufficitur poſtea *Abdelmelec*, Chriſtianis in Hiſpania grauis.

733. Hegiræ 115. die 21 Febr. Carolus aduerſus *Friſios* bellum mouet. Conſtantinus Copronymus ducit *Gazaricam* ſeu turcicam coniugem, Irene in baptismo dictam. Exarcha papae donat ſex columnas magni pretii, quae in vaticani templi choro ponuntur; forte, vt odia plebis in graecos placarentur.

Theo-

A. Christi

734. Hegiræ 116. die 10 Febr. *Theodorus*, Manſuris filius, in exilium pellitur ob imagines. (A *Baronio* martyres ob imagines, ſub Leone Armeno, ſec. ſequentis, cum aliis ſub Leone Iſauró, hoc ſeculo, multi confuſi). Chriſtiani in Hiſpania et ſua ſacra habuerunt, et propria ſuae gentis iudicia; priuil. Alboacemi, ſaraceni, conimbric. praefecti, apud de *Marca* lib. 3. Marcae Hiſp. c. 2. et Sandouallium. Initia principatus *Navarrae*; Pagi n. 6. Abdelmeleco ſucceſſit *Ocba*. *Etto*, ex abbate Augiae, fit epiſc. argentorat.

735. Hegiræ 117. die 30 Ian. *Carolus* poſt Eudonis mortem, in Aquitaniam ſeu Vaſconiam bellum ſuſcipit. Hoc anno *Beda* mortuus, *Pagi* ad an. 731. num. 48. Caroli filius Pipinus ad *Liutprandum* miſſus ab eo adoptatur.

736. Hegiræ 118. die 19 Ian. Pagi illuſtrat continuationem Fredegarii aduerſus *Cointium*; anni a calendis Martii numerantur; ergo, quod ante Martium, pertinet ad annum 725. Circa hoc tempus Bonifacius primum iter in Baioariam ſuſcipit. *Hildebrandus* fit ſocius regni longobardici, Liutprandi nepos; *Muratori* refert in poſteriores menſes anni 735.

737. Hegiræ 119. die 8 Ian. Hegiræ 120. die 28 Dec. *Ceolwulf*, rex Nordhumbr. in monaſterium transit, ſuffecto *Eadberto*, qui fuit frater *Egberti*, aep. eborac. *Theodoricus* 4, rex Francorum, mortuus; poſt eum Francia annos 5 ſine rege. *Carolus* Martellus aduerſus *Saracenos*. *Auenionem* recepit, *Narbonam* obſedit. *Pardulfus* abbas waraſtenſis, circa hoc tempus moritur.

738. Hegiræ 121. die 18 Dec. *Bonifacius* tertium Romam profectus. *Pelagius*, rex Legionis, mortuus; ei *Farila* fil. ſucceſſit, de quo hiſtoria parum refert. *Carolus* in Saxones tertium mouet, eosque facit tributarios. *Venetiae* ſub praefecto militum, inde a ſuperiori anno.

739. Hegiræ 122. die 7 Dec. *Bonifacius* Baioariam in 4 epiſcopatus diuiſit; (de ſeptem prioribus epp. Ratisbonenſibus, inde a *Wicterpo*, vid. poeta anonymus apud *Mabillon.* in analectis tomo 4.) *Liutprandus* Carolo in bello

A. Chriſti
739. contra Saracenos adeſt. *Ethelaudo*, regi Weſtſaxonum, ſucceſſit *Cuthbred. Willibrordus*, primus ep. *Traiecti* ad Rhenum, circa hoc tempus mortuus.

740. Hegiræ 123. die 26 Nov. Conſtantinopoli terrae motus. *Thraſimundus*, dux Spolet. aduerſus *Liutprandum* rebellat; ab eo preſſus *Romam* ſe confert; rex ideo romanam ditionem inuadit. *Landfrid* abbas pariſ S. Vincentii, a Carolo ad *Hunaldum*, ducem Aquitaniae, Eudonis filium, legatus mittitur. *Nothelmus*, cantuar. pontifex, moritur, cui Beda librum 30 quaeſtionum in libros regum dicauit; ei ſucceſſit *Cuthbertus*.

741. Hegiræ 124. die 15 Nov. *Leoni*, patri, ſuccedit *Conſtant. copronymus*, ei, vt impio, *Artabasdus*, oppoſitus. *Gregorius* papa, mittit duplicem legationem ad *Carolum* Martellum, cum clauibus ſepulcri S. Petri et vexillo; ſeu Carolum defenſorem et protectorem romanae eccleſiae ſibi expetit aduerſus Lombardos; licet *Liutprandus* romam non expugnarit; vid. de *Marca* de *concordia* lib. 1. c. 12. *Pagi*, hoc anno; *Muratorius*. Moritur *Gregor.* 3, ei ſucceſſit *Zacharias*, graecus; paulo ante et *Carolus* Martellus, moriebatur; monachi fabulas varias *confinxerunt* in eius ignominiam, ſeculo nono ſeq. Regnum inter *Carolomannum* et *Pippinum*, filios, adhuc vinus diuiſit; *Grifoni*, (ex Sonihilde filio) ea pars a fratribus ademta, quam pater ei tribuerat. *Bonifacius* in epiſtola ad Zachariam queritur de eccleſiaſtica corruptione inter Francos Auſtraſiae. *Burchardus* hoc anno fit epiſc. Wirzeburg.

742. Hegiræ 125. die 4 Nov. Pipino *Carolus*, ex Bertha, natus, qui poſtea *magnus* appellatus; *Conſtantinus* imperator aemulos ſuperat aliquot praeliis. *Iſcham*, Hiſcam, califa, qui *Antiochenis* patriarcham eligere conceſſit, hoc anno mortuus; ei filius *Walid*, 2. ſucceſſit. Concilium in *Carolomanni* prouinciis *germanicum*, *Bonifacii* primum, hoc fere anno. Pax inter Liutprandum et papam compoſita. Synodus in Anglia apud *Closveho*, ſub *Ethelberto* rege Merciorum. Bellum in Aquitania contra *Hunaldum* ducem; noua diuiſio regni Francici inter fratres

A. Christi
743. tres Carolomannum et Pippinum; *Childericus* 3, iam regis nomine vtitur; is fuit filius *Chilperici* 2. Papa *Constantinopolin* mittit legatos. *Eucherius*, ep. Aurelian. moritur; Pagi ad an. 731. n. 19.

743. Hegiræ 126. die 25 Oct. Synodus *Liptinensis*, in dioecesi cameracensi; ei *canon* ille addendus, cuius *Hincmarus* facit mentionem, in epist. 37, quo matrimonium ob impotentiam scinditur. Zachariae epistola 4 et 5 scripta. Concilium *romanum*, cuius canones etiam *Longobardos* obligant. Bellum in Baioaria, contra Odilonem; Carolomannus sine fratre, in Saxones pugnat, castrum Sachsenburg occupat.

744. Hegiræ 127. die 14 Oct. *Valido* 2, Califae, successit filius *Iezid* 3; huic post 5 menses *Ibrahim*, frater; hunc *Merwan* oppressit post paucos menses. In Baioaria Bonifacius vult rebaptizare eum, qui in nomine *patria, filia* &c. baptizatus fuerat. *Liutprandus* moritur; successit, Hildebrando reiecto, *Rachis*. Concilium *Suessionense*; cuius acta aduersus *Papebrochium* (in propylaeo ad tomum 2 April.) defendunt *Baluze*, *Mabillon*. *Pagi*. Bonifacius in Buchonia, ad fluuium *Fulda*, impetrat locum monasterio. Bellum aduersus Saxoniae ducem *Theodericum*, continuatur. *Hunaldus*, aquitan. dux, filio *Waiferio* ducatum tradit, in monasterium ipse secedens; id postea deseruit, et principatum cum coniuge, (monialis et ista fuerat,) recepit.

745. Hegiræ 128. die 2 Oct. Concilium in *germania* secundum, sub Carolomanni ditione; *Clemens* et *Adalbert* damnati; *Bonifacius* in locum Moguntini *Gervilionis* translatus. *Coloniam* papa in Metropolin erigit, Bonifacii precibus, postea vero *Moguntia* praelata. Synodus *romana* altera, tribus constans secretariis. *Carolomannus* Saxones bello opprimit; multi *baptizati*; Pippinus in *Alamanniam*, cuius dux *Theobaldus*, Godefridi filius, rebellabat.

746. Hegiræ 129. die 22 Sept. Leges superiores Longobard. rex *Rachis* confirmat; *Virgilius*, ex Hibernia, in Galliam venit, a Pipino bene suscipitur; sub hoc fere tempus ab eo episcopus *Salzburgensis* factus; hic diuersus esse videtur ab eo Virgilio, quem *Bonifacius* ad

A. Chriſti.

746. Zachariam accuſauit. Bellum *alamannicum* feliciter a fratribus Carolo et Pip. confectum. *Tegernſee*, monaſter. in Baioaria, conditum; *Mabillon.* annales. Legatio Francorum ad Zachariam, ob varia capitula, ad quae papa reſpondit.

747. Hegiræ 130. die 11 Sept. *Carolomannus*, poſt *quintum* concilium, fit monachus, quietioris vitae cauſa; aedificauit in *Soracte* monaſterium; inde in *caſinenſi* vixit, variis tirociniis ſubiectus. Pipinus fratrem *Grifonem* e carcere in aulam reducit. Idem aduerſus Saxones, cum rege Winidorum ſeu Friſiorum bellum gerit; multi baptizati. Concilium *Cloveshouiae* in Anglia ob epiſtolam *Bonifacii* ad regem *Etheibaldum*; atque aliam ad Cuthbertum, aep. Cantuar. Can 5. ne ſeculares oneribus publicis ſe ſubducant, aedificatis monaſteriis; pueri in *ſcholis* exercendi &c. C. 13 natalitia SS. iuxta *martyrologium romanum* cum cantu conuenienti celebranda. *Wigbertus*, primus abbas *Fritislar.* in Haſſia mortuus; vita apud *Mabillon.* actor. ſec. 3. parte 1.

748. Hegiræ 131. die 30 Aug. Papa reſpondet *Bonifacio* in cauſſa *Virgilii*, qui inter ipſum et *Odonem* odia ſeminabat. *Grifo* inter Saxones, adiutores, rebellionis aduerſus Pipinum, quaerit; *Odiloni* duci Baioariae, ſuccedit *Thaſſilo* 2, ex Caroli Martelli filia ei natus. *Edbertus*, rex Cantii, mortuus; ſucceſſit *Edilbertus*, frater.

749. Hegiræ 132. die 20 Aug. Abdalla Saffahri, viuo Meruane, Califa creatur. *Grifo* in Baioariam venit, Thaſſilonem pellit, adiutore Landfrido, Alemanniae duce; Taſſilo a Pipino reſtituitur &c. *Rachis* rex Longobard. fit monachus.

750. Hegiræ 133. die 9 Aug. *Aiſtulfus* rex longob. *Anſelmo*, qui e duce foroiulienſi monachus fuit, (abbas *Nonantulae* primus,) donat locum *Fainanus*. *Ebbo*, aep. Senonenſis, moritur. *Conſtantino* imperatori naſcitur filius *Leo*. Pipinus conſilia agitat de poteſtate regia in ſe cum nomine transferendâ, miſſis Romam legatis, *Burchardo* Wirceb. et *Fulrado*, archicapell.

751. Hegiræ 134. die 29 Iulii In hunc annum alii conferunt iſtam legationem Pippini ad Zachariam, de transferenda regia dignitate a *Childerico* in Pippinum. Narratio antiquiſſima de hac re, et de conſecratione, ſeu ſeptiformis

A. Christi 751. tiformis Spiritus gratia, (per Bonifacium haud dubie collata) vid. *Pagi* n. 3. 4. *Astulphus Ravennam* et ceterum Exarchatum occupat. *Theophylactus*, antioch. patr. mortuus; ei *Theodorus*, e minori Armenia, succeſſit.

752. Hegiræ 135. die 17 Iulii Ab hoc anno, quo Pipinus electus et vnctus fuit, *anni* Pippini regis numerantur; *Pagi* contra Mabillonium &c. Childericus in monaſterio Bertini vixit ad an. 754. *Zachariae* papae ſucceſſit *Stephanus* 2. *Conſtantinus* feliciter progreditur in imaginibus abrogandis. Pippinus Saracenos ex Septimania ſeu Gothia (Languedoc) eiicit; Cataloniae pars a duce Saracenico traditur.

753. Hegiræ 136. die 6 Iulii. *Anaſtaſio* patr. Conſtantinopol. mortuo succedit *Conſtantinus*; Syllaei epiſc. et monachus. *Stephanus*, cum Conſtantinopoli nil impetraret, a Pipino auxilium aduerſus Longobardos petit; ipſe in Franciam proficiſcitur. Bonifacius *Lullum* ſucceſſorem ſuum ordinat; et in Friſiam abit, atque vltraiectenſem Epiſcopatum accepit. Synodus *Vermevienſis* in hoc fere tempus incidit. Saraceni e Gallaecia expulſi.

754. Hegiræ 137. die 26 Iun. *Aiſtulfus* miſſo ad Pippinum Carolomanno monacho ſtudet noua conſilia Papae turbare. Pippini prior in Italiam expeditio. Aiſtulfus pacem petit; et nouas leges prodit. *Conſtantinus* imperator *Synodum* Conſtantinopoli 338 epiſcoporum, aduerſus *imagines* cogit; inde mandatum per prouincias, aduerſus imagines; deletae illae atque calce oblitae; monachi tamen hic ibi in locis tutis coeunt. *Cuthredo* regi anglor. occid. ſucceſſit *Sigebertus*, et huic iam altero anno expulſo, *Kenulf*. Califa *Abugiafar* Almanſor, ſucceſſit *Abdallae*, qui primus ex Abbaſſidis fuerat. Hoc anno finit chronicon *Iſidori* pacenſis.

755. Hegiræ 138. die 15 Iun. Aiſtulfus non ſtat promiſſis; Romam oppugnat; papa abbatem *Warnerium* mittit ad Pipinum, qui militis officio bene functus fuerat; Longobardi ſtatim victi. *Carolomannus*, monachus caſſin. ſiue hoc ſiue ſuper. anno mortuus. Hoc anno *Bonifacii* martyrium a Pagio deſignatur. *Synodus Vernenſis* canonum 25. ſub Pippino; *Pauliciani* ab imperatore Conſtantinopolin illati, vt ciues,

A. Christi

755. peſte nuper ſublati, ſupplerentur. Hoc anno Septimania a Pippino occupata.

756. Hegiræ 139. die 3 Iulii. Aiſtulfo mortuo *Deſiderius*, dux Tuſciae, conſenſu Pippini, ſuffectus; papa Pippinum rogat, vt reddantur romanae eccleſiae ciuitates, quas Longobardi retinebant. Longa epiſtola apud *Baronium* hoc anno. Saraceni eiiciunt patriarcham antioch. quaſi cum Conſtantino tractantem; prohibent diſputationes chriſtianorum cum Arabibus de fide. Primus *Emir* in hiſpania Abderrahmam, Ioſepho deiecto. Moritur *Virterp*, primus ep. ratisponenſis; fuit ex Baioaria, genere *Heiloſſingus*; ſ. Agilolfingus. *Edilbald*, rex Merciorum a ſuis occiſus; poſt eum *Beornred*, paruo tempore; inde *Offa*, rex.

757. Hegiræ 140. die 24 Maii *Stephano* 2 ſuccedit *Paulus* papa, qui foedus cum Pippino diligenter continuat; *Deſiderius* rex longobard. cum *Conſtantino* imperatore agit, de dividenda *Italia*. Pippino nata *Giſela*. Sergius, Rauennae aep. *diaconiſſam* in monaſterio ordinat feminam nobiliſſimam. Legatio Francorum et imperatoris graeci mutua; *organum* Conſtantinopoli in Franciam primum miſſum. *Aiphonſo* hoc vel ſequenti anno in regno *Aſturiae* ſuccedit *Froila*. Pippinus Saxones vincit, qui ad conuentum generalem 300 equos promittunt &c.

758. Hegiræ 141. die 13 Maii Papa a Pippino petit auxilium aduerſus Graecos, quos dicit romanis infeſtos eſſe ob orthodoxam fidem; mittit exemplar epiſtolae alexandrini patriarchae; mittit et *Antiphonale*, *Reſponſale*, artem dialecticam libros, *Ariſtotelis*, *Dionyſii* areop. geometricam, orthographiam, grammaticam, omnes graeco eloquio ſcriptores; et horologium nocturnum. *Deſiderius* Romam venit et Papae ſatisfaçit, a *Pippino* monitus. *Foldred* abbas anglus, queritur apud papam, ob ablata ſibi 3 monaſteria; papa ad regem Nordhumbr. *Eadbert* ſcribit, ad excidium animae hoc fieri; rex fit clericus; eius filius *Oſulf* paulo poſt occiſus, et frater *Moll*, *Adelbert*, ei ſuccedit. *Garzia* cognomento Ariſta, primus rex *Nauarrae*.

Othmar,

A. Christi

759. Hegiræ 142. die 3 Maii. *Othmar*, abbas 2 sangallensis, moritur; *Iohannes* episc. Constantiensis eius monasterii administrationem per vim arripit; itaque per decanum, *Waldo*, id procuratum; vid. *Mabill.* annales ad annum 760. n. 57. *Pirminius*, primus abbas Augiae, moritur. *Arragonine* comitatus exordium, e quo seculo XI regnum. Constantinus in bellum *bulgaricum* mouet. Romae adhuc anni imperatoris graeci numerantur; *Muratorius.*

760. Hegiræ 143. die 21 Apr. Pippinus bellum aduersus *Waifarium*, aquitan. ducem, gerit, quod per annos 9 durauit. *Desiderius* papae ex parte satisfacit. *Ethilberto*, regi Cantiae mortuo, succ. frater *Alricus*. *Kero*, monachus floret, qui glossas *Alamannicas* scripsit; (ap. *Goldastum*) *Aribo*, qui et *Cyrinus*, (et *Hueres*, Erbe, aribo) fit episcop. *Frisingensis*. S. *Andreas*, Crisis, martyr ob imagines hoc anno Constantini 20.

761. Hegiræ 144. die 10 Apr. Annus 2 belli Aquitanici; (vid. Histoire de languedoc tome 1. note 83.) *Garibaldus*, ratispon. ep. secundus, hoc fere tempore mortuus, qui die 8 Ianuar. sanctis inscriptus; succesit *Sigericus*. Papa aduersus Graecos Pippinum porro suscitat, epistola 28 in codice Carolino. *Wunebald*, abbas Heidenheimensis, moritur. In Hispania monasterium *ouetense* conditur apud Asturios.

762. Hegiræ 145. die 31 Martii. *Constantinus* imper. monachos pellit; (vita S. *Stephani*, per diaconum constantinopolitanum Stephanum apud *Lopinum* in analect. graecis, tom. 1.) Monasterium *prumiense* a Pippino fundatur; ei Assuerus praefectus. Conuentus *attiniacensis* primus, epp. 27. qui condicunt morituris centum psalteria &c. Annus 3 belli *aquitanici*; *Bagdadum*, medinataffalami, aedificatur per Califam *Almansor*.

763. Hegiræ 146. die 20 Martii. Imperatoris Constantini triumphus de Bulgaris. S. *Stephanus* Constantinopolin ductus; Monasterium *Laureshamense*, in dioec. *Wormatiensi* conditum, alii vero anno vno serius; *Chrodegangus* eius abbas primus; alia monasteria, *Elwangense*, *ottenburanum* &c. Mabillonius a. 764 designat. Continuae legationes inter Paulum et *Pippinum*.

Pippi-

A. Christ.

764. Hegiræ 147. die 9 Martii. Pippinus conuentum Francorum habet *Wormaciae*; legatos graecos admittit sic, vt praesentes essent etiam romani; epistola Pauli in codice Carolino 20 longo ordine narat. Hiemis vis inusitata, sub vtroque sole.

765. Hegiræ 148. die 27 Feb. Papa ep. 24. cod. Carolini, narrat, Graecos venturos in Italiam et Galliam; queritur de *Desiderio* rege; conuentus alter *Attiniaci*. *Ethelwaldo*, Mollo, succed. Ealred. Translatio reliquiarum. S. Naboris, Nazarii, Gorgonii, Roma in Franciam; tria monasteria tribus patronis aucta.

766. Hegiræ 149. die 16 Feb. Imperator porro imagines amoliri studet. Moritur *Chrodogangus* ep. metensis a *Stephano* 2 *archiepiscopus* dictus. Continua dissidia Pauli et longobardorum, per Francos componenda. *Egbert* eboracensis aep. mortuus; ei successit *Aelbertus*, qui Eboracensibus scholis praefuit, *Alcuini* et *Eanbaldi* praeceptor.

767. Hegiræ 150. die 5 Febr. *Gentiliacensis* synodus; hic de *imaginibus* quaestio habita, vtrum *fingendae* an *pingendae* essent in ecclesiis, (*Ado* in chronico.) et de processione Spitus S. praesentibus legatis romanis. Papa Paulus moritur; *Constantinus*, laicus, per *Totonem*, ducem, intrusus; eius 2 epistolae 98. 99. in codice Carolino, ad Pippinum. Hic codex Carolinus epp. 99. complectitur, quas Carolus M. a. 791 rursus describi curauit; editus per *Gretserum* 1613. et in *Du Chesniano* corpore tomo 3; sed debebant longe accuratius edi. S. *Stephanus* in exilio moritur. Epistola patriarch. Hierosol. alex. et Antioch. pro imaginibus ad Paulum, romam allata.

768. Hegiræ 151. die 25 Ian. *Stephanus* 3 papa ordinatur expulso *Constantino*, per longobardorum auxilium. Legati Saracenorum ad Pippinum; hic interfecto a suis *Waifario* tota Aquitania potitur; paulo post moritur d. 24 Sept. succedunt filii, *Carolus* et *Carolomannus*, ille in Nouiomago, hic in Suessionis ciuitate; mittunt 12 episcopos Romam, vt rogauerat Stephanus.

Con-

A. Chriſti 769. Hegiræ 152. die 14 Jan. *Conſtantinus* imper. filios, Chriſtophor. et Nicephorum *caeſares* creat; *Leoni* iungitur *Irene*, athenis oriunda. *Romanae* ſynodo interſunt 12 epp. Franciae, ad corrigenda Conſtantini papae acta; et *imagines* defenſae. *Hunaldus*, ex monaſterio redit ad ducatum Aquitaniae, et ipſe bellum inſtaurat. *Alred*, Nordhumbriae rex, legationem ad *Carolum* pro amicitia mittit; *Liudger*, diac. (poſtea epiſcopus *Mimigernevord*,) in Angliam abit, vt *Alcuinum* Eboraci doctorem audiret. Conſilia papae et Deſiderii aduerſus *Chriſtophorum*, primicerium et *Sergium*, ſecundicerium; epiſtola 46 in codice Carolino.

770. Hegiræ 153. die 4 Ian. *Bertha*, regina mater, dat operam apud *Thaſſilonem* vt nouos tumultus auerteret; filios etiam reconciliat. Eadem *Deſiderii* filiam in Franciam ducit, Carolo nubentem; *Giſela* francica *Deſiderii* filio promiſſa, ſed non accepta. Vid. papae epiſtola ſatis maligna n. 45. in codice *Carolino*. Hegiræ 154. die 24 Dec. Conuentus *Wormatiae*. In Hiſpania *Froila* a fratre *Aurelio* occiſus; hic ei ſucceſſit. Moritur *Sergius*, aep Ravennae, qui Exarchae inſtar retinuit; idem ſucceſſor eius *Leo* retinuit; ep. 54 cod. *Carolini*.

771. Hegiræ 155. die 13 Dec. *Carolus* repudiat filiam Deſiderii; ducit *Hildegardam* de gente *Sueuorum*; quod *Adalardus*, poſtea abbas *corbei*, improbat, quaſi illegitimum. Moritur 3 Dec. *Carolomannus*; vidua in Italiam fugit, quia *Carolus* fratris regnum arripit, nullo iure vſus. Moritur *Remigius* aep. rotomag. *Leoni* 4to naſcitur Conſtantinus ex *Irene*.

772. Hegiræ 156. die 2 Dec. Moritur *Stephanus* 3, ſuccedit *Hadrianus*, romanus, conſulis et ducis *Theoduli* filius. *Deſiderius* Ferrariam et alias partes S. *Petro* eripit. *Carolus*, poſt ſynodum *Wormacienſem*, bellum in *Saxones*, ethnicos, repetit; *poeta* ſaxo, qui *Eginhardi* hiſtoriam verſibus reddidit, ſingulis pagis, ſingulos *duces* (ſeu vt *Beda*, Satrapas) tribuit; *Angarios* ponit inter *Oſtfalos* et *Weſtfalos*. Idolum *Irmenſul*; caſtrum *Ereshurg*. *Liafwin* ſeu *Lebuin* inter Saxones, *Dauentriae*, ſacra chriſtiana promouere ſtudet; vid. vita S. *Luidgeri*; etiam *Sturmio* ad Saxones mittitur. Concilium

Dingol-

A. Christi
772. *Dingolfingae* per *Thassilonem* habetur, anno regni 24. Circa hoc tempus *Willebrordus* a rege *Alred* veniam petit in *Frisiam* proficiscendi, praedicandi caussa.

773. Hegiræ 157. die 21 Nov *Carolus*, cum legati nihil efficerent, bellum contra *Desiderium* mouet; *Ticinum* obsidet. *Liudgerus* redit ab *Alcuino* ad *Gregorium*, abbatem vltraiectensem. Dedicatur ecclesia S. *Rudberti*, a *Virgilio* episcopo. *Saxonici* belli annus 2.

774. Hegiræ 158. die 10 Nov *Carolus* voti sacri caussa Romam profectus, *donationi* a Pippino factae alias prouincias adiunxisse dicitur, *Anastas.* (vsum fructum alii dicunt, seruato summo dominio; alii rem minus credunt, quia authenticum exemplar nemo vidit) *Carolus Desiderium* capit cum *Ticino*; iam ipse rex *Italiae*, cuius regni etiam *aera* noua vsus est. *Desiderius* et *Ansa*, coniux, Leodii, inde *Corbeiae*, in exilio manent. *Leo*, aep. Rauennas, papae vrbes et terras multas praecipit; Annus *tertius* belli Saxonici. Carolus interest *dedicationi* ecclesiae *Laurichamensis*. *Bulgari* a *Constantino* victi.

775. Hegiræ 159. die 31 Oct. Imperatori graeco succedit *Leo*, fil. nominis 4. *Almansor* mortuus; succedit filius *Muhammed* Mahadi, *Synodus* in villa *Duria*, in Iuliacensi ducatu; *Sigisburgum* Saxonibus ereptum. *Carolus* secundum in *Italiam* profectus, precibus papae. *Rumoldus*, olim episcopus dublinensis post romanum iter *Mechlinienſium* per tempus aliquod apostolus, martyr obiisse dicitur. *Aurelius* rex Asturiarum, mortuus; succedit *Silo*, maritus sororis. *Metropolitanus rhemensis* contra *Treuirensem* aep. a papa confirmatur, *Hadriani* epist. 15 ad *Tilpinum*.

776. Hegiræ 160. die 19 Oct. *Leo* filium *Constantinum* imperatorem creat; frater *Leonis Nicephorus* relegatur. *Carolus* in Italiam pergit, ducem Foroiulienſem, rebellem vincit; *Paulino*, Grammatico, facit donationem. Annus *quintus* Saxonici belli; conuentus *Wormaciae*; *Eresburgum* reaedificatum a Carolo, et aliud castrum supra *Lippiam*. Papa in epistola 49. codicis Carolini Carolo in mentem reuocat *donationem Constantini*. Hoc aut seq. anno mor-

A. Christi 776. mortuus *Gregorius* traiectensis; ei *Albricus* successit. *Madelveo*, ep. virdunensi, qui in *terram* sanctam etiam iuerat; mortuo successor datus italus, *Petrus*, qui Carolo tradiderat *Taravisam*.

777. Hegirae 161. die 8 Oct. Querelae papae aduersus *Leonem*, aep. Ravennae, epist. 53. 51. 52. *Bulgarorum* dux *Telerus* fugit ad imperatorem, ducit consobrinam *Irenes*, fit Patricius, *baptizatur*. Conuentus apud *Paderbrunnam* Saxonum et Francorum; Saxones multi baptizati, *Wittechind* vero ad *Nortmannos* (in Daniam) fugit. Quidam *Saraceni* principes ex Hispania eo veniunt et baptizantur. Carolus in custodia retinet legatum aliquem Papae, qui eum offenderat; vnde papa vehementer queritur, epistola 50 codicis Carolini. *Liudger*, presbyter in *Ostergau* annis 7.

778. Hegirae 162. die 28 Sept. Bellum Caroli *Hispanicum*; *Caesaraugustam* et *Pampelonam* occupat; *Marca Hispanica* lib. 3. cap. 6; redux ob Saxonum rebellionem in iugo pyrenaeo a Vasconibus clade non parua afficitur; annus 7 belli *Saxonici*. Carolo Hildegard parit *Lotharium* et *Ludouicum*, gemellos. Moritur *Ambrosius Autpertus*, abbas S. Vincentii. *Thassilo* cum filio ducatus socio condit monasterium *Chrembsense* in Austria superiori.

779. Hegirae 163. die 17 Sept. Annus 8 belli Saxonici; *Westfali* victi; *Angarii* et *Ostfali* iuramenta praestant. Moritur *Sturmio*, fuldensis primus abbas. Graeci episcopo cuidam latino *Mauritio*, qui in Istria reditus romanae ecclesiae colligebat, oculos eruunt; epistola 57. cod. Carolini.

780. Hegirae 164 die 6 Sept. *Nicetae* patriarchae Constantinopolitano mortuo succedit *Paulus*, lector, Cyprius. *Leoni* imperatori succedit Constantinus cum matre *Irene*. *Plato* iam e solitudine redit ad monasterium *Symbolorum*; vid. vita d. 4 Aprilis. Annus 9 belli *Saxonici*; *Carolus* Romam cum coniuge et 4 filiis proficiscitur, diuisis inter Episcopos et *presbyteros* (quos inter *Willebrord* fuit,) prouinciis, vt praedicarent; etiam *Winidorum*, seu *Slauorum*, multi baptizati. Incunabula episcopatus Paderbrunnensis et Osnabrugensis; licet serius res confecta sit. *Virgilius* Salzburgen-

sis

A. Chriſti 780. ſis in *Karinthia* praedicat, vsque ad fines *Hunorum*, vbi *Dranus* influit Danubium. *Eanbald*, Alcuini commilito, fit aep. *Eboracenſis*, poſt *Aelbertum* mortuum. Sub haec tempora *Athanaſius*, qui *Cosmae* alexandrino patr. ſucceſſerat, ſcribit de miraculo *imaginis Berytenſis*; quem cum alexandrino Athanaſio ſeculi 4 in concilio nicaeno 2 facile commiſcuerunt. *Saraceni* in Syria chriſtianis graues.

781. Hegiræ 165. die 26 Aug. Carolus Ticinò Romam profectus. *Pippinus* nomine (*Carolomanno*) mutato a Papa baptizatus, et rex *Italiae* vnctus; frater eius *Hludouicus*, rex *Aquitaniae*; filia Caroli *Rotrud* deſponſata *Conſtantino* imperatori. Conuentus *Wormatiae*, vbi *Thaſſilo* dedit 12 obſides, quos *Suidbertus*, (Sindbertus) ep. ratiſpon. e Baioaria Cariſiacum adduxit. Turpis pax Graecorum cum Saracenis. *Willehadus* feliciter rem chriſtianam per Wigmodiam promouet. In capitulari 3 librorum vtiles ſanctiones multae proditae, earum non paucae eaedem cum capitulari *Heriſtallienſi*; anni 779. Habet lex ſexta: vt impuberes puellae non velentur *ante maturi iudicii* aetatem. In *Italia Carolus* Parmae *Alcuinum* offendit, quem rogat, vt expleta legatione romana, (pallium petebat pro Eanbaldo eborac.) in *Franciam* veniret. Circa hoc tempus *diſputatio* Iudaei, *Iulii*, cum *Petro*, piſano, in Papia; (*Alcuini* epiſtola 15.) Turbae poſt mortem ep. *Conſtantienſis* in monaſterio *Augiae* et S. *Galli*.

782. Hegiræ 166. die 15 Aug. Triumphus Conſtantinopoli ob *Sclauinos* victos. Annus XI belli Saxonici; conuentus ad Lippiam, Saxones omnes veniunt, excepto *Wittechindo*; Legati etiam regis *Nortmannorum*, (Danorum), etiam *Cagani* et *Iugurri*, principum *Hunorum*. *Hadriani* aliquot Epiſtolae ad Carolum, pro territorio *Sabinenſi* impetrando; in cod. Carolino 69. 76. 78. Alia epiſtola 96 ad *Egilam*, ep. Illiberit. quem Wulcarius, (Willicarius) aep. *Senonenſis*, ordinarat, vt in Hiſpania aduerſus Haereticos doceret. *Paulus*, diacon. floret, apud ducem *beneuentanum*, et ſcribit *hiſt. longobardicam*, et

A. Chriſti 782. et hiſtor. miſcellam; *Benedictus* anianus, floret. Alcuini frater *Arno*, fit abbas Elnonenſis; poſtea ep. Salzburgenſis; (epiſtola *Alcuini* 66. 104.)

783. Hegiræ 167. die 5 Aug. Obiit *Hildegardis*, et *Berta*, reginae; Saxones rebellionem inſtaurant; annus 12 belli. *Alphonſus*, caſtus, Froilae filius, fit rex *Aſturiae* et *Legionis*. Initia diſſidiorum de *Adoptione* in Hiſpania, per *Felicem* et *Elipandum* Ex epiſtola cod. Carolini 75 apparet, Papae dominium in *Rauennam* ſub hoc tempus locum habuiſſe. *Ariboni*, ep. Friſing. ſuccedit *Atto*.

784. Hegiræ 168. die 24 Iul. *Paulo*, Conſtantinopolit. patriarchae, ſuccedit *Tarasius*. Annus belli Saxonici 13; pugnatum contra Oſtfalos et Weſtfalos; *Liudger* et *Willehad*, in Italiam ſecedit; *Wittekind* enim fugit in Friſiam, atque incolas vsque ad fluuium *Felo* reduxit ad priſtinam religionem, combuſtis eccleſiis. Moritur *Fulrad*, abbas S. *Dionyſii* et Archicapellanus, (ſuper omnes Aepp. fuit.)

785. Hegiræ 169. die 13 Iul. Succedit patri Califa *Muſa Alhadi*, huic a. 786, frater, *Aaron Raſchid*. Irene et Conſtantinus ad papam ſcribunt, de *concilio* oecumenico in cauſa *imaginum*. Annus 14 belli *ſaxonici*; *Wittechindus* in villa *attiniaco* baptizatus, *Saxonia* omnis ſubiugata; Epiſcopatus *Mindenſis* et *Verdenſis* inſtituti. Redit *Willehad* in Wigmodiam. *Virgilius* Salzburg. aep mortuus, ei *Arno* ſucceſſit. Saraceni a Carolo *Gerunda* eiiciuntur; iam *Comites* in *Marca hiſpanica* inſtituti. *Kenulfo*, rege occident. Saxonum occiſo, ſuccedit *Brithricus*. Graeci ex Italia chriſtiana ſeruitia emere et *Saracenis* vendere ſolebant; ideo papa naues quasdam comburi iuſſit, epiſt. 65 cod. carol.

786. Hegiræ 170. die 3 Iul. *Synodus* Conſtantinopoli inchoata, ſed turbis militum multis impetita. *Plato*, in vrbe eadem verſatur. *Britannia* cismarina rurſus pacata; *Carolus* Romam tertium profectus. Coniuratio in *Carolum* detecta et exſtincta. Moritur *Lullus*, aep. mogunt. (colitur die 16 Octobr.) cui ſequenti anno *Riculfus* ſucceſſit, qui primus e gallis *Mercatoris Iſidori* librum accepit. Papa ſcribit epiſtolam 91 codicis carolini; tres dies *litaniarum*

A. Chriſti 786. pro gratiarum actione, ob *Saxon.* victorias inſtituit.

787. Hegiræ 171. die 22 Iun. *Septimum* concil. oecumenicum, Nicaenum 2, menſe ſeptembri incipit. *Carolus* Romam venit, ducem Beneuentanum *Arichis* iam demum ſibi ſubiicit. *Carolus* cantores romanos (*Theodorum* et *Benedictum*) grammaticos et calculatores ſecum abducit; itaque *antiphonarii* correcti, et officium *gregorianum*, loco *Ambroſiani*, receptum; *ſcholae publicae* per omnem *Franciam* inſtitutae. Epiſtola ad *Baugulfum* abb. *Fuldenſem*, de *ſcholis*, vid. *Mabill.* annal. hoc anno; atque n. 68. *Theodemari*, abb. caſin. ep. ad Carolum, de regulari diſciplina. *Thaſſilo* vel inuitus tradit ſe in *Vaſſaticum*. In *Anglia concilium* per legatos papae, *Georgium* et *Theophylactum*; canones 20. Tres naues *Norwegiorum* iam primum in Angliam miſſae; ab his *Danis* regis *Brithrici* praefectus occiſus. *Willehad* ordinatur *bremenſis* epiſcopus.

788. Hegiræ 172. die 11 Iun. De *Graecorum* conſiliis aduerſus quasdam prouincias Italiae, papae epiſtola 73 in codice *Carolino*. Beneuentanus dux *Grimoaldus* Graecos in Calabria vincit. In conuentu *Ingelheimenſi Thaſſilo* damnatur; cum filio in monaſterium iuit. *Huni*, a Thaſſilone inuitati, fruſtra duplici cum exercitu *Italiam* et *Baioariam* inuadunt. Diploma *Caroli* pro eccleſia *bremenſi*; concilium *narbonenſe*, ſi inſcriptio ſatis genuina. *Abderammo*, regulo Saracen. in Hiſpania, ſuccedit filius *Hiſcham*. Rex Nordhumbriae *Elfoald* occiſus, per coniurationem patricii Sighe; ſucc. *Osred*, nepos.

789. Hegiræ 173. die 31 Maii Carolus in *Wilzos*, *Welezabos* bellum mouet. Epiſtola papae 85 in codice Carolino ad Carolum hoc anno ſcripta, queritur, quod b. *Petro* nondum illa cedantur, quae promiſſa fuerant. Lites eruditorum, de *Patriciatu* Papae, ſeu *romano*; *Pagi*, *Muratori*. Rex *Pippinus* Iſtriam et Liburniam Graecis eripit. *Willehad* ep. bremenſis moritur.

Irene

A. Christi 790. Hegiræ 174. die 20 Maii — *Irene* omni potestate a filio priuata. Legati *Hunorum* Wormatiam veniunt, de *confiniis* regnorum actum. *Ethelred*, Osredo pulso, restituitur ex exilio in regnum Nordhumbrorum.

791. Hegiræ 175. die 10 Maii — Constantini infelix bellum aduersus *Bulgaros*. Initium Belli *Hunnici* seu *Auarici*, a Carolo gesti. *Ingilrammus* aep. mediomatr. capellanus palatii, mortuus est in itinere hoc bellico. Collectio epistolarum in codicem *carolinum*; Pagi ad an. 767. n. 2.

792. Hegiræ 176. die 28 Apr. — *Felix*, vrgel. damnatus *Ratisbonæ*, et postea *Romae*, quo illum *Angilbertus* (in *Pippini* comitatu,) duxit; de coniugio *Angilberti* cum *Bertha*, Caroli filia, vid. *Pagi* h. a. n. 4. 5. et Mabill. annales 791 n. 13 seqq. *Saxones* rebellant, ecclesias incendunt — *Pippinus*, ex Himiltrude concubina filius, in *Carolum* patrem coniurationem molitus, in monasterium truditur. *Georgius*, Syncellus *Tarasii*, circa hoc tempus scribit chronographiam. *Constantinus* patruos suosoculis priuat.

793. Hegiræ 177. die 17 Apr. — In Hispania *Adelfonsus* Saracenos vincit; Saraceni *septimaniam* vastant. *Ethelberto*, ostanglorum rege, per *Offam* regem Merciorum, cuius filiam ducere volebat, occiso, per aliquod tempus turbatur regnum, vsque ad aduentum *Edmundi* regis. *Dani* in Angliam appellunt. *Alcuinus* superiori aut hoc anno secundum in Franciam venit; aduersus *Beneuentanos* Pippinus et Ludovicus a patre bellum gerere iussi; *Carolus Rhenum* et *Danubium* iungere molitur.

794. Hegiræ 178. die 7 Apr. — Synodus *Francofurtensis*, (canones 56.) quia *Elipandus Felicem* in suam sententiam reduxerat, et ad *Carolum* ipse scripserat. *Paulini* aquileg. libellus pro caussa fidei ad epp. Hispaniae missus. *Hildebaldus*, colon. adhuc ep. ante annum 799 non dicitur *metropolita*, (contra *Adam.* bremensem lib. 1. histor. eccles. *Pagi*, n. 6.) Hic patres *adorationem* et *seruitutem imaginibus*, contra Graecos, negant. *Fastrada* mortua. Rex Merciorum *Offa*, vt caedem expiaret, Romam proficiscitur; regi *Cantii Alrico* succ. *Ethelberd* Pren.

A. Christi 794. Carolus *Wilhelmum*, comitem tolosanum, ducem Aquit. opponit Saracenis. *Theodulfus*, ep. aurel. et abbas floriac. hoc fere tempore floret; e Gothis in Italia oriundus, a Carolo in Franciam vocatus.

795. Hegiræ 179. die 27 Martii. *Hadriano* sub finem anni succedit papa *Leo* 3, natione romanus, qui *claues* Confessionis Petri, et vexillum Carolo misit; Carolus per *Angilrammum* auctoritati suae ad papam non defuit; *Eginhard. Constantinus* imperator, *Irenes* callidis consiliis ductus, reiicit Mariam coniugem, et *Theodotam* sibi iungit; ideo *Plato* et alii monachi a *Tarasio* sacram secessionem faciunt. Hunnorum *Ringus* expugnatus, quem quidam scriptores in nomen regis conuertunt, thesauri occupati pars Romam missa; alii in annum 796 differunt; 795 praefert de *la Bruere*, in histoire du regne de *Charlemagne*, tome 2. pag. 42. In *Saxones*, qui regem *Abotritorum Witzan*, Caroli amicum, occiderant, bellum mouetur, post conuentum in Cuffenstein.

796. Hegiræ 180. die 15 Martii. *Theudo*, (*Tudo*, *Tudun*) Hunnorum regulus legatos ad Carolum mittit; *baptismum* hi Huni admittunt; (*Alcuini* ep. 112 ad Paulinum; *Assemani* Kalendaria ecclesiae vniuersae tomo 2. pag. 43.) *Hunia* epiſcopo Salisburgensi subiecta a Carolo. *Theodorus*, studita, in exilium missus. Hoc anno *Pagi* accuratius explicat picturam triclinii in palatio *lateranensi*, quam alii ante ipsum. Tertius *Caroli* exercitus in Hispania contra Saracenos, non minus felix, quam illi 2 alii, in Hunos et Saxones. *Hischamo*, regi Sarac. successit filius *Hakem*. *Alcuinus* hoc anno fit abbas S. *Martini*, turon. Floret *Adalhard*, corbei. abbas, quem Carolus Pippino adiutorem Italiae regundae dederat. In Mercia *Kenulfus* rex, post *Offam* et eius fil. *Ecfrid*. *Eanbaldus*, aep. eborac. mortuus; successit alius eodem nomine. *Saraceni* in Palaestina varias vrbes diripiunt, monachi S. Sabae 20 occisi; acta SS. die 20 Martii. Sub id tempus *Rabanus* Maurus, annorum nouem, a parentibus in monasterium *Fuldense* traditur.

Irene

A Christi.

797. Hegiræ 181. die 5 Mart. *Irene* militum praefectis persuadet, vt ipsa in thronum restituatur; filio immaniter oculi effodiuntur. *Saracenus Zatin* Aquisgrani Carolo Barcinonam tradit; per Ludouicum Tolosae conuentus habitus, in quo Aldefonsi regis Asturiae et Saracenorum legati apparuerunt. Aquisgranum etiam legatus graecus venit a Constantino missus. *Capitulare* de rebus Saxonicis. Aaron Raschid *Carolo* roganti Elephantum mittit.

798. Hegiræ 182. die 22 Feb. Saraceni vsque ad Constantinopolin praedantes procedunt; *Theodorus*, studita, redit Constantinopolin; legati *Irenes* ad Carolum missi. Bellum in Saxones, *Nordliudos*, cui a Caroli parte et *Abotritorum* dux, *Draco*, interfuit; *Assemani* pag. 51 seq. *Arno* fit hoc anno *aepiscopus*, forte mortuo *Waldrico*, patauiensi, cuius dioeceси Laureacum vnitum fuerat; pallium *Arno* Roma attulit; ei *Carolus* per epistolam mandauit, vt in partes *Slauorum* iret praedicator; *Theodoricus* fit episcopus Slauiniae, Karinthiae, vsque dum *Drauus* fluit in Danubium &c. Vita *Virgilii* apud Canisium, *Bollandus* ad diem 5 Febr. in vita *Domitiani*, ducis Karinth. *Assemani* pag. 53 seqq. *Comites* a Carolo hic instituti *orientalis limitis*. *Alcuinus* scribit epistolam 7, et 11 anno sequenti, ad Carolum, ne *Huni* decimarum onere premantur. Idem *Alcuinus* ep. 70. morem Hispanorum, qui *vna mersione* vtebantur, improbat, quem *Gregor.* M. probauerat; in ep. 81 narrat, quosdam trina mersione sic vti, vt in vnaquaque inuocarent trinitatem, eam ter nominantes; *Paulinus* 3 libros et *Alcuinus* 7, contra *Felicem* scribunt.

799. Hegiræ 183. die 22 Feb. Romani *Leoni* papae vim inferunt in Litaniis maioribus; papa ad Carolum fugit. Epistola *Alcuini* XI de tribus in mundo *altissimis* personis; papa, imperatore graeco, rege Carolo; roma, tamquam aliena vrbs a Carolo tantum moderate tuenda. *Leo* consecrat altare Paderbrunnense, Carolus enim ingentem ecclesiam aedificarat. Redux papa concilium Romae habet aduersus *Felicem*. Caroli iussu *Leidradus*, aep. lugd. et alii in Synodo vrgelitana *Felicem* damnant; is

A. Christi 799. ad Carolum ipse profectus, *Aquisgrani* a sententia sua publice se iam recedere profitetur; sed in priori sententia tandem exul Lugduni mortuus est. *Alcuinus* eius eruditionem et *disputationem* cum Saraceno laudat epist. 15. *Elipandus* Alcuinum nominat nouum *Arium*; *Alcuinus* scribit 4 libros aduersus *Elipandum*, qui anno 800 eduntur. Legatio Graeca *Paderbrunnam* venit; *Geroldus*, Baioariae praefectus, occisus in praelio cum Hunis; *Henricus*, Foroiul. dux, insidiis in Liburnia succubuit. *Octauus* et vltimus annus belli *Hunici*; regio omni Hunorum omnino vastata. In *Britannia* cismarina, atque aduersus *Saracenos*, Barcinonâ capta, feliciter pugnatum. *Hierosolyma* monachus cum *reliquiis* venit ad *Carolum*; cum eo *Zacharias* presbyter redire et *donaria* offerre iussus.

800. Hegirae 184. die 31 Ian. *Carolus* Romam profectus, vt in causam superiorem *Leonis* 3 accuratius inquirere posset. Moritur *Liudgard* regina; Littora Galliae aduersus piratas *Nortmannos* (Danos) praesidiis et classe munit. Redit *Zacharias* a patriarcha Hierosolymitano cum 2 monachis hierosolymitanis, qui claves S. *Sepulcri*, *Caluariae*, montis *Oliueti* Carolo Romae tradiderunt. (Falsa narratio de *Iohanne* patriarcha, cum *Georgius Etiae* hierosolym. successerit, in antiquitatibus *Sandionysianis* a Dubleto editis.) *Aaron Rischid* sancta loca potestati Caroli subdit; eius legati cum reduce Iudaeo Isaac, qui a. 797. a Carolo missus fuerat, apud Pisas appellunt. Itaque eo frequentiores fuerunt occidentalium *peregrinationes* in palaestinam. *Sub finem* seculi *centulensis* monasterii dedicatio locum habuit, quod *Angilbertus*, Caroli impensis, aedificarat. *Roma* marmora et columnae aduehebantur, peritissimi artifices ligni, lapidis, vitri et marmoris aptandi, conquirebantur. In basilica *vndecim altaria*; in ecclesia Mariae altaria 13; oratoria Raphael, Gabriel, Michael. Euangelii codex *auro scriptus*, cum tabulis argenteis. *Pompam* dedicationis vix describere possumus. In monasterio 300 monachi; in *scholis* pueri *centum* sub eodem victu et habitu. Chori

tres

A. Christi 800.

tres ex illis facti, qui *horas canonicas* celebrarent; inde vniuscuiusque chori pars tertia egrediebatur, 2 aliae partes laudes diuinas continuabant. Quotidie *missae* XXX saltim *priuatae* a fratribus diuersorum chororum, per diuersa altaria peractae, praeter 2 conuentuales, mane et meridie solemnissimas. *Maiorum litaniarum* difficiles caerimoniae multae; viri, feminae, pueri &c. septeni semper ibant, ne, si bini aut terni irent, milliare spatium implerent; *aqua benedicta* portata; 3 turibula; 7 cruces; capsa maior inter tres minores; pueri septem cum *taedis*; infirmi equitabant, vid. *Mabillonii* annales ad an. 798. Monasterium artes et opificia multa complectebatur; farinarium; vicum *negotiantium*; vicum *fabrorum*; scrutariorum, (libris operiendis) *sellariorum*, (sellis equorum) pistorum; sutorum; lanistarum; fullonum; pellificum; vinitorum; cauponum; vicus militum, 110 — — pauperes quotidiani 300, viduae 150, clerici 60 — *Oblatio* ad sepulcrum S. Richarii fieri solita, valebat *qualibet hebdomada* marcas 200, aut 300 libras &c. Iam poterimus de monasteriorum natura et indole iudicare, eorumque publicam auctoritatem, quae maxime valuit, fingere, et regum in illa fauorem ratione iusta non caruisse; quia ad expolienda et colenda ciuium ingenia et studia, remque omnem a publicam promouendam, multum et plurimum contulerunt,

SECVLVM IX.

CAP. I.

De statu rei christianae publicae.

I. Sub occidentem solem.

Hoc caput ita videtur commodissime distribui, vt eo ordine, quo *Imperatores* aut *reges* christiani sese exceperunt, colligamus illa, quae ad publicam rem christianam promotam aut attritam referenda sunt. Ipso *natali* die Christi *Carolus* Romae imperator atque Augustus a papa proditus et acclamatione vetusta honoratus fuerat; quam rem, qui annum a calendis *Ianuarii* designant scriptores, in annum 800; qui vero a die Christi natali ducebant, anno 801 contigisse narrant; solebant autem plerique *Francici* annalistae hunc posteriorem computum sequi. Non sine dedito consilio papa hoc *Augustum* nomen in Carolum contulisse videtur; non quidem eo nomine, quod inde ab aliquo tempore solebat nunc a Romanis credi, vt quasi regum dominus et arbiter *transferret* imperium papa a Graecis ad Francos; sed vt hac ratione, quasi *diuiso*, vt olim fuerat, vtroque orbe, et *renouato* occidentis publico honore, continua bellorum ob Italiam et prouincias istas materia tolleretur, atque eo facilius *Saracenorum* potestas arctioribus limitibus circumscribi posset. Itaque et de *coniugio Caroli* cum *Irene* actum fuisse, non solum Graeci narrant, *Theophanes* et *Zonaras*, sed et latini annales; qui per aliquot annos *legationes* describunt, pro *pace* inter Carolum et Irenem; (annal. *fuldenses*, *Eginhardi*, *Bertiniani;* et qui ex talibus sua omnia descripsit, annalista Saxo, a. 802.) Nomen βασιλευς tandem et Graeci *Carolo* tribuunt, an. fuld. 812; et *Venetiae*

tiae a Carolo tandem a 810 graecis traditae; nempe, si pax cum Graecis locum haberet, *Carolus* eo facilius christianum nomen aduersus alias gentes et defendebat et propagabat. Filii *Caroli regum* nomine iam vtuntur, Carolus *Imperatoris*, quem profecto rem christianam studiosissime promouere oportebat, vt ne nominis grande omen parum impleret. Liceat et nos aliquid coniecturae nostrae dare, licet eruditissimi homines hanc rem non obseruasse videantur. *Alcuini* verba ex Epistola XI, quam antea p. 252. nominabamus, *Pagius* ita explicabat, vt *Romam* papae quasi subsuisse statuendum sit; igitur *Alcuinum* dicere, ita in *alienis* (Papae honore et dominio) sudetur, vt in propriis damnum non patiatur. Melius vero *Eccardus* lib. 25. rerum Francic. C. 11. explicat, *aliena* dici iniuriam papae; *propria*, Caroli dominium et regnum. Nos audemus omnem istam vim, quae Leoni a. 799. illata fuit a Romanis ita interpretari: Romanos aegerrime tulisse, quod *Leo* populum romanum *subiecerat* Francis, (*Eginhardi* annales, a. 796, vt Carolus mitteret aliquem, qui populum romanum ad suam *Fidem* et *subiectionem* per sacramenta firmaret). Isti igitur noluerunt pati *imperatoris* nomine Francos superbire; iure enim nostro miramur, qui fiat, vt nemo veterum vel vllam causam designet, cur *Leonem* tam dire habuerint Romani; nec putamus sine consilio statu accidisse, vt *Legati* Caroli et dux *Spoletanorum* papam e vitae periculo saluarint; (annales *bertiniani* et *metenses*.) Facile iam perspicimus, *Carolum* tempori hoc dedisse, vt affirmarit, si consilium pontificis praescire potuisset, (qui eum *imperatorem* Romanorum *Augustum* prodidit) se ecclesiam non intraturum fuisse, (*Eginhard* annales 800.) Vtcunque existimatum fuerit, certum est *Leonem* et *Carolum* quasi ex composito egisse; papam Graecis iusto minus fauisse, quia S. Petri potestatem videbat inter *Graecos* promoueri non posse, quae ex aliquo tempore sub occidentem solem, *Francis* iuuantibus, continuis successibus creuerat. Graecis imperatoribus super hoc indignantibus, Carolus non

solum tulit magna patientia, vicitque magnanimitate, quod *Eginhardus* scribit: sed etiam studiosissimis legationibus, et coniugii etiam spe, (nempe cum scelestissima muliere!) imponere studuit. Atque haud scio, an illae *Aaronis Raschidi* legationes ad hanc rem et causam plane nihil pertineant. Dignissimus fuit *Carolus* huius nominis honore, et Papae vel hodie gratiae a nobis debentur, siquidem *Carolus* ad meliorem terrarum sub occidente sole statum non parum contulit. *Moshemius* ista *donatione* munifica erga S *Petrum*, viam sibi muniuisse ad *imperatoris* nomen *Carolum* statuit; ad rem parum refert, siue papa fuerit, (quod praetulerim, ob odium inuidiamque in Graecos dominos, nimis seueros et parcos, atque ob studia continua in Francos) siue *Carolus*, vniuersi consilii auctor.

Ad fata ecclesiae prospera referri solent conuersiones rerum gentilium et barbararum ad christianum sacrorum et vitae modum; huius generis argumentum historiae non deest. Anno 803 *Carolus* venit Salzburgum, atque *Arnoni* prouinciam sacram in *Slauiniam*, seu *Carinthiam*, in partes *Pannoniae* inferioris, confirmauit; describit auctor vitae S. *Ruperti* anonymus ap. *Canisium* modum, quo *presbyteri* per *Arnonem* missi, solebant vti; — — *seruos credentes*, secum vocauit ad mensam; eorum autem dominos *infideles*, foris quasi canes sedere fecit, ponendo ante illos panem et carnem, et fusca vasa cum vino. *Seruis* autem, *staupis deauratis* propinare iussit; et dixit, non estis digni non ablutis corporibus, cum sacro fonte renatis, communicare; — quo facto, fide sancta instructi, certatim concurrerunt baptizari, et sic deinceps religio christiana succrescit. Anno 804 narrat *Eginhardus:* Carolus X. hominum millia, ex iis qui trans ripam Albis incolebant, *cum vxoribus et liberis* sublatos transtulit, et per *Galliam* et *Germaniam* diuisit — vt abiecto daemonum cultu *et relictis patriis caerimoniis* fidei atque religionis sacramenta susciperent, et Francis adunati vnus populus efficeretur. Mire hac re abuti ausus est *Gregor.* VII. lib. 8.

lib. 8. epistola vltima, praecipiens omnibus Gallis, vt quaelibet domus saltem vnum denarium b. Petro soluat; (nam Carolus, *sicut* legitur in tomo eius, qui in Archiuo b. Petri habetur, (is *tomus* nullibi visus) in tribus locis annuatim colligebat mille et ducentas libras ad seruitium apostolicae sedis — idem *Saxoniam* obtulit b. Petro — quod *Pagius*, ne diceret merum esse mendacium, eleemosynam fuisse statuit. Anno 805. narratur, *Theodorum* Cacanum, seu principem Hunorum, imperatorem rogasse, vt liceret ei habitare inter Sabariam et Carnuntum, quia *Slaui* pristinas sedes infestarent; is *Christianus* fuit. Eo mortuo summa totius regni, vt nouus Cacan petiit, penes ipsum fuit, *iuxta priscum eorum ritum.* Bohemi, seu *Boemani* Slaui igitur triplici exercitu petiti; eorum dux *Zecho* occisus. Similiter cum *Danis*, *Wilzis*, Slauisque aliis crebra bella, ob lites de finibus dominii; si qui bello victi, praesidia eis imposita, et vel sic christiana sacra sensim propagabantur.

Sub *Ludouico*, quem *pium* nominare solent, similiter res habuit; nam *Abodritorum* e. c. reguli cum populo Francis subiecti quidem, sed *prisco ritu* seruato; annal. fuld. a. 817. *Slaomir*, quia regiam potestatem, quam solus tenuit, cum *Ceadrogo* partiri iubebatur (ita leg. pro videbatur,) iratus cum populo suo deficit et cum filiis *Godofredi*, trans mare, (danicum) foedus iniit; a. 819, exilio ideo damnatus; a. 821, *Ceadrog*, ob perfidiam reiectus, et *Slaomir* in patriam reuocatus; is, cum in Saxoniam venisset, *percepto* (iam demum, licet diu subiectus,) *baptismi sacramento* defunctus est. Ad an. 822. *Ebo*, aepiscop. Remorum, *genti Nordmannorum* euangelizavit verbum dei; pluribus de hac sacra legatione alii scriptores narrant; *Anscharius* in epistola ad omnes praesules in regno *Ludouici: Ebo* — cum consensu imperatoris Ludouici ac pene totius regni eius *Synodi congregatae*, (attiniacensis) Romam adiit, et a papa *Paschali* publicam euangelizandi licentiam in *partibus Aquilonis* accepit,

pit. *Paſchalis* decretum ap. *Bollandum* d. 3 Febr. qui dies *Anſcharii* aep. Hamburg. *Danorum* et *Suecorum* apoſtolo, ſacer eſt; et ap. *Mabillon.* ſec. 4. Benedict. parte 2, habetur — collega ei datus *Halitgarius.* Nempe non prima haec in *Nordalbingos* et *Danos* ſtudia: iam *Willibrordus*, ſub finem ſec. 7, ad *Friſios* iuerat, XXX pueris ſecum in Franciam reductis. *Carolus* M. *Heridagum*, presbyterum huic prouinciae praeficere volebat, ſed rem non perfecit. Iam *Ebo* ad terminos *Danorum* miſſus, auctoritate *Ludouici.* Regis *Godefridi* frater, *Hariold* a Ludouico auxilium petiit contra filios Godofredi quatuor; miſſi igitur comites Francici *Theotharius* et *Ruodinandus* ad iſtos filios, qui ſimul *ſtatum regni* totius Normannorum diligenter explorarunt; cum eis *Ebo* rediit, qui *conſilio* imperatoris et Paſchalis praedicandi gratia ad Danos iuerat, et multos baptizauerat; (*Eginhard*, *Adam*, brem. *Flodoard*;) Iam a paruis initiis ſenſim perſuaſum eſt pluribus, concedere in Francorum et amicitiam et religionem; an. 826. *Harioldus* iſte cum vxore et magna *Danorum* (maiorum) multitudine Moguntiae apud S. Albanum *baptizatus* fuit; multis muneribus donatus, (vt in aula byzantina ſolebat fieri, ſi quidam principes ad ſacra graeca accederent,) in Friſiam reuerſus eſt; in ea prouincia *comitatus Riuſtri* ei datus; *Eginhardi* annal. *Theganus;* iam *Harioldus* ipſe ſtuduit conſilio huic ad alios promouendo, et quaeſiuit commodum eius miniſtrum. *Anſcharius* igitur corbei. ab abbate *Wala* deſignatus fuit — *Autpertus* etiam alius monachus ſe comitem offert — *pueros coeperunt curioſe quaerere quos emerent* et ad dei ſeruitutem educarent, (vt lingua patria poſtea commodius vterentur,) — ſcholam igitur ibi inſtituerunt 12 puerorum &c. plura enim ex vita *Anſcharii*, quam *Rembertus*, eius ſucceſſor ſcripſit, repeti facile poſſunt. Cum filiis *Godofredi* imperator iam an. 825. pacem, quam iſtis in domeſticis perturbationibus petebant, in Marca eorum confirmari iuſſit; itaque paſſi ſunt iſtos ſacros miniſtros. Inde

an. 829.

an. 829 *Sueonum* etiam quidam Legati ad Ludouicum venerunt, qui inter alia dicuntur exposuisse, *esse in gente sua multos*, qui christianae religionis cultum, (et vitae haud paulo meliorem modum,) desiderauerint; regem etiam permissurum, vt sacerdotes ibi essent, (vel commerciorum etiam caussa;) *Anscharius* eo missus cum *Vitmaro*, et quibusdam *negotiatoribus*, nec sine *muneribus regiis;* bona omnia amissa, quia in piratas inciderunt; etiam pene 40 libri — Tandem ad portum *Byrca* et regem *Bern*, *Biörn*, perueherunt. Hic rex liberum fecit suis, quicunque vellent sacra noua amplecti; repererunt etiam captiuos christianos; praefectus vici et consiliarius regis, baptizatus, ecclesiam ipse condidit; post sex menses cum litteris regis ad *Ludouicum* redierunt; haud dubie enim commerciorum caussa, huic negotio fuit immixta. Anno 831 *Anscharius* iussu *Ludouici* consecratus fuit *aepiscopus Hamburgensis*, per *Dragonem* metensem, adstante *Ebbone*, rhem. *Hetti*, Treuir. et *Otgario*, moguntino; mediocris dioeceseos, quae *iam tantum* 4 ecclesiis baptismalibus constabat; Ludouicus eum misit ad papam, qui ei *pallium* dedit, *legatumque* fecit, in gentibus *Sueonum*, *Danorum*, *Farriae*, *Goulandon*, *Islandon*, *Scridelandon*, *Slauorum* etiam, et nationum *septentrionalium* atque *orientalium*; vid. Papae confirmationem ap. *Bollandum* d. 3 Febr. *Mabillon.* sec. 4. parte 2. Limites *legationis* verbosius designat *Adamus Bremensis.* Datus etiam Anscharío *adiutor Gauthertus*, Ebbonis propinquus, ex consensu imperatoris; is alio nomine *Simon* iam auctus, ad *Sueones* praecipue destinatus. Sub *Ludouico*, germanico, narrant annales *Fuldenses*, an. 845, Ludouicum XIV ex ducibus Boemanorum, *cum hominibus suis*, *christianam religionem desiderantes*, suscepit, et in octauis Theophaniae *baptizare iussit.* Dubitare vix licet, 14 istos principes ex consilio parum ingenuo, ex *Bohemia* ad regem venisse, quia forte in patria aliis inferiores, aut pares litibus componendis non essent. Nam

an. 846

an. 846. rex idem ex Slauis *Marahenſibus* (e Morauis) per *Boemanos* cum magna difficultate et grandi damno exercitus ſui *reuerſus* eſſe dicitur, poſtquam ducem conſtituerat Slauis iſtis *Raſtizem*, ſeu Raſtilaum; Bohemi alii igitur aegre tulerunt, quod iſti 14 Ludouicum adiutorem conſiliorum nouorum inuitauerant. Bellum contra *Boemanos* an. 848, ſed 849 parum feliciter, continuatum. Anno 852. *Herialdus* ille, qui per plures annos inter Francos poſt baptismum honorifice habitus fuerat, tandem euſtodibus danici littoris, quaſi lubricae fidei, coepit ſuſpectus eſſe; ideo ab eis occiſus eſt; idem fere *Roruco*, Nordmanno accidit; e carcere tamen et poteſtate *Lotharii* elapſus, venit ad Ludouicum, et piraticam tandem aduerſus Lotharium exercuit; *Doreſtadium* occupauit; itaque Lotharius eum vel inuitus rurſus in fidem accepit, ea conditione, vt *Danorum* incurſionibus reſiſteret; a. 857. cum conſenſu Lotharii claſſem duxit in fines Danorum (non chriſtianorum) et conſentiente *Horico* Danorum rege, partem regni, quae eſt inter mare et *Egidoram*, cum ſociis ſuis poſſedit. De *Horico* ſeniori, qui *Sleſuici*, vbi conventus fiebat *negotiatorum*, eccleſiam permiſit aedificare, et iuniore, qui tandem et ipſe publicam chriſtianae religioni libertatem, et ius *cloccae*, dedit, leg. *Rembertus* in vita Anſcharii cap. 41. 54. Porro *Bremenſis* eccleſia cum *Hamburgenſi* vnita; *Ludouico* et *Lothario* conſentiente, an. 857. 858. poſt varias lites a *colonienſi* aep. *Gunthario* motas, cui *Brema* antea ſubiecta fuerat; geſta in *ſynodo moguntina* confirmauit *Nicolaus* papa, qui et ius *legationis ſeptentrionalis* inſtaurauit, *Anſcharii* in gratiam; ſedit is inde *Bremae*, ob Hamburgi vaſtationem. Cum *Vinidis*, *Slauis*, *Morauis*, duce *Raſtice*, ſeu *Raſticio*, varia et fere continua bella; ei *Carolomannus*, Ludouici filius, 861 foedere contra patrem iunctus; nec deerant alii rebelles, ex ordine potentiorum; adeo parum ingenua fuit chriſtiana religio, quae vel ſanctiſſimas alias leges violaret.

Bul-

Bulgarorum rex ab a. 865. consilium cepit de mutandis sacris, (et reipublicae exilibus rationibus.) Annales *Bertiniani* an. 866. narrant, eum *suscepisse sacrum baptisma*; sed locum non addunt. (Scimus autem eum Constantinopoli ab imperatore e baptismo susceptum; Leo grammat. *Simeon* logotheta; *Georgius*, monachus &c. nam nomen regis dicitur *Michael* sicut graecus imperator dicebatur; atque id iam anno 861. accidit.) Hic vero commemoramus tantum ea, qua a *Latinis* et ad historiam occidentis pertinentia, narrantur. Inde proceres per X comitatus rebellasse; post occisos 52 ex maioribus, eum misisse ad *Ludouicum*, qui ei foedere pacis iunctus fuit, vt impetraret *Episcopum et presbyteros*; quos missos cum debita reuerentia suscepit; addunt *Fuldenses:* legatos Bulgarorum venisse *Ratisponam*, et ministros sacros petiisse; idem rex *Bulgariae* misit *Romam* (vtrumque *hoc anno*;) sed rex ipse ad sacra transierat antea; de romana legatione pluribus agit *Anastasius* bibliothec. in vita *Nicolai*. Redierunt *Ludouici* ministri, quia inuenerunt iam *romanos*; hi denuo vnxerunt eos, quos Graeci antea vnxerant; inde *schisma* inter *Graecos* et *Romanos*, vt describit Anastasius: papam legatos misisse Constantinopolin, pro schismate ibi exorto. Supersunt *responsa* papae ad consulta Bulgarorum; atque non est dubium, *inuidiae* hac in causa Bulgarica plus datum fuisse, quam liberali studio in ipsam religionis propagationem.

Per *Methodium* Constantinopoli euocatum, qui fuit frater *Constantini* philosophi, seu *Cyrilli*, et quidem *pictura* ministerio (*iudicium* extremum pinxerat) rex Constantinopoli iam baptizatus, suos dicitur ad eadem sacra tractum iuisse, licet plebe non mediocriter aduersante. Iam vero, vbi *Rastilaus*, Morauiae regulus, de ea re inaudivit, misit et ipse Constantinopolin nuncios; qui narrarint, recessisse quidem populum suum (iam) a cultu idolorum, sed carere tali doctore, qui eos litteris scriptis vti doceat, et perfectiorem religionis rationem. Itaque imperator *Constantinum*

tinum misit, atque *Methodium*; de ea re copiosius narrat vita horum SS. die IX Martii; *Pagi* non male putat circa a. 863. eos in Moraviam venisse. Certum est sub hoc tempus regulum Moraviae a *Ludouico* auersum fuisse. *Euangelium* iam in linguam *slauonicam* a Constantino translatum, etiam ecclesiasticum *officium*; manserunt fratres per annos 4 et dimidium in Moravia, seu ad an. 867. *Nicolaus* papa inde eos ad se euocauit; veniunt cum aliquot nouis discipulis, qui Episcopatus honore digni essent. *Nicolao* successerat *Hadrianus*, qui obuiam venientibus iuit cum clero et populo romano; afferebantur enim etiam S. *Clementis* reliquiae. Hic vterque frater episcopi nomine auctus, discipuli vero, presbyterorum, et diaconorum; solus rediit *Methodius*, et sic ea gens sensim ad christiana sacra transiit. Actis SS. adhuc addenda *Moravia sacra*, per *Stredowsky;* et *Assemani* in *Calendariis* ecclesiae Vniuersae. Incertum est, vnde hauserit sua annalista *metensis*, an. 868. mirifice describit pietatem regis *Bulgarorum*, et religionis studium; monachus tandem factus; sed parui temporis fuit monachus, quia *filius* natu maior populum ad gentilismum reduxerit, eum itaque pater resumtis armis oculis priuauit, et filio minori suffecto, in monasterium rediit. Id quidem scimus, inter *Ludouicum* 2, et papam, et *Basilium* aduersus *Saracenos* foedus locum habuisse, *Constantin. Porphyrogenneta*, in vita *Basilii* et lib. 2 de Thematibus, Themate XI; itaque caussa *bulgarica* videtur fere adhuc per papam praecipue administrata fuisse; quam postea demum Graeci suam omnino fecerunt. Paulo post Synodum octauam 869, *Bulgari* romanos sacerdotes eiecerunt; *muneribus multis Basilii* adducti, vt *Porphyrogenneta* ipse scribit. *Moravia* vero romanam sacrorum auctoritatem eo facilius praetulerat, quod reguli sub potestate *Ludouici* germanici esse solebant, postea *Rastices* seu *Rastilaus* maluit cum *Michaele* graeco imperatore tractare, et fratres *graecos* impetrarat praedicatores. Hi et ipsi a papa non alieni; de bellis frequen-

quentibus narrant *annales* latinorum huius temporis, *Bertiniani, fuldenses* &c. *Rasticis* nepos *Suatopluck, Suentibald* &c. varie nominatur; a *Methodio* aliquando excommunicatus, qui *Romam* e Morauia secesserat.

Anno 878 *Asser* narrat, victos tandem per *Alfredum Danos*, qui Angliam subegerant, promisisse regno se excessuros; Regem vero *Gudrum*, christianitatem subiisse, per Alfredum e baptismo leuatum fuisse, nouo nomine, *Athelstanum;* eumdem prouinciam orientalium Anglorum et Nordanhumbrorum, sub fidelitate regis, tenuisse iure haereditario; sed minus bene isto honore eum vsum; *Malmesbur.* lib. 2. de regib. c. 4. *Paganorum* infestationibus in Anglia status monasticus valde oppressus fuit; vt *Alfred* ex *Gallia* et aliis vltramarinis monachos conquisiuerit, infantes etiam in nouo monasterio suo *Adelingensi* edoceri atque ad monachicum habitum subleuari praeceperit. Maiorem cladem *publica religio* per *Normannorum* fere continuas depraedationes in Gallia (*belgica*, vsque ad Coloniam agrip. et *Bunnam*) accepit; licet miracula ecclesiis defendendis non defuerint. *Carolus* tandem crassus an. 882 non sine ignominia pacem cum *Normannis* fecit, consilio *Liutwardi*, ep. vercellensis, qui pecunia corruptus fuisse dicitur; *Godefridum*, ducem Normannorum, *de fonte baptismi leuauit*, eique comitatus aliquos commisit; e thesauris ecclesiarum quasi tributum 2412 librarum hostibus dedit; (pluribus narrat damna illata per hostem continuator annalium ap. *Lambecium* et Pagium; annales *Bertin.* et *Fuldenses;*) Hic non raro episcopi aciem duxerunt, e. g. *Liutbertus*, mogunt. *Rembertus* Hamburg. *Anschericus*, parisiensis, *Ebolus*, abbas S. Germani.

Sub finem seculi dux *Bohemorum* baptizatus est *Borivoi, Borsivoi*, vt solent domestici narrare scriptores, atque auctor etiam vitae *posterioris* Cyrilli et Methodii; hic scribit: *Suadopulcum*, Morauiae regulum, *sub mensa sua locasse* ducem Bohemiae; (nempe *Arnulfus* Bohemos etiam Suatopulco adiecerat regendos, an. metenses 890.

Sigebertus &c.) non enim fas esse, vt homo gentilis cum christianis ederet. Siue potentia noui domini id effecerit, siue *Methodii* prophetia, (si baptizentur, fore, vt potentior fieret cum successoribus suis, quam superiores duces; baptismum (in *Morauia*, apud dominum nouum Suentopulcum,) accepit; in Bohemiam redux curauit et *Ludomillam* cum multis aliis baptizari. Annus videtur inter 890 et 893 designandus esse; quia postea Arnulphus, Hungarorum ope, rebellem Suatopulcum hunc vicit. Discedemus iam ad aliam historiae partem, si antea monuerimus, non defuisse etiam sub finem seculi sacra dissidia, (1) inter *Colonienſem* aep. *Herrmannum* et Bremensem *Adalgarium*; dederant enim *Anſcharius* et *Rembertus* aliquid *colonienſi*; noluit idem concedere *Adalgarius*, nec Papa audet, de re omni decernere; vid. Epistola *Formoſi* papae, ab *Henſchenio* edita in commentario praeuio ad vitam *Anſcharii*. (2) Inter episcopos *Baioariae* et *Morauos*. Isti (Epistola *Theotmari*, Salisburg. et aliorum ad Iohannem IX) queruntur, quod papa per tres episcopos *Italos* e patauiensi episcopatu fecerit *quinque* episcopatus; repugnat etiam *Hatto*, aep. mogunt. cum suffraganeis, in epistola ad Ioh. 9; quemadmodum continuatio annalium *Fuldenſium* apud *Freherum*, anno 898 clare narrat: in locum mortui episcopi *patauienſis*, *Egilmari*, a papa *Wihingum*, *alamannum*, iam Morauiensem episcopum, *contra inſtituta patrum*, destinatum fuisse, *rege concedente*. Sed non multo post, per aep. Salisburgensem eiusque suffraganeos, *canonicali* iudicio, (seu in *ſynodo*) Wihingum deiectum, atque *Richarium* ei substitutum fuisse. Iste *Wihingus* in Morauia fuerat episcopus in *neophyta gente*, quam dux (Suatopulc) bello domuerat, et e paganis christianos esse patrauit; sic loquuntur episcopi cum *Theotmaro*. Operae pretium est, ista accuratius excuti, quia memoratu digna plura hic habentur. Dicunt *Theotmari* episcopi: terram Maranorum *regibus noſtris* —— (Francorum) subiectam fuisse, tam *in cultu chriſtianae religionis*, quam

in

in tributo substantiae secularis; quia exinde primum (fide) imbuti et ex paganis christiani sunt facti. Iccirco *patauiensis* episcopus, *in cuius dioeceſi* sunt *illius terrae populi* ab exordio christianitatis eorum, *quando voluit et debuit*, illuc nullo obstante *intrauit et synodalem* cum suis conuentum — — frequentauit — vsque dum incessente corda eorum diabolo, christianitatem abhorrere, iustitiam detrectare, bello lacessere et obsistere saeuissime coeperunt, adeo, *vt via episcopo et praedicatoribus illo non esset* &c. Igitur omnino hinc patet, iam ante *Methodium* et ante *Rastiicem* a Francis Morauos seu *Slauos* istos christiana sacra accepisse, per Salisburgensia ministeria. Sed cum *Rastices* excutere iugum *Francicum* ausus esset, haud dubie etiam *ecclesiasticam* iurisdictionem non vltra passus est. *Arnulfus* autem Germaniae rex concessit *Suatepulco* multa, vt scimus, atque a papa facile muneribus id impetrarunt, quod volebant, vt suo *metropolitano* ipsi vterentur hi *Slaui*; clare dicunt episcopi *Theotmari:* nunc vero in *augmentum iustitiae* (sic legunt, editio *Monachii* in appendice Chronici *Reicherspergensis*, per *Gewoldum*; et *parisina* 1615 per Ioh. *Cordesium*, post opuscula Hincmari; alii, in *argumentum* iniuriae) iactitant se. *magnitudine pecuniae* id egisse; qualia de sede apostolica numquam audiuimus exisse &c. Atque clare in vita *Methodii* priori exstat: philosopho, (Constantino) reuerso Constantinopolin, audiens Rastilaus, quod factum fuerat in prouincia Chazarorum, (nunc christianorum) ad praedictum imperatorem *misit, nuncians:* quod populus suus ab *idolorum quidem cultura* recesserat, (nempe iam ante Methodium et Cyrillum, ministerio Francorum igitur, Baioariorum;) verum *doctorem* talem non habeat, qui *ad legendum* eos, et ad perfectam legem ipsos edoceat &c. *Rastilaum* sane oportet principem non ignauum aut leuem fuisse, qui intellexerit *legendi* et *scribendi* vsu gentem suam carere non posse, si eam euehere ad statum ciuilem firmum vellet. Itaque et rex sacra publica non *latina in lingua*, sed *slauica* peragi

 voluit,

voluit, *Slauinis litteris* per Cyrillum repertis; solent plerique id sancto consilio potius tribuere: sed nos politicum etiam adfuisse non dubitamus. Denique vel verbum addimus, vt obseruemus, quantopere res mutatae fuerint, post *Bonifacii* tempora; qui vti solebat *Francorum* potenti manu; iam, postquam illa dominorum potestas a *Slauis* excuti coepit: sacrorum etiam alia forma et ratio valuit. *Germaniae* autem et *Baioariae* episcopi papae exiguam auctoritatem tribuunt, vt ex ista rei gestae descriptione apparet. Videbamur operae pretium facere, si hanc caussam paulo diligentius ageremus; quae ad *ecclesiae* occidentalis historiam praecipue pertinet; consilia politica facile patent, quae non improbantur a nobis, quia humanae res humano more aguntur. Optime hanc caussam illustrauit *Assemani*, tomo 3 Kalendar. ecclesiae vniuersae; parte 1. cap. 2. qui simul varie illustrat, licet iusto copiosius fere colligat, id opusculum, *quomodo Baioarii* et *Carantani facti sunt christiani*, quod post *Canisium*, *Du Chesne*, tomo 2 scriptor. Franc. *Dubrauius*, et *Hansizius* edidit; sed facile adhuc lucem clariorem patitur. De *Slauis Naretanis* narrat *Dandulus*: nuncium aliquem, ab iis ad ducem Venetum, Iohannem *Particiacum*, missum, 830, hortatu ducis baptisma suscepisse; ceteros fuisse adhuc gentiles. *Chrobati* seu Croatiae principes a *Terpimiro*, paruerunt regibus Italiae; ita diploma apud *Lucium* de regno Dalmatiae lib. 2. cap. 2. regnante in Italia piissimo Lothario &c. *Terpimir* monasterium fundabat 837. plura de Dalmatia, Chrobatia &c. apud *Assemanum* Tomo 4 Kalendar. ecclesiae vniuersae.

Ceterum mirum profecto videri debet, diaconum aliquem de *palatio*, seu palatinum, id est e sacro Augustali ministerio, ad *Iudaismum* transiisse; *Puoto*, *Bodo*, homini nomen; a. 838 aut vt *Bertin.* annales, 839, ex *Alamannis*, in scholis *palatinis* educatus; *Eleazaris* nomen adsumsit, nepotem etiam suum ad iudaicum ritum transtulit; vixit *Saragossae*, atque postea grauiter christianos afflixit; adeo

adeo, vt episcopi Hispanici rogauerint regem *Carolum* et ordines regni, vt apostata ille reposceretur, *bertinian.* ad an. 847. Alibi iam notauimus, quod nec *Pagi* ad a. 838. n. 12. vidit, in chronico *Sangallensi* ap. *Duchesnium* tom. 3. an. 838. ordinem aliquot linearum turbatum esse, vt legatur ineptissime: lapsus est in Iudaismum *inter octauam et nonam horam* &c.

II. Sub oriente sole.

De propagatione christianorum sacrorum acturos liceat *Russos* primo loco commemorare; sed breuius, cum et ex Theoph. Sigfr. *Bayero*, qui dissertationem de *Russorum* prima expeditione Constantinopolitana Tomo 6. commentar. academ. scientiar. petropolitanae inseruit, et ex nostra dissertatione, de initiis christianae relig. inter Russos, atque ex *Assemanio* tomo 4 Kalendar. ecclesiae vniuersae, facile plura possint colligi. Apud *byzantinos* scriptores *Russorum* prima mentio ad annum Constant. copronymi 33, Christi 774; et Constantinus porphyrog. cap. 9. libri de administr. imperio pluribus describit, qua via et ratione Russi lintribus suis Constantinopolin veniant. Annales *bertin.* an. 839 narrant, cum legatis *Theophili* imp. graeci ad *Ludouicum* pium venisse, qui se, gentem suam, *Rhos*, dicebant, qui *chagani* (principis) sui nomine itineris facultatem per Ludouici prouincias rogauerint; *Luitprandus* etiam *Normannorum* nomine *Russos* comprehendi scribit; *byzantini* scriptores de inuasione *russica* ad an. 859. 860 non rari narrant; sub *Basilio*, macedone largitionibus et muneribus, vt Constantinus in vita aui ipse fatetur, in foedus, atque ad baptisma pertracti fuerunt; eis etiam ab *Ignatio*, patriarcha, aepiscopus datus, sub annum 871.

Bulgaricam sacram historiam, qua ad Graecos praecipue ministros pertinet, breuiter repetimus. Cum *Ignatius*

tius ſedem Conſtantinopolitanam teneret (ille vero anno demum 846 *Methodio* ſucceſſit,) *Michael* autem imperator eſſet, Chazarorum legati venerunt, orantes, vt mitteretur fidei catholicae miniſter; *Philoſophus* ille Theſſalonicenſis, *Conſtantinus* miſſus fuit; (qui poſtea *Cyrilli* nomen accepit,) ita vita SS. Cyrilli et Methodii vtraque apud Henſchenium d. 9 Martii. Accidit ea res non 843, vt *Kohlius* et *Stredowski*, ſed paulo poſt 848, vt cum *Henſchenio* computat *Aſſemani*, tomo 3 *Kalendar.* eccleſiae vniuerſae, pag. 13 ſeqq. Iuit ſolus *Conſtantinus*. Nomen regis Bulgarici *Bogoris* fuit, quod cum alio *Michaelis*, quo graecus imperator vtebatur, commutatum fuit baptizato. Opus autem eſt tempus accuratius diſtingui; nec ſine ratione *Aſſemani* ſtatuit, non vno tempore confectum fuiſſe, quod Bulgari ad chriſtiana ſacra transierunt. Semina nouorum ſacrorum *captiui chriſtiani*, poſt captam a *Crumo*, rege Bulgar. an. 814. *Adrianopolin*, ſecum attulerunt; epiſcopus enim *Manuel* cum incolis abductus fuit, etiam Baſilii, qui in faſciis adhuc fuit, parentes. Eius *Crumi* ſucceſſor epiſcopum et alios, quia ſacra noua commendare non deſinerent, ſuppliciis affecit. Poſtea per monachum *Theodorum*, Cupharam, qui et ipſe inter captivos fuit; et per ſororem *Bogoris*, quae a Romanis per ſubitam incurſionem ablata, atque Conſtantinopoli ad chriſtianam religionem informata fuit, ſimiliter non videtur nihil ad commendationem chriſtianorum ſacrorum collatum fuiſſe; pro *Theodoro* enim iſto illa ſoror regi reddita fuerat. Ob famem tandem et *Bogoris* baptizatus fuit, miſſo per *Michaelem* imperatorem epiſcopo. Alii aliter narrant; regem poſtulaſſe *pictorem* romanum; miſſus fuit *Methodius* monachus; is non venationum ſpectacula, ſed adūentum Chriſti pinxit; itaque rex ſic commotus fuit, vt vel noctu baptizari ſe voluerit, ob ſuorum metum; rebellarunt vero, cum reſciuerunt regem alia ſuſcepiſſe ſacra; rebelles facile crucis beneficio, victi; inde omnes incolae transierunt ad chriſtiana ſacra; impetrauit etiam a *Theodora nouos* pro-

vin-

vinciae nimis angustae *terminos*, ἀπο της σιδηρας ad *Debeltum* vsque; ita narrat *Constantin.* porphyrog. libro 4. cap. 13. Ioh. *Scylizes*, (ex hoc *Cedrenus*) et *Zonaras*; sed minus claris temporum characteribus; annum 845 *Baronius*, *Henschenius* et alii designarunt. Alii vero *byzantini* scriptores, *Leo*, grammaticus, *Simeon*, logotheta, et *Georgius*, monachus, rectius differunt istam sacrorum mutationem apud Bulgaros, ad annum *Michaelis*, (cum solus imperaret, post Theodoram 857 ex aula electam) quartum, seu 861; hoc *quarto* anno deceptus fuit Porphyrogenneta, eum sumens de imperio cum matre communi, vt iam *Pagi* ostendit. Scriptorum testimonia exhibet Assemani tomo 3, pag. 29 seqq. Fatentur autem scriptores, *terrae nouam partem* Bulgaris donatam; *Nicetas*, in vita S. *Ignatii* scribit, Bulgaros, fame vrgente et *muneribus* imperatoris ab armis reuocatos baptisma suscepisse. Serius adhuc eam rem designat *Mansius* in notis ad *Baronium*, tomo 15, a. 866, regem Bulgariae demum *post* annum 864 baptizatum fuisse. Nam in Capitulis *Nicolai* papae, (quae anno 864 scripta fuerunt, vt ad annum 858 probatum) scribitur: quod dicis, quod christianissimus rex sperat, quod ipse *rex Wulgarorum* ad *fidem velit* conuerti, et iam multi ex ipsis christiani facti sunt, (nempe, graecorum ministerio) oportet igitur, vt Graeci quidam scriptores minus vere rem narrarint; queritur certe *Nicolaus* 1. in epistola 70 ad *Hincmarum* Remensem et alios episcopos in regno *Caroli*, quae anno 867 scripta est, graecorum imperatores, (Michael et Bardas) odio et inuidia inflammatos, *Latinis* haerefeos crimina impingere velle, quia *Photio* papa communionem negauerat — — *inuidia*, quia rex Michael a sede b. *Petri* institutores expetierat — Graeci legatos papae minime voluerunt recipere —, miserunt ad regem Bulgarorum epistolam, quam ille statim per legatos romanos papae tradidit. *Le Quien* ex epistola papae Ioh. 8. ordine 192 ad Michaelem, colligit, eum a legatis romanis, non vero graecis, et quidem *in Bulgaria* baptizatum;

Pagi vero putauit, Conſtantinopoli id factum, quod minus certum videtur, licet *Simeon* logoth. et *Georgius*, monachus hoc dicant. Videntur autem graeci facile vel ſine fraude ipſi decepti eſſe: quia ſciebant, ab *Ignatio*, patriarcha, anno 870 epiſcopum *graecum* Bulgaris datum, annos poſt baptisma vix *quinque*; hinc varie aberrarunt, latinarum rerum ignari et minus ſtudioſi. Eo anno *Bulgari* eiecerunt latinos ſacerdotes; nempe *Baſilii* largitionibus et muneribus cedebant Bulgari, vt ſcribit ipſe *Porphyrogen.* in vita aui ſui.

Pauliciani horrenda calamitate adfecti fuerunt, ſub *Theodora;* poſt pacatos Bulgaros, ea animum appulit ad *Manichaeos*, ſeu Paulicianos, ſiue emendandos, ſiue extirpandos; miſit eam in rem viros dignitate quidem illuſtres, (nominat eos *Conſtant.* Porphyrog. *Cedrenus* &c.) ſed qui ἀδεξιως et ἀφυως, vt *Zonaras* iudicat, lib. 16, ſeu vt alii, μη μετριως ἀλλ' ἀγριως, rem iſtam aggreſſi ſunt. Nempe alios in palum et crucem egerunt; alios gladiis caedi iuſſerunt, alii mille aliis *ſuppliciorum* et *tormentorum* generibus affecti fuerunt. Haud paulo prudentius egerat *Nicephorus*, inde ab initio ſeculi, qui liberalem religionis facultatem his hominibus permiſerat; nec ſolent ſcriptores futiles *Nicephoro* ideo parcere. Poſtquam δεκα μυριαδες, centies mille homines tam barbarica ratione occiſi fuerant: rei atrocia tandem mouit *Carbeam*, (qui fuit eiusdem ſectae,) πρωτομανδατορα *Theodoti*, στρατηγε orientalium; eius pater palo affixus fuerat. Is igitur cum 5 millibus ad *Ameram Melitenes* ſe contulit; inde in romanam ditionem ſaepius irruptiones factae; Manichaei tres vrbes condiderunt, et Saracenorum adiuti copiis eximia damna rei romanae intulerunt. Tam barbarica et tam infana fuit illa religio Graecorum chriſtiana, imaginum ſtupido ſtudio et auita ſuperſtitione infecta: vt pati noluerint, homines alios ſuo vti ingenio ad religionis informandum modum. Aduerſus *Manichaeos* a. 871. parum feliciter arma mouit *Baſilius*; miſſus fuit etiam *Petrus* Siculus

culus a Baſilio ad principem Manichaeorum *Chryſocherum*, qui in vrbe *Tephrica* in minori Armenia habuit, vt captiui commutarentur. *Tephrica* tamen expugnata tandem; ſub *Leone* porro attriti fuerunt. Sub imperatore *Michaele*, balbo, non paucae prouinciae, quae ſub occidente ſole ſitae erant, graecum imperium excuſſerant ſuis iam legibus victurae, ſub *Zupanis* variis; eas inter *Chrobati*, (Croatae), *Serbli*, *Zachlumi* &c. multi ſimul etiam *chriſtiana ſacra* abiecerant. Sub *Baſilio*, (vt narrat *Conſtant.* porphyrog. in eius vita, *Cedrenus* &c.) cum viderent, quid in Dalmatia per romana auxilia geſtum eſſet, ſponte redierunt ſub graecum dominium; *Baſilius* ſtatim ſacerdotes miſit, vt priſtinae fidei reſtituerentur; ſic omnes *illi baptizati*, qui in iſtis prouinciis viuebant. Termini harum gentium hic ibi ad Latinorum fines pertingebant; alii *Slaui ſub imperio occidentis* erant; (epiſtola *Ludouici* 2, imperatoris, ad *Baſilium* Macedonem, ap. *Baronium* a. 871. n. 73.) Papae *Iohannis* 8. epiſtola ad *Sedeſclauum*, (Serblorum narentanorum principem; cuius *Zupania* ab aliis regibus *Dalmatiae* propriae, ſeu *Chrobatiae* maritimae, diſtincta fuit) vtitur ea inſcriptione: *dilecto filio* S. glorioſo comiti Slauorum; hunc adiuuerat *Baſilius* in tuenda prouincia iſta Dalmatiae; cuius incolae iam chriſtiani erant; (*Porphyrogen.* cap. 30. de adminiſtr. imperio, ſub finem pag. 79 edit. venetae). Res occidentalium horum Slauorum, quae ad *romanam* eccleſiam pertinent, collegit accuratiſſime *Aſſemani* Kalendar. eccleſiae vniuerſae tom. 4. pag. 350 ſeqq.

Iudaeos idem Baſilius ad chriſtiana ſacra traducere ſtuduit; 873. 874. Laudat aui iſtam diligentiam *Porphyrogennetus* ipſe; iuſſit Iudaeos *diſputationibus* cum chriſtianis experiri, vt aut vincerent aut baptizarentur; propoſitis etiam *muneribus* et *honoribus*; vectigalia remiſſum iri, ex obſcuris nobiles ſe facturum &c. itaque non pauci videbantur ea ratione chriſtianismum amplexi; ſed *poſt imperatoris* mortem, vt canes ad vomitum redierunt. Facile intelli-

intelligimus, *publicae religionis* fere parem fuisse auctoritatem, ac potestatis ciuilis; qui hanc subibant, bello victi, iidem et religioni publicae subiiciebantur; ea res, vt vel emendandis hominum rebus asperis atque incultis, vtilis fuit, si vis nulla menti atque ingenio illata fuit; si stupor et barbaries expugnabatur: nec a nobis reprehendenda est; christiana vero religio, quae menti potius inest, quam membris corporis aut artificiis et commerciis ciuilibus, illa ratione non adiuta fuit, nisi simul cognitionis incrementum et vsus proprius augere potuit.

CAP. II.

De Conciliis, legibus, ritibus ecclesiasticis.

Breuiter hoc loco ea primum colligemus, quae ad imperium *Francicum* et res Germaniae pertinent; postea ex aliis prouinciis sub *occidentem solem* similia breuius recensebimus; atque inde e *graecis* scriptoribus repetemus, quae ad hoc argumentum ecclesiasticum iure referri possunt. Ex istis quasi documentis, tam de *iure ecclesiastico*, vt fuit his temporibus, quam de omni *ordine publicae religionis* longe accuratius poterit a nobis sententia ferri.

Edictum Caroli M. quo *tria triduana ieiunia* ab omnibus celebranda indicuntur, refert ex *Mansii* supplemento *Harzheimius*, in an. 801; a vino et carne abstinendum his 3 diebus, et ieiunandum vsque ad nonam: — alii *redimere* possunt eleemosynis, quod ieiunando complere non valent; — Hora 9 omnes ad ecclesias vicinas, vbi eis denuntiatur, conueniant; aliquo spatioso loco *letania procedant*, psallendo ecclesiam intrent — vnus quisque presbyter *missam cantet*; alterius ordinis clericus

cus vel monachus, ſiue deo ſacrata, L pſalmum ſimiliter *cantet.* — ob ſterilitatem terrae, famis et peſtis periculum, et bella a gentibus vicinis imminentia. *Mandatum* Caroli ad *Garibaldum*, ep. leodienſ. vt ante baptismum diſcant *infantes* et alii, orat. dominicam et ſymbolum; nullus baptizetur, niſi — — huius epiſcopi epiſtola ad ſuos presbyteros, de eadem re; ex *Manſio*, ibidem. pag. 359, dominus noſter exiſtimat, *noſtram eſſe negligentiam* — igitur vnusquisque *praedicare* et commonere, de praeceptis dei — ſymbolum, quia *ſine fide* impoſſibile eſt placere deo; haec eſt *arma ſpiritualis*, qui cum *iſta arma* pugnant &c. Huius epiſcopi inſtructionem paſtoralem edidit idem *Manſius* et *Harzheimius;* — imperator excitat pigritiam noſtram — qui in poſterum *in Paſcha et Pentecoſte* filios aut filias de ſacro fonte ſuſcepturi ſunt, debent ſcire orationem dominicam et ſymbolum. Sub initium ſeculi 802. pertinet Capitulare, quod per *miſſos* Caroli, *Adalardum*, corb. *Fulradum*, S. Quintini abb. *Hrocum*, comitem promulgatum fuit — *ex parte* imperatoris mandamus, ex *noſtra parte* hortando precamur — *de iuſticiis* faciendis. Nos dicimus *commiſſarios*; erant e clericis et laicis miſti. Cap. 17 peruenit ad aures noſtras, *in fornicatione* et immunditia multos iam *in monaſteriis eſſe deprehenſos;* — in tantum, vel aliquos ex monachis eſſe *Sodomitas* auditum. Illud hic obſeruandum eſt, poenas *in clericos* et eccleſiaſticos imperatoris nomine conſtitui; nondum enim *alio iure* clerici cenſebantur; ſed comitum c. c. presbyteri, non ſubſunt comitibus, ſed Epiſcopo; aliter honorem ſuum perdunt comites. Cap. 25 comites et centenarii — fures, maleficos, *incantatores*, *inauguratrices* — nullo ſub tegmine celare audeant. C. 30 de his, qui ad imperatorem confugiunt, aliquid nuntiare cupientes, ſiue ex chriſtianis, ſiue ex paganis; aut propter inopiam. De *purgatione* criminoſorum clericorum, ex conſulto *Leonis* 3 papae; — iſta omnia, *quia vires noſtras excedunt*, in iudicio epiſcoporum *relinquimus* definienda,

finienda, per canonicam auctoritatem. Nempe et sic *ius summum* manet imperatori in istos clericos. In Synodo Aquisgranensi 803, *Carolus* confirmauit auctoritatem *canonum* veterum, regulae S. Benedicti; officium ecclesiasticum ex more *romano* per omne suum regnum iussit psallere; scholas cantorum instituit. Ad historiam reformationis monasticae facit *Simperti* collectio, *regularia decreta*, forte ex hac synodo; in iis — de *Hebdomadariis legentibus* — de fratrum ministerio in *coquina*, *pistrino*; *lauatione* vestium; calceamentis consuendis — vt a *volatilibus* abstineant monachi; de *lauatione pedum* in XL et coena domini; de phlebotomandis, et qui potionem medicatam biberint. *Caprina* vestimenta seu serico circumsuta, monachis interdicta sunt. *Radendi* vsus media XL in sabbatum Sancti paschae differatur. *Carcer* fiat, in quo focus fieri potest. Fiant *copae balneariae* pro infirmis; ceteris vero vsus balnei interdictus; de prohibitione *osculi feminarum*; et ne monachi *nudi verberentur*. Vsum latinitatis potius, quam rusticitatis, sequantur, qui inter eos scholastici sunt.

Conuentui apud *Salz* a. 804 solet adhaerere admonitio imperatoris, ad presbyteros. n. 12. vt sacerdos totum psalterium memoriter teneat; etiam *signaculum* et *baptisterium*; *poenitentiale*; cantum et computum; nullus baptizet, nisi in Pascha et Pentecoste, excepto infirmo. *Capitulare* dominicum ad *Theodon.* villam 805. C. 3 de *scribis*, ne vitiose scribant; et ep. abbas, comes, suum notarium habeat. C. 5 de *medicinali* arte; vt infantes hanc discere mittantur. C. 6 ne *altaria* superabundent in ecclesiis. C. 8 qui seculum relinquunt, ad seruitium *dominicum* (imperatoris) impediendum; et tunc neutrum faciunt. C. 11 ne serui et ancillae *supra modum* in monasteria sumantur; ne desertentur villae. C. 14 ne *puellae velentur*, antequam eligere sciant, quid velint. Vt omnes sacerdotibus, tam *maioris* quam *minoris ordinis*, obediant.

Concil.

Concil. prouinciale Salisburgense 807. de *decimis* debent 4 portiones fieri; episcopis, clericis, pauperibus, fabricis ecclesiae. Itaque isto tempore per istas prouincias *bona ecclesiastica* nondum clericis in propria beneficia fuerunt distributa. Concil. *Aquisgranense* 809, vtrum sicut *procedit Spiritus S.* a patre, ita procedat a filio; ita describunt *annales Francici* plures. Monachus graecus Iohannes, Hierosolymitanus, in Galliam ad *Carolum* missus, audiuerat, in palatio cantari, a patre *filioque* procedit; inde fuit occasio. *Leo* paucis mensibus post *Romae* synodum habuit, ne illa phrasis, *filioque* porro publica auctoritate continuaretur. Ad hanc causam pertinet *Caroli* epistola ad *Leonem* 3, post concil. *Aquisgranens.* collecta sunt multa *testimonia* patrum; *Athanasii* etiam et *Cyrilli*. *Ratio* de symbolo fidei, quae habita est inter *Leonem* et missos *Caroli*, auctore *Smaragdo*, abb. qui fuit ex missis. Quaerunt, si quis hoc nescierit, vel ita non crediderit, *num saluus* esse potest? Papa liberaliter sententiam fert: si quis *ad hoc pertingere potest*, vt id scire aut credere *noluerit:* saluus esse non potest — multi ad talia fidei *altiora mysteria* subtilioraque sacramenta *pertingere non valent* &c. Ita decebat et porro de talibus *decretis* nos statuere, licet *stilo ecclesiastico* soleant dici sacrae fidei altiora *mysteria*; nempe μυστηρια, quae a multis christianis, sine damno, ignorari solent, quae vero ob clericorum diuisas sententias auctoritate quadam externa describuntur. *Catholici* esse non possunt, recte pergit papa: quod est clericorum praecipue nomen. — vos laboratis, (dicit papa) ne quiescatis, qui sine profectuoso labore potestis quiescere &c. *Papa* non solum sibi non tribuit, auctoritatem dogmaticam, sed etiam prudenter hanc causam agit, et sic, vt optandum esset, inde a seculo quarto iam viros sapientes de variis quaestionibus eiusdem generis tam prudenter et pie respondisse! Nos certe hodie sapere licet.

Capitu-

Capitulare interrogationis, Caroli anno XI, de iis, quae communi omnium vtilitate interrogare conſtituit. Cap. 5. in quantum ſe epiſcopus aut abbas *rebus ſecularibus* debeat *inſerere*; vel in quantum comes vel alter laicus *in eccleſiaſtica negotia*. Quid eſt id apoſtoli, *nemo* militans deo, *implicat ſe ſecularibus negotiis*. C. 6. *quibus abrenuntiat vnusquisque* in baptismo? C. 10. de vita et moribus *paſtorum noſtrorum*. Breuis capitulorum, quibus *epiſcopos et abbates* alloqui volumus et *commonere*; eſt verboſior recenſio; (apud *Sirmondum* tomo 2. concil. Galliae; *Baluzium* capitul. tomo 1. *Harzhem.* tomo 1.) Magni momenti ſunt iſta capita; C. 2 — vt quilibet eccleſiaſticorum *a nobis ea non quaerat*, in quibus eis *conſentire non debemus*. C. 4. quid ſit, quod *apud eos dicitur*, ſeculum relinquere; vtrum in eo ſolo, quod arma non portant, nec *publice* (non caret ἐμφάσει) coniugati ſint. C. 5. ſi ille ſeculum dimiſſum habeat, qui quotidie *poſſeſſiones* ſuas augere quolibet modo, *qualibet arte* non ceſſat: *ſuadendo* de caeleſtis regni beatitudine, *comminando* de ſuppliciis inferni, et *ſub nomine dei* aut cuiuslibet ſancti, tam diuitem quam pauperem, *qui ſimplicioris naturae ſunt*, exſpoliant, et *legitimos* haeredes eorum *exhaeredant*; vnde ad ſcelera et latrocinia delabitur, cui paterna haereditas praerepta eſt. (Deſcribuntur artificia clericorum et Ieſuitarum, — C. 6. qui moribundis aut imperitis facile imponunt.) an ſeculum reliquit, qui cupiditate ductus — alios *ad falſa teſtimonia* et *periuria* pretio conducit. C. 7. quid de his dicendum, qui quaſi ad amorem dei et ſanctorum, *oſſa et reliquias* SS. corporum *transferunt*, nouas baſilicas conſtruunt, et quoscunque potuerint, *inſtantiſſime* adhortantur, *vt res ſuas illuc tradant*. 9. — *eccleſiaſtici* laicis debent *in vita ſua exemplum* praebere promiſſionis et abrenuntiationis baptismatis. C. 10. in quo canone, in cuius S. patris regula conſtitutum ſit, *vt inuitus quilibet* aut clericus aut monachus *fiat*. Cap. 11. tolerabilior videtur *imperfectio*

can-

cantandi, quam viuendi — plus ſtudet, vt ſuus clericus vel monachus *bene legat*, et cantet, quam *iuſte et beate viuat.* — *Baſilicarum* ſtructio *veteris legis* quamdam trahit conſuetudinem; *morum autem emendatio proprie* ad nouum teſtamentum — 12. qua regula monachi vixiſſent in Gallia ante regulam Benedicti? —' (Hic iam nemo, niſi coecus et malus, dubitabit, num *ius ſacrorum* fuerit penes *Carolum?*) Summum Caroli ius circa ſacra publica, porro vel ex iſta celebri epiſtola patet, quam ad aepiſcopos regni Francorum miſit, vt vnusquisque ſcripto rationem ipſi reddat, qualiter aep. et epiſcopi inſtituant ſacerdotes ſuos et plebem commiſſam, *de baptismi ſacramento*, et cunctis ritibus baptismalibus; paruerunt mandato, *Odilbertus* aep. mediol. *Leidradus* aep. lugdun. *Amalarius*, aep. treuir. (eius Epiſtolam de caerimoniis baptismi edidit poſt Caniſium, reuerendiſſ. *Honthemius* tom. 1.) *Theodulfus*, ep. aurelian. (*Sirmondi* opera tomo 2. p. 679. edit. veneta;) *Ieſſe*, epiſc. ambian. Satis mirari vix licet, ſucceſſores *Caroli* et reges principesque alios, ab iſto tramite deiici ſe paſſos fuiſſe; et ius eccleſiaſticum tam imperite diuiſum fuiſſe, cuius tamen idem vnus terrae dominus ſtator eſt et manet, licet ciuilem regulam alio ordine praeeat.

An. 811. *Carolus* controuerſiam inter aepp. *Aquilegienſem* et *Salisburgenſem*, de *carantana* prouincia, diremit, conſtituto *Drauo* fluuio pro limite; ille *antiquitate*, iam antequam Italia a Longobardis fuerat inuaſa, vt *ſynodalia geſta* hoc confirmabant; hic Romani pontificis auctoritate, eam prouinciam ſibi tribuebat, praeceptis *Zachariae*, *Stephani* atque *Pauli.* Ex *Hanſizio* repetiit *Harzheimius* tomo 1. An. 812. magna fuit diſſenſio inter monachos *Fuldenſes* et abbatem; monachi rem ad imperatorem detulerunt, *veterem diſciplinam* defendentes; libellus eorum ſupplex poſt *Browerum* et *Mabillon.* exſtat in *Harzheimio*, tomo 1. p. 402, ex quo ad *conſuetudinem eccleſiaſticam* huius aetatis multa colligi poſſunt; inter alia n. 7 fatentur, cauendum eſſe, ne quis *magis propter commoda terrena* ſe

mona-

monaſterio ſociet, quam — 8. Ne quis propter pecuniam, fictis ſuaſionibus ſeductus et blanditiis deceptus — 12. Vt aedificia immenſa et ſuperflua omittantur. 19. In ſingulis diebus dominicis *gloriatio crucis* fiat ante Miſſam. — Concilium *Moguntiacum* an. 813. canonum 55. Cohaeret omnino cum Capitulari interrogationum, ſeu *reformatione ſacra* Caroli. In praefatione Carolus dicitur *verae* religionis *rector* — gratias deo egimus, quia eccleſiae ſuae conceſſit tam pium habere rectorem, qui ſuis temporibus ſacrae ſapientiae fontem aperiens, *oues Chriſti reficit* ſanctis alimentis ac *diuinis inſtruit diſciplinis* — de fauce diri draconis multorum animas ſtudet eripere et ad ſinum eccleſiae reuocare; (*nihil quicquam de papa.*) tres turmae; 1. *Epiſcopi*, legunt Euangel. epiſtolas et actus apoſtolorum, canones, et diuerſa SS. patrum opuſcula. 2. *Abbates* et probati monachi, regulam S. Benedicti. 3. *Comites* et *iudices*, in mundanis legibus decertantes. — quicquid in his capitulis *emendatione* dignum reperitur, veſtra imperialis *dignitas iubeat emendare*, emendata *confirmet*; (ſine papa). 1. De vera fide *omnes omnino* chriſtianos *alterutrum* inter ſe iugiter admonere et *docere* oportet; maxime tamen ſacerdotes. 3. Qui caritatem tenet, etſi non vacat ſcripturarum ſecreta penetrare, ille tenet quod patet, et quod latet in SS. 6. Si inuenti fuerint, qui *propter traditiones* (ad eccleſias) exhaeredes facti ſunt, aliorum ſuaſionibus aut aliquo *ingenio* (fraude, arte): *volumus emendari*. 8. Vt epiſcopi conſentientes ſint comitibus ad iuſtitias faciendas. 14. Quaenam ſunt *ſeculi*. 15. *Imitatio* Apoſtoli. 34. Vt 4 anni tempora obſeruentur, in *Martio*, *Iunio*, *Septembri*, Decembri. 36. *Feſtiuitates anni* — aſſumtio Mariae; dedicatio 5. Michaelis. 43. Nullus presbyter *ſolus* miſſam cantet, ſi nemo cum ipſo eſt. 44. *Oblatio* facienda a populo, quae eſt magnum remedium animarum. 45. Symbolum et orat. dominicam omnes diſcant; qui aliter non potuerit, *in ſua lingua diſcat*. 50. Praecipimus epiſcopis, abba-

abbatibus, *vicedominos*, praepoſitos, *aduocatos* ſiue defenſores bonos habere. 51. Ne corpora SS. *de loco ad locum* poſthac transferantur ſine conſilio principis, vel epp. 52. Ne *intra* eccleſiam ſepeliatur, niſi epiſc. abb. digni presbyteri, vel *fideles laici.* Similia exſtant in capitulari anni imperii Caroli 13. etiam in aliis incerti anni, ex quibus ſatis patet, ius ſummum ſacrorum publicorum *ſanctum Carolum* exercuiſſe. Non rari ſunt canones contra ſortilegos, et qui *omina* (ſic lego, pro omnia) obſeruant, et *phylacteria* circa collum portant, neſcio quibus verbis ſcriptis aut veneficiis; et quae *potiones* dant, vt *partus excutiant*, et diuinationes faciunt pro hoc, vt a maritis ſuis eo maiorem amorem habeant — qui cum quadrupedibus miſcentur — de furto, de *minoribns* et *maioribus cauſſis.*

A *Ludouico pio* an. 816. *generalis ſanctusque* conventus in palatio Aquisgrani conuocatus fuit: in quo edita eſt *forma inſtitutionis* canonicorum et ſanctimonialium: id iuſſu et admonitione *Ludouici* factum fuiſſe, praefatio fatetur: ne imperiti ob librorum inopiam aut tarditatem ingenii, ſe excuſare poſſent. Conſtat liber primus 145 capp. ex patribus latinis, et conciliis vetuſtis. Liber 2, de inſtitutione ſanctimonialium capp. 28. *Ludouici* epiſtola ſupereſt, quam ad *Arnonem*, aep. Salisburg. ſcripſit, pro *confirmatione huius regulae*; cuius exemplum apud armarium palatii retentum fuit, vt probari poſſit, ſi quis eam incurioſe transſcripſerit; — direximus tibi etiam *pondus* et *menſuram*, ſecundum quae clericis et ſanctimonialibus *panis et potus* aequaliter tribuenda ſunt. Ex epiſtola *Hetti* aep. treuir. (tomo 1. reuerendiſſ. ab Hontheim.) ad ſuffraganeum Tullenſem, patet: quam reuerenter et ſollicite imperatoris voluntas ab epiſcopis fuerit obſeruata; *in placito* enim dominus mandati ſciſcitabitur de obtemperatione. Capitulare Ludouici a. 816. Aquisgrani, pro vtilitate eccleſiae. Cap. 7. ab his perſonis nemo eccleſiaſticus aliquid accipiat, quarum liberi aut propinqui *ea inconſulta oblatione* poſſint exhaeredari; aliter *acceptor* ſynodali vel *imperiali ſen-*

vtriusque regiminis, ecclesiastici et politici, et in quibus ecclesiae dignitas praefulgeat imperatorum maiestati. Hic primum in Gallia episcopi vox corrupta et barbara audita fuit; hic primus, post ista *decretalium* deliramenta, noua pontificis romani studia exornare et defendere ausus fuit. Corrupti interea militum duces plerique Ludouicum (in *campo mendacii*, *Theganus*;) turpissime deserunt; is in rebellium filiorum se manus iam dat; throno non dignus declaratur &c. Imperator iam non sine scelere publico *Lotharius*, ad comitia *compendiensia* 833 patrem adducit. *Ebbo*, aep. rhemensis, qui Ludouico et liberi hominis honorem et omnia debebat, ingratissimus homo, sacram infamiam miseri *Ludouici* proponit et studiose procurat; *poenitentia ecclesiastica* Ludouico a scelestis episcopis decreta; nec enim metus *Lotharii* hic quosdam a sceleris societate seiungit; nempe tantum fuit scelus, vt *imperatori* spatium datum non fuerit, vel verbulum pro se dicendi. Abductus imperator in aliam vrbem, *suessionem*, in ecclesia S. *Medardi* pudendam et diabolicam caerimoniam subire cogitur per sacros nebulones istos, quorum flagitium immane centies imposita ista scena non satis ad homines ingenuos et bonae mentis amantes expiare poterat. Dei etiam numen immiscuerunt hominum sceleratissimi; deum falli non posse ingerunt imperatori, praeeunt infanda lingua et manu infausta carmen et elogium; publice se ipsum accusare cogunt *sacrilegii*, *homicidii*; diuisionis primae male rescissae; quod in XL militarem expeditionem fieri iusserit; quod in exilium miserit probos homines &c. Nec enim oculi ferre possunt, scelerum sacram atrocitatem; et vix profecto credimus, tam infandam fabulam publice sic peragi potuisse, nisi a sentina et faece nebulonum sacrorum. *Goswinus*, episc. osnabrugensis, discinxit imperatorem, et gladium ei abstulit. Adeo ecclesiasticos hos nebulones nouae auctoritatis spes in horrendo scelere coniunxit omnes! Supersunt infanda *acta exauctorationis*, ne iusta indignatio in istam sacram malignitatem per omnia se-

cula

eula desit. E populo, (quia iustum et aequum laici saepius longe castius amant, quam clerici multi,) exordium indignationis; pertinuit facile idem sensus ad meliores alios; itaque maledictis et diris locus iam factus; multis et pudor rediit. *Ludouicus* rex Bauariae et *Pipinus*, rex Aquitaniae, patrem restituunt, qui haud scio an ex naturae sinistra benignitate, an prudentia suadente, tam facile veniam atrocissimorum criminum dedit, vt fere videatur, ipse non ignorasse, aduersus alteram istam partem per omnem aetatem et iudices et vltores numquam defuturos. Iam et nos lectoresque iuuabit quasi ipsi interfuissemus barbarico spectaculo, non sine vario liberali ad nos aliosque fructu, in hominum societatem redire. Plerique enim omnes viri probi abhorrent ab ista scelerum immanitate; fatentur Galli scriptores eruditiores, *antiqua iura* etiam in ecclesiasticos homines et res ad externam religionem pertinentes penes imperatores, et reges suos in regno, fuisse; vid. *Bochelli* iam nominatum corpus; et *Petri* de *Marca* commentarius de *concordia sacerdotii et imperii* lib. 6. c. 24-28, qui satis ostendit, sub *Carolo caluo* demum introduci coepisse *ingentes nouitates* in *gratiam sedis apostolicae*; et, ne aciem quasi instruam, *Baluzius* in notis ad Capitularia, loco non vno; praecipue pag. 1213. tomo 2, ad istud *Gelasii* carmen in Epistola ad *Anastasium*, imperat. *duo quippe sunt* &c. Recte obseruat, post *Isidori Mercatoris* triumphos de *veteri disciplina*, ineptissimam *diuisionem* potestatis, in *secularem* et spiritualem, locum demum inuenisse; hoc venenum etiam in collectione capitularium per *Benedictum Leuitam* haerere, atque inde rudiores iam homines vel de *regno papae* et auctoritate ecclesiastica diras sententias tulisse; addit *Baluzius*, vt eo fortius pungat, se numisma, *Iulii* 3 habere, ista inscriptione: D. Iulius III. reipublicae christianae *rex* ac pater &c. Hoc igitur seculum tristi et turpi illa infamia notatur, quod fundamenta falsae *potestatis ecclesiasticae*, cui vel reges subsint, in eo iacta praecipue fuerunt. *Du Pin*, de *antiqua*

qua eccleſiae diſciplina diſſert. 7. (in qua probatur, pontificem aut eccleſiam, (i. e. homines eccleſiaſticos, nullam habere in reges auctoritatem, nec poſſe reges ab ipſis vllatenus deponi) pag. 524. agit de *Ludouici* pii exauctoratione, ſed frigide et minus accurate.

Pergimus in recenſendis *conciliis*. In praecepto *Lud.* pii an. 834, qua *Anſchario Hamburgenſis* eptus et ſeptentrionalis legatio tribuitur, ſcripſit: — multo magis ad nos pertinet, vt eccleſiae catholicae atque apoſtolicae quam Chriſtus — *nobis regendam* tuendamque *commiſit* — Cum Synodus an. 835 in *Theodonis* villa aduerſus perfidos iſtos epiſcopos haberetur, quorum maleficiis praecipue iſta exauctoratio imperatoris procurata fuerat: *Florus*, diac. lugdunenſis, patribus praecipuis obtulit epiſtolam, qua queritur *de libris Amalarii*, chorep. lugdun. quos mendaciis et deliramentis plenos inuenerat; ex *Martenii* collectione ampliſſ. tomo 9. *Manſi* repetiit in *ſupplem.* concil. tomo 1. et *Harzhemius*; contra librum, quem *Amalarius* nominarat, 1) *officialem*, 2) *antiphonarium*, 3) *embolin* opuſculorum ſuorum. *Amalarius* inter alia de *corpore Chriſti* (triplici) fanatica deliria ſparſit; an recipiatur inuiſibiliter in caelum, e mortuis hominibus, an in ſeceſſum abeat; ſpurciſſime diſputat de *ſputis* et *flegmatibus*; 4 *ieiunia* refert ad 4 *humores* corporis humani; 2 lectiones in miſſa quartae feriae legi, ob Phoebum et Phoeben, eo die, creata ſidera. — omnia in allegorias et myſteria mutat; — libellum *romani ordinis* tantae auctoritatis habet, vt eum pene ad verbum nitatur exponere (ergo nondum in *lugdunenſi* eccleſia adeo receptus fuit ille *ordo*) — ſic *ſentire* clamat *omnem germaniam*; ſe fuiſſe *Conſtantinopoli* — clare *Florus* hic dicit: prorſus *panis* ille SS. oblationis, *corpus eſt Chriſti*, non materie vel *ſpecie* viſibili, ſed *virtute* et *potentia ſpirituali*; nec enim *in agro* nobis corpus Chriſti gignitur, nec *in vinea* ſanguis eius; (ergo manet *panis* et *vinum*, phyſicum.) — efficitur *ſpiritualiter* corpus Chriſti — vnde

et

et fideliter petimus, vt quod *ore contingimus*, pura *mente capiamus; mentis eſt* cibus, non ventris — pie ſumit, qui — in illo cibo et potu viſibili, *virtutem intelligibilis gratiae* eſurit ac bibit — *Chriſtus* (vt *Melanchthon* loqui ſuadebat,) enim, dei virtus et ſapientia, in eo ſumitur. — *confert* enim (Amalarius) diuina volumina aſſidue *cum Hebraeis*, et quia nullam linguae eorum, nullam litterarum, familiaritatem habet, frequenter, vt audio, quae ſunt recta, peruertit; (ergo *latinam* translationem emendare voluit;) patres *Euangelia*, quae Hieronymus ab *Heſychio* et *Luciano* falſata eſſe commemorat, *inter libros non recipiendos* abiecerunt.

Concil. *Aquisgranenſe*, iuſſu *Ludouici* pii, a. 836. Cap. 1. de vita epiſcoporum, num. 1. vt eppi congregationes canonicorum et monachorum ſibi ſubiectas diligentius gubernent. Cap. 2. de doctrina epiſcoporum, de vita et doctrina inferiorum ordinum. Cap. 3. de perſona regis, filiorum eius et miniſtrorum. E cap. 2. n. 2. *vt e SS.* ſaluti omnium *proficua* proferre ſciant. — licet certum ſit, *neminem aſſequi omnia* poſſe in hac incertitudine poſitum — n. 12. ſi quisquam a domno orthodoxo *Ludouico* imperatore *defecerit*, aut *ſacramentum fidelitatis violauerit* — n. 4. comperimus quorumdam epiſcoporum miniſtros *auaritiam exercere* — 5. presbyteri, qui *in confectione diuini corporis* et *ſanguinis* conſortes epiſcoporum ſunt — 7. quidam presbyteri *feminas* ſecum habent et miniſtrare ſibi faciunt; 8. alii villici fiunt, et tabernas ingrediuntur, turpia lucra ſectantur — 10. presbyterorum *vita*, quae vt vos vere fatemini, *ridicula habetur* — 12. de monaſteriis puellarum, quae in quibusdam locis *lupanaria* potius videntur eſſe. Cap. 3. n. 5. epiſcopi ipſi de *auctoritate ſacerdotali* multa palatio inculcant, (mandato imperatoris). *Eiusdem ſynodi* ad Pippinum, regem Aquit. libri 3, in quibus ea, quae per commonitorium antea regi ſuggeſſerant, manifeſtis SS. auctoritatibus confirmantur. Liber 1. ex libris Moſis, ea, quae ad donatio-

nes,

nes, oblationes &c. faciunt; n. 12. apoſtoli in omnibus mundi partibus eccleſiam fundarunt, et *fidelium donis conſtare fecerunt* &c. numeri 88. lib. 2 ſimilia excerpta ex aliis libris V. T. Maccab. etiam et Iudith; n. 31. lib. 3, de templo Salomonis, qui fuit typus eccleſiae catholicae; ne quis auferat bona eccleſiae; n. 7. ideo Chriſtus *loculos* voluit habere, quod eccleſia ipſius *loculos* habitura eſſet; (eſt *Auguſtini* ἐνθύμ.) Exempla *donationum* ex *actis* App. *Ananias* debet deterrere defraudatores. Verbulum aliud non ineſt, niſi admonitiones huius generis. Conuentus *aquisgranenſis* 837, ob politica negotia (fines regno filii, Caroli, ab imperatore aſſignati &c.); ſed in eodem *palatio* ad imperatorem delata eſt altercatio de *anisolenſi* monaſterio, cuius abbas epiſcopo cenomanenſi, *Aldrico* ſubiectus eſſe nolebat; inter alia adhuc *ſingulare certamen* proponitur pro defenſione cauſſae epiſcopi; — enumeratio *documentorum* et *chartarum*, pro Epiſcopi iure, inde a *Childeberto* rege, qui *Carilepho* donandi veniam dedit.

Poſt *Ludouici* mortem 840, *Lotharius* reſtituit *Ebonem* eccleſiae rhemenſi, in conuentu in palatio *Ingelheimenſi*; ſed minus conſtat de epiſcopis, qui conſenſerint, quam de eo, *Ebonem* a ſynodo *Sueſſionenſi* tamen reiectum; rem copioſius narrat *Flodoardus* in hiſtor. Rhemenſi lib. 2. cap. 20. *Carolus* caluus et *Ludouic.* germanicus in praelio ad *Fontanetum* victores, iam nec *Ebonem* reſtitui paſſi ſunt. Iam, cum tres inter fratres *diuiſa* eſſet poteſtas, *Drogo* aep. metenſis, *Karoli* imper. filius a papa *Sergio* 2. auctoritate *Vicarii apoſtolici* donatus fuit, a. 844. Miſſus fuerat *Drogo a Lothario* in Italiam cum *Ludouico* filio, vt Romanos reprehenderet, et moneret, ne poſthac auderent *ſine* imperatoris iuſſione papam eligere; *Anaſtaſius* biblioth. narrat, altercationem *contra hanc vniuerſalem et caput eccleſiarum*, non exiguam ortam fuiſſe. Hic videtur papa callide hoc dediſſe *Drogoni*, quod facile videbat placere aliis, quibus *praeferebatur*, non poſſe;

posse; nec legimus Episcopos *Germaniae*, *Galliae*, consensisse in istum *Drogonis* honorem, nec accessisse regum fratrum auctoritatem. Papa vtitur his sententiis. — *Caroli* industria *Romanum*, *Francorumque* concorporauit imperium — *Drogoni* omnium vestrorum sollicitudinem gerere *praecipimus* — huic ergo in *congregandis generalibus synodis* (atqui hae semper adhuc *sine papa* habitae,) in omnibus regionum istarum partibus nostram commodamus auctoritatem — si cui autem ab illis partibus hanc sedem *appellare* opus fuerit, et in nostra audientia se audiri poposcerit — hoc *Drogoni* concessimus, saluo in omnibus *vniuersalis romanae sedis primatu* — Concilium ad *Theodonis* villam, an. 844; tres fratres reges convenerunt; in praefatione episcopi hoc laudant, quod reges, secundum Haggai 2, interroga *sacerdotes* legem, a nobis, *Christi vicariis*, diuinum consilium quaerere dignamini. C. 1. si ab hac *ecclesia*, *vobis ad gubernandum commissa*, amouere vultis pestilentias istas — 2. Ecclesia *pontificali auctoritate et regali* potestate gubernari debet — *anima* plus est pretiosa quam corpus — monemus igitur, vt *sedes* quae per istam discordiam sine episcopis manserunt, accipiant episcopos *a vobis regulariter* designatos. 3. Monasticus ordo a *deo inspiratus et ab apostolis fundatus* — monasteria Laicorum curae et potestati, non modica dei et sanctorum ad iram prouocatione, vos *commisisse* (commendae) dolemus. 4. — *tunicam* Christi, quam nec milites scindere ausi sunt, quantocius reconsuite, nec res ecclesiarum auferre tentate — vnusquisque (tamen) ecclesiasticus et solatium, *quo respublica indiget*, iuxta quantitatem rerum, quod exinde diuinis dispensationibus debet impendi, *promte et ex animo* parare et impigre *studebit conferre*, (hinc postea *don gratuit* videtur ortum.) 5. — si monasteria propter imminentem reipubl. necessitatem, laicis committuntur, Episcopus adiuncto sibi aliquo abbate, studeat — *Concilium moguntinum* prouinciale, sub *Rabano* 847; praefatio est ad *Ludouicum*

douicum germanicum — prationum pro vobis, vestra coniuge et prole, summa est, *Missarum* 3500, psalteriorum 1700. *Duae* turmae 1) episcoporum, 2) abbatum; (ergo *tertia*, comitum seu laicorum, nulla fuit.) — inhonestum est, vt, quod non solum a christianis temporibus, sed *etiam a paganis regibus*, tempore gentilitatis, *ad honorem dei* collatum fuit, his temporibus permutetur. Tituli capitulorum 31. num. 2. quilibet episcopus *homilias* — transferre studeat in *rusticam* romanorum linguam *theotiscam*, quo facilius cuncti intelligant. 3. *Sacramenta* baptismatis; (de hoc *plurali*, qui baptismo convenit, vide *Baluzii* notas ad *capitularia* pag. 125.) n. 7. contrarium exstat, *consentientes sint comites*, iudices, *praesulibus* suis; cum antea in concilio moguntino an. 813. pag. 280 descripserim, vt episcopi *consentientes sint* comitibus; n. 10. *decimarum* fiunt 4 portiones. 24. Qui presbyterum occidit, si negauerit, si liber est, cum 12 iurat; si autem seruus, per 12 *vomeres feruentes se purget.* 27. Pro iis, *qui in patibulo suspenduntur*, oblationes offerre et missas facere, licet; conuersio in vltimis positorum *mente* potius quam *tempore* aestimanda. 30. In *quarta* generatione coniugium vetatur; separentur. — Haec petimus, *vt vestra auctoritate firmentur.* In hoc episcoporum conuentu *Thiota*, pseudoprophetissa sententiam accepit, vt publice flagellis caederetur. Dixerat, *eo anno* vltimum mundi diem imminere; vnde multi munera ei attulerunt, etiam ecclesiastici quidam, *postponentes* doctrinas ecclesiasticas, eam quasi magistram sequebantur. Dicitur fassa esse, presbyterum aliquem sibi talia suggessisse, seque quaestus caussa hoc egisse. (annales Francorum plures.) In eodem Concilio *iubente* rege *Ludouico* actum, de *coniunctione* episcopatus *Hamburgensis* cum *Bremensi*; hic enim iam carebat pastore, et Hamburgensis vix habuit 4 ecclesias baptismales; aliam partem, vltra Albim, recepit *Waltgarius*, ep. *verdensis*. Postea statuerunt episcopi, *regis quidem potestatem* esse, vt dioecesin admodum paruam

paruam augeret; ſed locum ipſum non mutandum, quem ſemel apoſtolica auctoritas honore Epiſcopatus ornauit; itaque Brema Hamburgum diſceſſit *Anſcharius* — A. 849 in conuentu *moguntino*, *Godeſchalcus* conuictus, et ad proprium epiſcopum *Hincmarum*, remenſem, transmiſſus eſt; iurauit antea, in regnum *Ludouici* ſe non redituram; ſupereſt *Rabani* ſynodalis ad *Hincmarum*. Hic et diploma *Ludouici* editum, vt reſtituantur decimae eccleſiae *osnabrugenſi*; nemo poteſtatem habeat homines illius iudicandi, quod eorum lingua *oberzala* dicitur — exceptis decimis — quod nos *Forawerch* dicimus. *Synodus* alia *moguntina* 852 epp. et abbatum *orientalis Saxoniae*, *Franciae*, *Baioariae;* ſynodalia iudicia rex decreto ſuo roborauit, annal. *Fuldenſes*; diploma pro monaſterio *Rhinaugienſi*: quoniam *principem* ac defenſorem *eccleſiarum* nos fecit dominus etc. rogarunt nos, vt — iſtum *conſtitueremus* abbatem, quod et fecimus. — *aduocati* eccleſiarum plerique facti ſunt rapaces exactores; *eligendi* igitur ius monaſterio conceditur — cum banno regali. In concilio *wormatienſi* 857 tandem conſenſus aepi colonienſis impetratus fuit, vt exiret Brema e nexu ſuffraganei colonienſis; *Salomon* ep. *Conſtantienſis* miſſus ad Papam *Nicolaum*, vt *confirmaret* honorem *Aepiſcopatus* hamburgenſis; in papae epiſtola eadem illa pallii formula, (ſi paſtores ouium ſole geluque etc,) ineſt, quae tam ſaepe poſtea alibi repetitur. — ſi *a fide et inſtitutis* aut ſanctionibus ſedis apoſtolicae, quae te hoc honore ſublimat, declinaueris: his noſtris beneficiis carebis — more ſedis apoſtolicae, vt ſucceſſores tui *iuramento profiteantur*, ſe fidem nobiscum tenere, et ſex ſynodos recipere, et *decreta* omnium romanae ſedis praeſulum, et Epiſtolas, quae ſibi delatae fuerint, *venerabiliter obſeruare* et perficere velle etc. His artibus auxit papae illa poteſtas et clientela. Acta concilii *Tullenſis*, 859 *Carolus* rex publice cauſam egit aduerſus *Ludouicum* fratrem et aep. Senon. *Wenilonem*, qui ſacramento promiſſam fidelitatem abiecerat; —

solatium, quod ex ecclesia senon. reges habere solent, negauit, in *militiam*; epistola episcoporum ad episcopos minoris *Britanniae*, quia *dolensis* noluit subesse *turonensi* aepo. Capitula epporum in conuentu *mettensi*, de indulgentia *Ludouici* regis, pro seditione et excessibus in regno Caroli etc. *Ludouicus* tantum abest, vt territus fuerit vel episcoporum minis, (excommunicatione) vt rem suam *ad papam* ipse detulerit, per abbatem *Fuldensem* et ad *Lotharium* imper. vterque *Ludouicum* facile absoluit.

Lotharii et Theutbergae causa.

A. 860 concilium *Aquense*, in *Lotharii* et *Theutbergae* caussa; hic, *licet vicisset per ferventem aquam*, confessa dicitur *Theutberga* omnia coram deo et angelis; sed violenter hoc vulnus olim ei illatum fuisse; (a fratre suo, si placet, abbate, *Huberto;*) *Hincmarus* in opusculo *de diuortio Lotharii* et *Theutbergae* recte iudicauit, hunc libellum 7 Episcoporum esse tam absurdum, vt credi non debeat, ab istis episcopis confectus esse; iterum iussu regis impotentis ob *Waltradam*, conueniunt Episcopi (nuper adhuc erat talis caussa a *Laicis* iudicanda, sub *Ludouico* pio) eodem anno, mense Febr. Aquis grani; verbis et scripto confessa petebat *Theutberga* poenitentiam; nempe plerique episcopi studiosius operam dabant *Lothario;* sed *Hincmarus* rhemensis adeo non fuit ex ista parte, vt prouocatus, aliorum coniuncta opera, qui *quaestiones* 23 transmiserant, ad quas respondere debebat, scripserit istud opusculum de *diuortio Lotharii* et *Theutbergae*, quo reginam aduersus omnem istam scenam publicam vel solus defendere ausus fuit. Tantam rem statuit *sine papa* peragnon debuisse; ad papam etiam *Ado*, Viennensis recens episcopus, scripsit. Concil. *tullense* apud Tusiacum, episcoporum ex 12 seu 14 prouinciis; aduersus rerum sacrarum inuasores; de velatis incontinenter viuentibus; de periuris; qui rapinas et scelera committunt; vt clerici et monachi,

achi, quorum ecclesiae a *Northmannis* vastatae, non vagentur passim, sed ad disciplinam redeant. Supereſt et *epistola Synodalis*, satis longa, sed quae in describenda Christi prouincia suum modum sequitur. — Christus *factis et dictis* ad aliud seculum in se credentes inuitauit; dux et doctor huius itineris, scilicet per labores et dolores promerentes regnum dei — filii dei, qui erant *dispersi*, id est, in *massa* generaliter perdita ex debita relictione *conspersi*, et ex *praedestinatione* dei *electi* — tanti (tot) homines ad plenitudinem caelestis ecclesiae sunt adscensuri, quanti, (quot) illic electi angeli remanserunt — res ecclesiasticae in tuitione Christi sunt, (longa oratio, ne quis eas rapiat,) — qui seruit *Mammonae*, (is est, *daemon* diuitiarum praepositus). Synodus *aquensis* 862, quae permittit *Lothario*, vt aliud coniugium ineat, narrant, *Lotharium* secretis lacrimis et eleemosynis, expiasse, si quid *in adhibita concubina* deliquit. Adhaerent aliae scriptiones, quas *Labbeus* e codice palatino Vaticano, per *Holstenium* descriptas, edidit; *contestatio Lotharii*, appellantis episcopos de coniugio sibi concedendo; *sententia* episcoporum *Aquisgrani* coactorum; *collectio* sententiarum ex scriptura, conciliis, patribus. — *Colonienſis* aep. *Gontharius* rei praecipuam dedit operam, e cuius familia nouam *Lotharius* coniugem se ducturum promiserat; licet vitiatam e palatio postea dimiserit. *Theutberga* interea ad *Carolum* Caluum se contulerat, remque omnem, vt ista fabula acta fuerat, iam publice fatebatur, et *Papae* auctoritatem interuenire saepius rogauerat. Supersunt *Nicolai* inter epistolas, illa ad legatos in Franciam missos, pro hac re, ad *Radoaldum*, ep. portuensem, et Iohannem, ficolensem; cum *commonitorio*. Synodum *Mettis* conuenire iusserat papa; (supersunt *epistolae*, quae arrogantius de *papae iure* loquuntur: haec sedes, quod *singulari pro auctoritate perficere valet*, multorum saepe sacerdotum *decernit* de finire consensu; ad *Carolum*;) *Lotharius* donationibus legatos papae facile corruperat, vt firmum esse statuerent

coniugium cum *Waltrada*. *Aduentius*, epiſc. metenſis, libellum apologeticum etiam ſcripſit, pro iſtis actis in cauſſa *Lotharii*, quem Aepp. *colon.* et *Treuirenſis* Romam ſecum tulerunt. (Hucbertus *acefala*; negat *Harzheimius* ſe ſcire, cur hoc ei nomen *affictum?* Eſt ἀνεφαλος. Nempe ei ſubdiacono marito, tamen abbatia S. *Martini* turon. contra canones data fuit.) Iam reprehenſus papa a *Neuſtriae* epiſcopis, qui legatorum interceſſiſſe fraudem ignorabant, ipſe *concilium romae* coegit; ſynodalis ad *Ludouici* aeppos ſupereſt; depoſiti ſtatim iſti 2 epiſcopi. 1. Synodus *mettenſis caſſata* et cum epheſino latrocinio reputata; 2. depoſitio 2 aepporum. 3. ceteri epiſcopi mittant Romam, vt veniam impetrent, ſi cum *capite*, ſede Petri, conſentiunt. 4. anathema in *Engiltrudam*, quae Boſone relicto iam per ſeptennium vagabunda diſcurrit — 5. ſi quis dogmata, mandata, — a ſedis apoſt. praeſule promulgata contemſerit, anathema. (notemus incrementa papalis auctoritatis.) Non ceſſerunt ſtatim huic auctoritati *ciſalpini*; ſupereſt 2 aepporum *Epiſtola apologetica* et appellatoria *ad totius eccleſiae communionem*, (annal. *Bertin.* et *Pithoeani* ad a. 864) — absque oris noſtri confeſſione: *tuo ſatius arbitrio et tirannico furore* nos damnare voluiſti — tuam *prauam ſententiam*, irrationabilem, canonibus contrariam, *nequaquam recipimus*, imo *contemnimus*, *tibi* que anathematizatorum fautori — communicare nolumus, *contenti totius eccleſiae communione*, quam tu arroganter te *ſuperexaltans*, deſpicis — qui fraudulentiam tuam experti ſumus, *tumidumque potentatum* (notatu dignum elogium, iam ante *Hildebrandi* tempora) agnoſcimus, *nihil tibi ſuperbiaeque tuae cedimus* &c. Hanc ſcriptionem in *Ludouici* aula compoſitam, *Gontharii* frater, *Hilduinus* ſepulcro S. Petri impoſuit, ſuorum ſatellitio defenſus; eadem cum epiſtola encyclica ad epp. in *Lotharii* regno miſſa. Sub hoc idem tempus *Nicolaus* et *Photius* de re ſumma contendebant; ad *Photium* itaque duo aeppi hanc rem perſcribunt, qui ſuae cauſſae

non

non defuit, in exponenda romani pontificis ambitione, per epistolam encyclicam omnibus patriarchis transmissam.

Caussa Rothadi ep. Suessionensis.

Magnas turbas excitauit illa caussa, quam ideo hic tantum breuiter commemoramus, quod eiusdem papae *Nicolai* immista fuit noua auctoritas. *Hincmarus* rhemensis aep. iam ab aliquo tempore parum fauebat *Rothado;* nam huius aliquis presbyter in stupro comprehensis mutilatusque, ab eo et consentientibus aepiscopis 33 deiectus fuerat a sacro munere; sceleftus homo audet *Metropolitani* adire auctoritatem; *Hincmarus* in synodo suessionensi 861 non solum hominem istum restituit in gradum suum, sed et illum presbyterum, qui in istius locum suffectus fuerat, communione priuat et in carcerem ponit. Sententiae huic, quia non consensit *Rothadus*, *Hincmarus* etiam hunc in *synodo* separauit a communione episcoporum. Non defuit sibi *Rothadus*, et rem ad conuentum *pistensem* a. 862 detulit, cuius supereft *capitulare* inter illa *Caroli* calui; sed cum intelligeret, praesidium *Hincmari* sibi obstare, papam *appellauit*; hic *Hincmarus* callide iter impediuit, eumque in alia synodo *suessionensi* a. 863 ipsum sede sua priuauit, aliumque in eius locum suffecit, ipso in carcerem truso. Facile intelligimus, *Carolo* caluo defuisse iustam auctoritatem; supereft etiam *Epistola* aliquot epporum, *Theotgaudi* aep. treuir. *Guntharii*, colon. (adeo hi papae sententiam nihil reueriti fuerunt, quam aduersus ipsos tulerat;) in qua *quaestiones* aliquot proponunt aepis et eppis in regno *Ludouici*, contra *Hincmarum* (quem isti duo defensorem *Theutbergae* experti fuerant.) Interea *Nicolaus* rem omnem resciuit, et *Hincmarum* iussit statim restituere *Rothadum*, aliter ipso facto excommunionem subiturum; nam rem omnem iam Romae tractandam esse. Sed nec hanc nec aliam papae epistolam *Hincmarus* reuerebatur; tandem *Rothado* Romam ire licuit; sed callidis litteris non

defuit sibi *Hincmarus*, ne papae auctoritatem nihil aestimare videretur. Aliis etiam accusationibus premit *Rothadum*, (quod vasa sacra vendiderit aut pignus fecerit &c.) et *canonum* varietate suam causſam non parum defendit. Papa tamen, quia accusatores non comparuerant, *Rothadum* restituit, eumque per *Arsenium* legatum reduci iussit. In *Epistolis* papae ad episcopos franciae, *decretales* istas papa non obscure ingerit, *noui iuris* semina in Galliam sparsurus, eum episcopi et *Hincmarus* luculentissime sequerentur *africanos canones*. In describenda illa causſa mirum non est etiam scriptores eius temporis non conuenire, e. c. *Bertinianos annales*, quos Natal. *Alexander* in dissertatione 6 huius seculi refutatum iuit. Legatus itaque papae auctoritatem videbatur eximie confirmasse, cum et *Waltradam* a *Lothario* abduceret, restituta *Theutberga*, (hac parte *Hincmaro* aliquid et sibi ipsi dedit;) etiam *Engiltruda* cum *Waltrada*, (poenitentiae, si placet, illustria exempla,) cum legato in Italiam ducebatur; (annales *Bertin. metenses;*) sed vtraque opportuno tempore poenitentiae istam speciem abiecit; excommunicationem itaque videmus parum terroris secum tulisse; et vel *Lotharingiae* episcopi formulam excommunicationis a papa missam aspernati fuerant, (*Nicol.* epistola 65.) *Teutberga* certe tam confisa nihil fuit auctoritati papae, vt petierit ab ipso veniam eundi in monasterium. *Epistolas* istas *Nicolai* legere operae est pretium, quas plures in his causſis scripsit; in ea, quae ad *Ludouicum* et *Carolum* simul scripta est, *Harduin.* tomo V p. 244, se excusat: hanc ideo *more solito* scribere non fecimus, quia legatus vester sustinere non poterat, et *scriniarios nostros*, ob paschatos festum, habere vt debuimus, non valuimus. Succubuerunt tamen papae arrogantiae quidam episcopi; *Franco* ep. *Tungrensis*, qui professionem et excusationem *romam* misit, aepp. etiam istos 2, qui *Waltradam* iuuerant contra *Teutbergam*, ex catalogo episcoporum deleturum se receperat; *Aduentius*, ep. metensis, *maiestatis vestrae* et *clementiae*,

tiae, vſus titulo, idem fecit; decretum veſtrae auctoritatis, *iudicio ſpiritus ſancti* — Pro hoc *Aduentio* etiam *Carolum* caluum apud papam intercedere non puduit; *vniuerſali papae* iam ſolent quidam inſcribere litteras. Obſeruamus hic, iam locum habuiſſe *formulas* ſtatas epiſtolarum papalium; e. c. reſponſio ad *Franconem* et hunc *Aduentium*; inde ab ea periodo, *quid autem mirum, ſi Guntharius* &c. Sed iam deſinimus huic rei immorari; et *epiſtolas* papae in cauſſa aepporum duorum recenſere; omnium inſtar eſt illa Nicolai ad epp. in regno *Ludouici* ap. *Harduinum* &c. Tandem ſub *Adriano* Guntharius ſubiecit ſe ſententiae a Nicolao latae; *Lotharius* autem ſacram coenam e manibus *Adriani* quaſi experimenti loco, et innocentiae κριτηριον fatale, accepit.

Iam pergimus in *conciliis* recenſendis. Concil. *Wormatiae* 868, *iuſſione* Ludouici; (excuſum eſt cum moguntino 831. *Baſileae* 1532. 4. quam editionem *Harzheimius* non contulit.) canones 80 collecti ex aliis, ſed in MSto *colon.* tantum 44, ordine alio, vt notauit *Harzheimius*, tomo 2, pag. 209. In profeſſione fidei dicunt eppi: *pater ipſe* eſt fons et origo totius trinitatis. — *Spiritus ſ.* ab vtrisque procedit, *quia caritas* ſiue ſanctitas amborum eſſe cognoſcitur; ſubtilis ineſt diſputatio, de *trinitate* — hanc fidem, *qui ſaluus eſſe cupit*, — retineat. c. 4. Chriſtus *panem* tantum et vinum cum aqua cum hoc ſacramento *praebuit;* c. 5 alii *trina* alii *vna merſione* baptizant. c. 15 *miſſa pro furto* detegendo habeatur; (*Thomas* aquin. 3 qu. 30. art. 6 ad 3 admonet, ſeculo iſto hunc morem iam abiectum fuiſſe.) c. 30 in poenitentia conſtitutos licet matrimonium inire. Satis autem conſtat, a canone 45 nouam aliquam *collectionem* pergere, quia *repetuntur* canones de eadem re, etiam alicubi differentes; ſunt ergo alius *concilii*, licet iam in iſta editione *baſileenſi* ſic commiſceantur. *Harzheimii* ſumma negligentia corrigi facile poteſt, qui nihil omnino ipſe legiſſe videtur, alitur meminerat e. c. canonem 80 huius concilii, eſſe canonem 27 concilii *moguntini*

anni 847. canonem 79, esse 28. can. 78, esse 30. can. 47, qui iam fuerat 7, esse 10 moguntinum; itaque parcere potuerat editor operis, in describendo et excudendo. Sed ista negligentia est perpetua.

Post *Lotharii* mortem in locum aep. *treuir.* et *colonienſis*, *Carolus* caluus ſuffecit *Bertolfum* (Epiſtola *Hincmari* et aliorum ad *Ludouicum* regem, pro *Bertulfo*, exſtat apud reuerendiſſim. *Honthemium* tom. I. p. 212; *Bertolfo* oppoſuerat Ludouicus *Waltonem* aliquem;) et *Hilduinum*; *Ludouicus* autem, per *Moguntinum*, alium ſedi *colonienſi* deſtinauit, *Willibertum;* rex vterque ex *ſucceſſione* in ius Lotharii ſacrum, *ſine papa;* non defuit tamen papa *Hadrianus* 2, nouis inſtitutis, et ad *Ludouicum* ſcripſit a. 870, fas non fuiſſe *ſine ſede* apoſtolica Colonienſem praeſulem ſufficere; idem papa negauit *Willibertо* pallium, quia non ſatis humilem rogandi et ſpondendi *formulam* ſcripſerat. Sed vel ſine papae auctoritate nouus aep. *paulo poſt* ſynodo colonienſi praeſuit ſatis magnae, cum *Liutberto* mog. et *Bertulfo*, treuirenſi, quemadmodum nec papae ternas monitiones reuerit eſt *Carolus*, de reſtituenda *Lotharingia;* inepte *Harzheimius* ideo ſynodum illam differt in annum 873, quia nunc demum a papa *Iohanne* 8 pallium acceperit; quaſi *Ludouicus* et aepiſcopus *nouum* hoc *romanum ius* non potuerint non pati. In iſta *ſynodo colonienſi Guntharius* dicitur, *venerabilis* paſtor et beatae et *dignae memoriae*, quia papae iſta excommunicatio vi ſua caruit; confirmatur *proprietas*, quam *Guntharius canonicis* conceſſerat; iidem epiſcopi hic confirmarunt, fundationem parthenonis *eſſendienſis;* in hac *Alfridus*, ep. Hildeſienſ. ſcripſit, Mariam, *vnicum*, poſt deum, ſingulare *praeſidium peccatorum* eſſe; ſed et *Mabillonius* non male ſuſpicatur, ſerius hoc diploma in gratiam *canonicarum*, quae ex monachabus factae erant, confictum eſſe — A. 887 concil. prouinciale *colonienſe*, cum conſenſu imperatoris *Caroli* (craſſi) aduerſus *raptores* rerum eccleſiaſt. A. 888, *Arnulfi* regis primo, concil.

mo-

moguntiacenſe; epiſcopi fatentur, tot *annorum curriculis* nec *generali* nec *prouinciali ſynodo* coadunati ſumus; — nunc *imperante ſeniore* noſtro *Arnulfo* — Supplebimus et hic *Harzhemii* negligentiam; caput 1. 2. 3. ſunt ex concilio *aquisgranenſi* a. 836. et quae hic exſtant pag. 370 ſeq. habebantur iam pag. 84. c. 4 iam exſtabat in Wormatienſi 868, can. 6; hic additur, eſſe *toletanum*, cap. 5 exſtabat iam pag. 204 inter canones Rabani, ex concil. *rhemenſi.* cap. 6. pag. 314 inter canon. *Wormatienſes*; &c. capite 8 hic narratur, aliquos presbytero *Würzeburgenſi* nares abſcidiſſe, et capillos &c. c. 10 per conceſſionem mulierum in vna cum clericis domo habitantium, *plurima ſcelera commiſſa*, ita vt quidam *ſacerdotes cum propriis ſororibus* concumbentes filios ex eis generarint. In hoc eodem concilio confirmatio priuilegiorum nouae *Corbeiae* et *Hervordenſis*, monaſteriorum; ſed *paderbrunnenſis* epiſcopus non adſenſit, proteſtatus potius eſſe videtur; hic *appellatio* ad pontificem romanum *epiſcopis* eſt libera, ſi quis nolit eis hac in cauſa obſequi; (*Paullini* ſyntagma rerum german. opuſc. 14.) Concil. *Metenſe* 888. Capitula variis canonibus commiſtis conſtant; c. 4. *primicerius* metenſis obtulit libellum proclamationis *ſuper Iudaeos* qui habitant *Metis.* c. 7 ſacerdos quidam, qui feminam monebat, vt ad virum rediret, caſtratus fuit. Controuerſia, quae inter *Hermannum* colon. et *Adalgarium*, Hamburgenſ. recruduit, ab vtroque ad papam *Stephanum* 5 delata; vterque recens epiſcopus mortuis ſucceſſerat; papa rem *Fulconi*, rhemenſi, requirendam tradidit, ſed paulo poſt mortuus fuit; *Flodoard* hiſtor. remenſ. lib. 4. initio. *Formoſus* papa, cum in ſynodo *francofurtenſi* a ceteris ſuffraganeis colonienſibus confirmatum fuiſſet, omnes *Hamburgenſes*, praeter hunc, ſubiectionem praeſtitiſſe canonicam, *diſpenſatione* decreuit, vt *non ſubiectione* aliqua, ſed affectu caritatis — inuitatus accedat in adiutorium colonienſis; *Adamus* bremenſis, *iniquis* decretis *Formoſum* et Arnulfum conſenſiſſe ſcribit. *Harzhemius* in *digreſ-*

ſione ad ſeculum nonum §. 6 agit, quot ſynodi in cauſa hac *bremenſi* celebratae fuerint; idem de conciliis in cauſſa *diuortii Lotharii* et *Theutbergae*, §. 8, ſed pauca tantum obſeruauit, quae notare operae ſit pretium. Concil. *triburienſe*, 895. *Arnulfo* acclamatum, *magno regi vita.* c. 2. 3. *excommunicatio* epporum contemnebatur; ideo rex iubet in carcerem duci; ſi occidantur inter reſiſtendum, nullum *weregeld* extorquetur. *canones* ſunt parui momenti, plerique iam noti; vt c. 5. ſi quis ſacerdotem occiderit; in *wormatienſi* iam adfuit, n. 26, etiam in Moguntino 888 cap. 16 etc. Sed *Harzhemius* huius generis nihil ſolet obſeruare. cap. 9 ſi in eundem diem *bannus* comitis et epiſcopi incidat, poſtponendus eſt comitis. Sunt capita 58, ſed pleraque iam adfuerunt. *Burchardus* plura capita excitat ex *triburienſi* ſynodo; ea inter, vt presbyter *ſuper* 2 vel 3 *hebdomadas* populum doctrinis ex SS. inſtruat, poſt lectum euangelium; vt miſſae in capellis cum *tabula conſecrata* celebrentur, quia eccleſiae a *Nortmannis*, *Slauis* et *Vngariis* combuſtae ſunt.

De aliis conciliis et rebus eccleſiaſticis, quae ad Italiam pertinent.

Breuiſſime tantum iſta colligemus; A. 802 Dux Venetiarum *Iohannes* precibus *Nicephori* imper. aliquem *graecum* Chriſtophorum curauerat epiſcopum eligi *Oliuolae*; diſplicuit ea res tribunis Venetis, qui *gradenſem* patriarcham rogarunt, vt ne graecum iſtum ſacris caerimoniis initiaret. Hunc igitur patriarcham dux e turri deiecit; nempe nondum ſacroſancta videbatur clericorum perſona, ſi auderent ſe opponere rei publicae. Qui patriarchae ſuffectus fuerat *Fortunatus*, et ipſe non abſtinuit a coniuratione, vt iſtius caedem vlciſceretur; ſed fugiendum ei fuit ad *Carolum* M. qui eum in Gallia *beneficiauit*; nam in res *Venetiarum* nihil adhuc iuris fuit regi Italiae. Fama de *ſanguine* Chriſti, quem in ſpongia olim attuliſſe dicebatur

Lon-

Longinus, vel *Carolum*, ſi placet, commouit, vt *Leonem* 3 rogarit de ea cauſſa ſententiam; ſed nihil nobis ſupereſt, vnde pateret, quid papa iudicarit; illud autem ſcimus, ab eodem anno 804 repeti *primi* epiſcopi *Mantuani*, Gregorii, nomen, quem papa deſignauerit. Cum a. 815 Romani aduerſus *Leonem* nouam rebellionem ſuſcitarint, videtur ea ſuſpicio locum habere, eos ſperaſſe, poſt *Caroli* mortem rei ſummam mutari poſſe; ideo et eius ſucceſſor a. 816, *Stephanus* 4 et ipſe ſuper *ordinatione* ſua *ſatisfeçit Lædouico*, et omnem populum romanum iuſſit fidelitatem cum iuramento promittere; ſimiliter res habuit, cum 817 ſuccederet *Paſchalis* 1; *poſt* conſecrationem demum mittunt ad imperatorem et regem *Italiae*, vt quaedam ſpecies ſui maneret iuris. Eo certius eſt, iſtam formulam donationis, *Ego Ludouicus* &c. (in *Gratiani* Decreto, diſtinct. 63.) fictam eſſe et falſam, vt *Pagi*, *Muratorius* aliique fatentur; nempe Ludouicus donat *Siciliam*, *Calabriam* vtramque, et Neapolitanum patrimonium, quae ſub graeci imperatoris erant poteſtate? A. 817 coniuratio *Bernhardi*, ob *Lothario* collatum nomen imperatoris, male ceſſit; in eadem ſocietate etiam aep. mediolanenſis, ep. Cremonenſis, *Theodulfus* etiam, aurelian. ep. (aduerſus *Ludouici* diuiſionem) fuerunt. A. 822 dux Spoletanus, *Vinigiſus* in monaſterium conceſſit; nouus papa 824 *Eugenius* 2 cum *Lothario*, iuſſu *Ludouici*, ſtatum populi romani, iam dudum *quorumdam peruerſitate pontificum* (ita clare *Eginhardus* ſcribit, ſecutae nouae peruerſitatis adhuc ignarus,) *deprauatum*, *correxit* ita, vt omnes, qui *rerum ſuarum direptione* grauiter fuerant deſolati &c. nouae leges *Lotharii* facile apud *Muratorium* legi poſſunt; papae et romanis aliquid datum, ſed ſumma rei fuit penes imperatorem. Mortuo *Eugenio* adhuc clarius patet ius imperatoris et regis *Italiae*; *Valentinus* ei ſucceſſor datus, ſed intra menſem is mortuus fuit; *Gregorius* autem 4 *non prius ordinatus* eſt, (Eginhardi verba) quam legatus imperatoris Romam venit, et *electionem* papae, *qualis*

lis esset, *examinauit*. Hic sole clarius est ius imperatoris, cui mirum est postea tam contraria effici potuisse. *Annuente* eo et electionem cleri *et populi* (huius enim etiam non fuit nulla pars,) *probante*, *ordinatus est* in locum prioris. Nihil de *S. Petri* mirifica auctoritate; quia *sine temporalibus* papae profecto nemo sibi dignitatem optasset. A. 829 in palatio *Lateranensi* adeo in *iudicio* sederunt *missi Ludouici*, ad singulorum hominum *causas* audiendas, pro *farfensi* monasterio aduersus vim paparum *Stephani*, *Paschalis*, *Eugenii*, sententiam missi dederunt; tantum abfuit, vt papa fuerit supremus rerum sacrarum iudex; (*Muratorius* ad hunc annum;) eo facilius credimus, *Gregorium* 4 dedisse operam, vt antiquam iuris et domini formulam excuteret, abusum *Iudithae* caussa, et *Lotharii* auspiciis. Quantum inertium diuitiarum in monasteriis fuerit, vel ex historia *Siconulphi* patet, qui ex *monte Cassino* immanem vim auri argentique abstulit, ducatum *Beneuentanum* redemturus, *Muratorius* ad a. 844. Istae autem diuitiae, mera paupertas, si *Anastasium* legas de ἀναθηματα paparum. *Leonis* 4 consecratio dilata fuit, eo quod *sine imperiali auctoritate* non audebant Romani eam rem peragere; (*Anastasius*). A. 850 concil. seu *conuentus ticini*, praesente *Ludouico*, imp. praeter *canones* 25 ecclesiasticos de *disciplina*, etiam *leges* pro Italiae regimine 5 latae. Inter canones est 1. vt episcopus habeat syncellos, vitae testes. 2. *Missam* episcopus *frequentet* (peragat, an praesens sit?) non tantum die dominico et festo, sed *quotidie*, si potest. 3. ne sint *epulae* episcoporum nimiae, sine *spectaculis ridiculis*, sine *morionibus*. 6. pro peccatis publicis, *poenitentia publica*; *archipresbyteri* (qui plebis seu baptismalibus ecclesiis praeerant,) *visitabunt* ideo familiarum capita; *peccata* non publice peracta *confitenda* sunt iis, quos elegerit episcopus, aut archipresbyter. 11. ne effugiant poenitentiam, qui mentiuntur iam ab alio episcopo, in cuius dioeceſi terras possident, se poenitentiae subiectos: scribat episcopus ad alios etc. Hic luculenta

sunt

sunt augmenta huius potestatis ecclesiasticae; sic, vt *nec coniugium* inire liceat his poenitentibus, c. 9. ne adhibeantur diuinis mysteriis celebrandis clerici *acephali*, sed qui ab episcopo examinati &c. 25 contra *magica* feminarum *artificia*. Papa *Leo* 4 nouam vrbem *Leonianam* more *ambarualium*, ita consecrauit: nudis pedibus ipse et omnes clerici cinere capiti impositio muros circuierunt; episcopi cardinales *aquam benedictam*, sanctificationis gratia, transeuntes per murum, iactarunt; ipse autem ore suo *tres orationes* (in modum *trinitatis*, vt postea de *Leopoli* narrat,) super murum dedit &c.. *Anastasius* describit ineptam caerimoniam copiose. *Corsos* etiam multos, qui *Saracenorum* metu aufugerant, in vrbem *portuensem* recepit, datis et concessis omnibus, quae necessaria essent, ob sereniſſimorum *Lotharii* et Ludouici maiorum imperatorum, suamque simul mercedem, perpetuamque memoriam; (haec est vera interpretatio ineptae formulae, mercedis animarum,) A. 853 concil. *romanum* eppi 67, quos inter 4 a *Lothario* missi; canones 42 proditi, sed 38 primi sunt iidem illi, quos *Eugen.* 2. 826 edidit. c. 39, vt minuantur superflui presbyteri — deiectus etiam fuit *Anastasius*, cardin. presbyter, qui inde a 5 annis in Aquileg. dioecesi morabatur, nec vel duplici papae excommunicatione mouebatur. A. 855 *Daniel*, qui Romae magister militum fuit, *Ludouicum* 2 quasi de coniuratione *Superistae* et consiliarii romani, aliorumque monuit: Romanos pertaesos ignauiae Francorum, qui ipsos *Saracenis* quasi impune permitterent, rei publicae summam ad *Graecos* velle transferre. *Ludouicus* in palatio nouo papae *publice iudicium habuit*; sed succubuit accusator; hinc clare imperatorum summa potestas in vrbem spectatur. Idem confirmatur ex istis epistolarum duarum locis, quas ad *Lothar.* et *Ludou.* scripsit hic *Leo* 4, quae in decreto habentur, c. 9. dist. 10. c. 141. 2. qu. 7. Suffectus est *Leoni* a. 855 non *Iohanna* ista, quae bonorum animis tam facile placuit, quia publicam indignationem res adiuuabat, sed *Benedictus* 3; narrat et hic

Ana-

Anaſtaſius: clerus et proceres ſuis manibus decretum confirmarunt, et, *vt conſuetudo priſca poſcit*, Auguſtis deſtinauerunt. Non defuerunt, qui iſtum *Anaſtaſium* deiectum cardinalem mallent; iſtorum artibus etiam legati imperatoris corrupti fuerant; vicit tamen *Benedicti* pars integrior. Synodus *ticinenſis* 855, epiſcoporum Longobardiae; canones contra abuſus ſacrorum domeſticorum neglectis eccleſiis baptismalibus. *Nicolaus*, papa a. 858 praeſentia magis ac fauore *Ludouici* et procerum eius, *quam cleri electione* ſubſtituitur Benedicto 3. ita annal. *Bertiniani*; hic omnem operam, quam potuit, dedit aduerſus *Photium*, legatis Cpolin miſſis &c. *Rauennae* aep. *Iohannes* huic papae ſe fortiſſime oppoſuit; nec fractus eſt excommunicatione, quam nec *Ludouici* legati reueriti fuerunt, quos *Ludouicus*, pro eius cauſa Romam bis miſit, ſuccubuit tandem in ſynodo 861 epiſcopus, quia ſenatus et populus *Rauennae* ab ipſo (parum miti epiſcopo) alieni erant. Solebat *Iohannes* a ſuffraganeis nouas praeſtarios extorquere. A. 864 *Ludouicus*, quia papa auſus fuerat aepp. colon. et treuir. excommunicare, Romam cum iſtis aepp. et exercitu venit; romani longo ordine cum crucibus et imaginibus progreſſi a militibus disiecti, cruces fractae, papa 2 dies et noctes ſine cibo et potu in eccleſia timide haeſit; narrantur et flagitia ſacra a militibus commiſſa. *Erchempertus* addit, ideo Ludouicum ipſum Beneuentanos paſſos eſſe tam luculenter opprobrio affici, quia papam *officio* ſuo priuare voluit. A. 866 rex Bulgarorum Michael ad Nicolaum miſit arma, quibus in praelio aduerſus rebelles feliciter vſus fuerat; haec *Ludouicus* a papa repetiit; papa *quaedam* transmiſit, de quibusdam vero ſe excuſauit. (Annal. *Bertin.*) *Hadrianus* 2 (maritus olim *Stephaniae*, et pater filiae quam *Eleutherius* Anaſtaſii deiecti cardinalis frater, a. 868 rapuit,) ſuffectus fuit Nicolao, a. 867 nec imperatoris auctoritas neglecta fuit, qui precibus noui papae hoc dedit, vt *epiſcopos* quosdam in exilium (ab imperatore) eiectos, aliosque romanos, de fide in *Ludouicum* ſuſpectos, in li-

ber-

bertatem restituerit. A. 868 in *synodo romana Ignatii* cpol. restitutio probata, *Photii* vero res gestae omnes rescissae. A. 870 papa immiscuit se rebus et litibus, post *Lotharii* mortem ob diuisionem regni ortis, imperatorem adiuturus aduersus *Carolum caluum;* sed *Caroli* episcopi, praecipue *Hincmarus* rhemensis, papae auctoritati obstiterunt. De *iure* in *Romam Ludouicus* 2. in celebri epistola ad *Basilium*, (qui *imperatoris* et *romanorum* nomen Graecis solis tribuebat,) luculenta testimonia prodit: — a romanis hoc nomen et dignitatem assumsimus — *quorum* gentem *et vrbem* diuinitus *gubernandam*, et matrem omnium ecclesiarum defendendam et sublimandam (aduersus Longobardos) suscepimus; *ex qua re* et regnandi prius (inter Francos) et postmodum *imperandi* auctoritatem *prosapiae nostrae* (Carolingorum) seminarium sumsit — &c. miris artificiis phrases Pauli, de obiectione Iudaeorum ad Graecos transfert; et fatetur, pontificum romanorum opera, id Francis contigisse; a graecis, ob κακοδοξιαν, romanum imperium ablatum esse *Baron.* ad a. 871. num. 51 seqq. qui edidit hanc epistolam ex duplici codice *Erchemperti;* sed deest illa epistola in excusa historia longobardica *Erchemperti.* Atque fatemur, dubiis vix carere primam epistolae certe partem; adeo redolet romanum potius, quam *Francicum* ingenium. Sub *Carolo* caluo, qui emisse a papa dicebatur nomen imperatoris, conuentus *ticinensis*, a. 876, Carolo sic loquitur: diuina vos pietas, applorum Petri et Pauli interuentione, per *vicarium ipsorum* (in *plurali,*) vniuersalem papam — ad imperiale culmen prouexit. *Nonantulanum* monasterium *Adalardo*, ep. veron. in commendam dederat, quem ideo papa excommunicauit; *Carolum* papa, vt ius nouum augeret, in synodo romana 877 denuo confirmauit, et vt callida caerimonia Carolum falleret, laudes insanas in eum profudit, *praeelectus ante mundi* constitutionem - astrum ex arce polorum — auitum studium vicit — a deo constitutus *saluator mundi* multo decentius quam Ioseph &c. Idem papa *Rauennae*

syno-

synodum habuit, episcoporum 50, Longobardiae; canones 19; vt metropolitanus intra menses 3 Romae pallium petat, et expositionem fidei tradat; nihil interea muneris sibi sui arrogans. Mortuo *Carolo*, *Carolomannus*, rex Italiae, Ludouici germanici primi fil. maior, per duces Spoletanum et Tusciae Romam occupauit, *Iohannem* papam sub custodia retinuit, et optimates romanos fidem sacramento firmare coegit; inde papa luctum et squalorem publicum effecit, atque in Galliam discessit, *Epistolae* huius papae plures vehementissime eam rem describunt; *Ludouicum* igitur balbum *coronauit; imperatoris* nomine eum alicubi afficit; tandem et *Bosonem* comitem in Italiam duxit, a *Carolomanno* ad hunc regnum Italiae translaturus; (per *adoptionis gratiam* eum filium meum effeci, epist. 119.) non potuit tamen *Synodum* Ticini efficere, adeo parebant episcopi Carolomanno. Hic rex cum valetudine mala vteretur, papa opinabatur *nouum regem* facile a se posse in *synodo* romana, quam 879 coire iusserat, *eligi*: ad episcopos Italiae certe sic de ea re scripsit, vt de noui regis electione *pariter* consideremus — ideo nullum *absque nostro consensu* debetis recipere. Vana fuit ista opera; excommunicauit igitur aep. mediol. *Anspertum*; sed is nihili hoc fecit; in alia ad eum epistola, eum synodo alii interesse iubet, et — *praecipimus* tibi et suffraganeis, vt *cum eo*, *qui de regibus Francorum* Italiam fuerit ingressus, nullum *absque nostro consensu* placitum facere praesumatis, canone apostolorum 35 sic iubente &c. Nempe vbi vis et auctoritas illa regum superiorum? Idem papa excommunicationem decreuit in Salernitanum et neapolitanum episcopos, nisi foederi cum *Saracenis* renuntiarent. (simillima, de foedere neapolitanorum cum *Saracenis* exstant in Epistola illa *Ludouici* 2 ad imperatorem Basilium; vt istam suspicionem putemus confirmari, confictam esse istam epistolam eo tempore, quo nouum papae ius succreuerat.) Ad *Carolum* crassum tandem papa se applicuit, quem facile vidit Italiae regnum post Carolomanni mortem adepturum.

Istam

Istam papae πολυπραγμοσυνην sensim et maiores episcopi Italiae imitati sunt, et *dominium* ciuile sibi arripuerunt in vrbes suas. e. c. *Landulfus*, episcopus et *comes Capuae*, qui monachis adeo non fauebat, vt dicere soleret, si monachus in conspectum ipsi veniret, hoc certum esse infelicis diei omen. *Athanasius* 2, neapol. episcopus et *dux*, &c. Post *Iohannem* veneno et malleo tandem occisum (annal. *fuldens.* contin.) suffectus fuit *Marinus* 882, legationibus aliquot epolitanis clarus; hic desunt certa documenta intervenientis auctoritatis imperatoris. *Marinus* rescidit perperam facta Iohannis papae, restituit portuensem episcopum *Formosum*, quae caussa *Auxilii* libro occasionem dedit. *Hadrianus* successit 884, quem seriores scriptores quidam narrant decreto sanxisse, ne *imperator electioni papae se ingereret.* Adeo noua iura succreuerunt; *Muratorius* ad h. a. *Martini Poloni* narrationem in libris scriptis variare dicit: 1) vt imperator non intromitteret se *de electione* (omnium episcoporum?), 2) de electione domini papae; nos 3) addimus *ex usto codice*, qui multum differt ab excusis (fuit olim P. de *Ludewig*): hic *instituit*, (non, constituit,) vt *imperator* non intromitteret se *de electione papae.* Videmus papam priuilegia dedisse et confirmasse, sed *cum consensu eorum episcoporum*, quorum in dioecesi res illae erant, quae confirmabantur; *Murator.* ad a. 885. *Hadrianum* tertium, quia *Nonantulae* sepultus fuit, monachi deinceps pro Hadriano *primo* habuerunt, eumque *sanctis* falso addiderunt. Romani suffecerunt *Stephanum* 5; is ob diuitias, et vt famis vim leuaret, electus fuit; *aqua benedicta* aduersus locustas vti populo et mansionariis persuasit, postquam multis precibus antea operam dedisset. Narrant *Lambeciani* annales: *Carolum* crassum hunc papam voluisse sede deiicere, quia ipso inconsulto ordinatus fuerat; sed videntur Episcopi *Italiae* Papae nouam auctoritatem ipsi defendisse. Veronensis episcopus *Liutwardus*, archicancellarius e palatio cum dedecore electus 887, quia reginae, *Richardis*, secretis familiarius, quam oportebat,

immiſceretur; (*Rhegino;*) *Richardis* per ignem virginitatem ſuam probauit. Poſt infelicia *Caroli fata*, *Guido*, dux ſpoleti, vnctionem ſuſcepit *imperii*, a papa *Stephano* igitur; cui *Fulco*, rhem. aep. iam paullo ante promiſerat, ſe et *Widonem*, (affinem Fulconis,) *debitam* exhibituros *reuerentiam*, *Flodoard.* hiſt. rhem. lib. 4. c. 1. Nempe noua conſilia papa facile agitabat, in iſta principum continua diuiſione. Sed alii *Berengarium* Ticini, regem Italiae crearunt; is, vt potuit, cum *Arnulfo*, rege Germaniae, ſe componi curauit; bella regum iſtorum *Italiae* tranſimus; A. 891 mortuo *Stephano*, et repulſo ab altari *Sergio*, *Formoſus* ſuffectus fuit, ep. portuenſis; manſit ergo vterque papa cum ſuis. *Formoſus Arnulfum* regem in *Italiam* inuitauit; ad *Arnulfum* etiam *Berengarius* quaſi confugit; nec is precibus eius defuit. Poſt primum hoc in Italiam iter, a *Formoſo* iterum inuitatus a. 895 venit, licet *Fulco* omnem daret operam, vt papa *Lamberto*, Guidonis iam mortui filio, faueret. Romam 896 vi expugnauit Arnulfus, a *Formoſo* ſtatim poſtea coronatus; iurauit et populus romanus Arnulfo, contra Lambertum, et pro Formoſo; ſed poſt reditum *Arnulfi* etiam *Formoſus* vitae finem fecit, naturae an ſceleris ordine, incertum; de Formoſo legendus *Auxilius*, in dialogo ſuper cauſſa Formoſi papae, in *Mabillonii* analectis; qui in ſynodo rauennatenſi narrat eius conſecrationem ratam habitam fuiſſe. *Bonifacius* 6 poſt paucos dies mortuus, *Stephanum* 6 ſucceſſorem habuit, cuius amici *Formoſo* aduerſati ſemper fuerunt. Hic tam *Arnulfi* quam *Lamberti* honorem in diplomatibus, pro tempore, prae ſe tulit. Infanda facinora hic papa in *Formoſi* corpus admiſit; Romani Stephanum tandem laqueo foediſſime obtruncarunt. Ei *Romanus* ſuffectus, ſed is vix menſes 4 ſedit; *Theodorus* 2, ne menſem quidem vnum vixit; iam alii hoc a. 898 iſtum *Sergium* (aemulum Formoſi,) alii *Iohannem* 9 deſignarunt; hic tandem Sergium eiusque amicos Roma eiecit. Atque ſtatim in *ſynodo romana reſciſſa fuerunt* omnia illa acta *Ioh.* 8 et *Stephani* 6 con-

contra Formosum, non *fuisse iudicia apostolica;* supersunt acta in conciliis; nec 12 canones carent argumento satis memorabili; e. c. X. quia sancta romana ecclesia — a pluribus patitur violentias, pontifice abeunte, *quia absque imperiali notitia* pontificis fit consecratio, *nec canonico ritu* ex consuetudine *directi* ab imperatore intersunt nuntii, *qui scandala fieri vetent:* volumus, vt cum *instituendus* est pontifex — eligatur — electus *praesentibus legatis imperialibus consecretur* — ne imperialis honorificentia minuatur — Exstat in *Gratiano* distinct. 33. c. 28. Meminerimus sub seculum XI; *canonicum hunc* hic *ritum* publice confirmatum fuisse. c. 8 gradu deiecti quidam clerici factiosi romani, qui auctores fuerant tragoediae in *Formosum*; c. 11 contra *spolia* mortuo papa. c. 12 seculares iudices si inuenerint *mulierem* impudicam in domo ecclesiastica, eam non sine scandalo tam diu male tractant, vsque dum magno pretio redemta fuerit — Iam post synodum papa *Rauennam* profectus est ad *Lambertum*, ibi alia synodus — 74 episcoporum. c. 1 confirmantur canones et capitularia *de decimis*, (nempe et his auctoritate regia opus fuit;) 2. Si *quis romanus cuiuscunque sit ordinis, siue de clero*, siue de senatu, ad *nostram imperialem maiestatem* venire voluerit, aut necessitate compulsus ad nos *proclamare*, (appellationem dicunt,) nullus eis contradicere praesumat &c. Et hoc augustum decretum desiderabimus seculo XI seqq. Rogatur et imperator per papam, vt concilium in caussa *Formosi* approbet; —

In Anglia.

Ex *Wilkinsii* tomo primo ista breuiter colligere atque indicare liceat. Rex *Mercior. Kenulf*, scribit ad Leonem 3, a. 801; petit se *filii* in locum suscipiat; vult restitui auctoritatem *dorobenensis* seu *cantuar.* metropolitani; mittit 120 *mancusas* (marcas.) *Leo* omnia concessit. Epistola omnium epp. ad *Leonem*, queruntur de onere et Si-

monia *pallii*. A. 816 habita *Synodus* in *Calichuth*; c. 2 de modo consecrandi ecclesias, (sicut in libro *ministeriali* habetur,) eucharistia condatur in capsula cum aliis reliquiis. c. 4. vt episcopus in sua dioecesi abbatem, abbatissam eligat; c. 5 vt nullus de gente *Scotorum* admittatur ad sacra, quia incertum est, vnde et an ab aliquo ordinentur; (hoc iam tempore *Bonifacii* vetitum in Francia.) c. 7 seruentur libri primordiales et *telligraphia*, vt monasteriorum praedia non minuantur. c. 10, episcopo mortuo, *pro anima* eius praecipimus *decimam* partem ex praestantia vniuscuiusque diuidere; c. 11 — sciant presbyteri, quando baptizant, vt *numquam effundant aquam super capita* infantum, sed semper mergantur in lauacro. Concil. *Cloveshouiense* a. 822. — rex *Ceonulfus* praeceperat, vt aep. *Wilfred* citissime de Anglia decederet, nec spem redeundi haberet, siue per praeceptum *papae*, siue pro precibus imperatoris — per 6 annos fere gens anglorum *baptismatis* ministerio caruit. — Haeres regis et filia obtulit aepiscopo in 4 locis terram centum manentium, cum libris, quos Angli dicunt *Landboc* — In concilio *Londinensi* 833 rex Merciorum *Witlaf*, ingentia priuilegia monachis *Croylandiae* concessit, vt, cum ad ciuitates — accesserint, nihil pro expensis ab iis accipiatur, sed ex fisco pro iis soluatur; ius *asyli* etiam ei insulae dat — leges ecclesiasticae regis *Keneth*, ex Hectore *Boethio*; in singulis regionibus sint *iurisperiti;* horum filii a pueritia leges discant — praestigiatores, magi, manes inuocantes, malis daemonibus familiares, *cremantur*. — Rex *Athelwulf*, Westsaxonum, Roma redux, decimam terrae suae partem donauit, deo, Mariae et omnibus sanctis, a. 855. Leges ecclesiasticae *Aelfridi*, M. regis Anglorum: multa eorum iussi in vnum colligi, quae parentes nostri obseruabant; alia reieci, cum sapientum meorum consilio, &c. is regnauit ab a. 872. Excommunicatus a Landauiae episcopo regulus *Tendur*, (nuda altaria, cruces prostratae ad terram, simul et reliquiae &c.) dedit campos et siluas pro poeniten-

nitentia. Alius episcopus, in simili causa, excommunicauit regem, et dimisit patriam *sine baptismo et communione* — regem oportuit ire in peregrinationem per multum temporis — redux *immolauit deo* et sanctis atque episcopo, agros istos — plura exempla sequuntur indignissimae malignitatis, quam *iugum poenitentiae* dicere solent; *nudis pedibus* reges veniam petierunt.

Eximia superstitionis documenta.

Adiecit *Stephanus Baluzius* corpori capitularium, tomo 2, formulas veteres *Exorcismorum* et *excommunicationum*, quibus hoc caput nostrum non carere potest, quia ista superstitio atque immanitas ad ius sacrum atque ecclesiasticum huius temporis maxime pertinuit. Etsi enim vel capitularia quaedam obicem ponere videntur, minus tamen horum valuit auctoritas, quam ista vis improbitatis. Breuiter igitur ista hic describimus. Incipit benedictio vel exorcismus *aquae calidae seu frigidae*, in qua manus ad iudicium mittitur; orationes tres; missa cantatur, et antequam illi homines communicent, cum adiuratione eos interrogat: — vt non praesumatis sumendo communicare, si hoc feciſtis, aut nostis, qui fecit — si communicant, dicat, corpus hoc et sanguis domini nostri I. C. sit vobis *ad comprobationem hodie.* Expleta missa eat sacerdos ad locum destinatum examini; ferat secum Euangelia et crucem, canat modicam letaniam, exorcizet aquam, antequam efferuescat — oratio — vt mittas spiritum tuum sanctum super hanc creaturam aquae, vt rectum iudicium super hunc hominem N. N. comprobet; satis longa oratio. Alius exorcismus; adiuro te creatura aquae, per deum, qui te separauit ab arida; de fonte paradisi 4 fluminibus exire te iussit; qui te in Cana mutauit in vinum; qui super te sanctis suis pedibus ambulauit — vt fias fons ad comprobandum — posthac exuat eum suis vestimentis, et induat eum vestimentis mundis de ecclesia; i. e. de exorcista

aut diacono; et det ei bibere de aqua benedicta — oratio — qui manum mittit in aquam ad examen, dicat orationem dominicam — et iudex perpendat ipsam lapidi illigatam ad mensuram illam, infra aquam; et sic inde ipsum extrahat — et fiat diligenter inuoluta manus sub sigillo iudicis signata vsque in die tertio. *Iudicium aquae frigidae*; similis longa caerimonia — ieiuni mittunt istos in aquam; adiuratio aquae; adiuratio hominis; Hoc iudicium petente Ludouico imper. constituit b. Eugenius, *ne periuri super reliquias* sanctorum, *perdant suas animas*; (nempe non dubitamus, longe aliam rationem subfuisse; facile enim homines sanae mentis ridebant, reliquiarum omine ipsos obligari.) Iudicium aquae, ex ordine *Dunstani*, aep. doróbern. Missa iudicii. Antiphona; oratio; lectio ex leuitico, ex Paulo ad Ephes. Graduale. Versus. Euangelium ex Marco. Offertorium. Secreta. Praefatio. Benedictio ad iudicium. Antiphona post communionem; adiuratio aquae. Exorcismus *panis hordeacei vel casei*, quorum appensio vnius vnciae. — oratio, — fac, eum in visceribus angustari, eius guttur conclude, vt panem vel caseum istum deuorare non possit — alia oratio. Domine Iesu Christe — praesta — vt ei ad creaturam panis sanctificati vel casei faux eius claudatur, guttur stranguletur, et vt in nomine tuo ante illud reiiciatur, quam deuoretur. (nempe si quid emeticum admistum esset, facile eiiciebatur.) Ordo iudicii, quo rei probantur *ferro candenti*. Collecta malis furtis reprimendis — collecta super caput eius, qui de furto suspectus est. — *Resolutio* omnium maleficiorum, incantationum, conligationum &c. — resolue, domine, si qua nobis facta sunt maleficia, — aut posuit aliquid noxium in fundamentis nostris, aut lecto, aut sterquilinio — coniuro vos daemones, per *beloi*, *hadonai*, eloe sabaoth — ad reuocandum *apum examen* dispersum: adiuro te, — vt te non altum volare, sed plus cito ad arborem venire; — ibi habeo bona vasa parata, vbi vos in nomine dei laboretis, et nos in nomine

dei

dei luminaria faciamus in ecclesia. *Excommunicatio*, 12 sacerdotes episcopum circumstantes lucernas ardentes suas proiiciunt in terram et pedibus conculcant; alia terribilior formula; sed ex *Agobardo*, capite nostro, de scriptoribus, plura eius generis foeda atque turpia repetemus, homines pro lubitu grandines et tonitrua posse facere &c.

Cetera, quae adhuc notatu digna sunt, videntur ita commode posse a nobis pleraque omnia tangi, si ex *Natali Alexandro* recensemus *dissertationum* singularium, ad sec. 9 et 10, ista capita.

Dissertat. 1. de translatione imperii a Graecis ad Carolum M. Negat, contra *Bellarminum* et alios, rem sic habere; a Leone dicit collatam fuisse imperatoris dignitatem, vt *defensor* esset christianae rei, (quia tanta potentia vsus ceteris longe certior erat defensor) censores romani totam dissertationem expungi iubebant; reponit, esse rem facti; etiam Franciscum *Fen*, in tractatu de legibus, simiiliter statuere. Nempe iam omnes sic statuunt. Dissert. 2. de *Ludouici* pii exauctoratione; ad vindicandum Augustum et Augustam; de ea re nos ipsi satis exposuimus, etsi multo breuius. Dissertat. 3, de *Papissae* fabula; haec caussa vel sexcentos scriptores exercuit; nobis parum digna videtur, quae copiosius repetatur, licet fabulam et ipsi putemus. Marianus *Scotus*, seculo XI medio, (eius tamen codices variant,) et Martinus *Polonus*, primi habentur auctores; sed et huius codices non omnes consentiunt. Dissertat. 4, de *photiano* schismate, et *octaua* synodo oecumenica; potiora et nos repetemus, paulo post, de causa *Photiana*. Dissert. 5, de causa *Godeschalci*. Dissert. 6, de causa *Rothadi*, suession. episcopi cum *Hincmaro*, aep. rhemensi. conf. pag. 293.

Ista caussa, atque ista Hincmari Laodun. altera, notatu omnino digna. Papa *Nicol.* 1. in decreto absolutionis *Rothadi* ipse scribit: quidam Gallorum episcopi (rhem. aep.) zeli et inuidiae diaboli facibus accensi, fratri nostro *Rothado* insidiantes, per octo annos meditati sunt, quomodo illum episcopatu priuarent, *proprio iudicio* &c. nempe pa-

pae tale ius et numen non admittebant Galli; res suas ipsi solebant agitare; *appellauerat* autem *Rothadus* episcopum *Romanum*. Papa *Carolum* regem aduersus Hincmarum, qui nihili faciebat papae omnia decreta, incitaturus, satis ferociter scripsit: quomodo putatis, vt vestro regno — aliquod praestemus solatium, aut contra aduersarios protectionis clypeum conferamus, si — ea vos minorari sinatis (iura et priuilegia papae,) quibus vsi patres vestri omne dignitatum suarum incrementum perceperunt? Priuilegia romanae ecclesiae, — et Petri, sunt arma contra omnes impetus prauitatum &c. — depositiones episcoporum, ad *maiora negotia* pertinere, an sedes apostolica caput non est? concil. *Sardicense* statuit, — Hoc *nouum ius*, quod Nicolaus sumebat sibi, gallicani episcopi ei non concesserunt. Annalista *Bertinianus*: a Nicolao *Rothadus* non regulariter sed *potentialiter* restitutus — Hunc *Alexander*, vt potest, refellit. Dissertatio 7, de causa *Wulfadi*, aliorumque ab *Ebbone* rhem. aep. ordinatorum, cum *Hincmaro*, eius successore.

Ebbo, ille Lotharianae factionis fax et tuba, ipse tandem libellum abdicationis obtulit synodo in Theodonis villa, quem *Hincmarus* et *Flodoardus* exhibent; nempe, ne publice variorum scelerum conuictus locum daret insultationi Laicorum, et sic dignitas sacerdotalis pollueretur. Hanc cessionem postea 840, mortuo Ludouico pio, dixit vi sibi extortam; *Lotharius* eum restituit, edicto subscripserant episcopi 20. Ordinauit igitur *Wulfadum* et alios clericos; hos *Hincmarus* a clericali officio remouit, qui a. 845 in Synodo bellouacensi, post decennium, electus fuerat. Clerici hi suam causam ad synodum *Suessionensem* 853 detulerunt; synodus statuit, quidquid *Ebbo* post damnationem suam egerat, irritum et vacuum esse, praeter baptisma; huius synodi confirmationem, (quam *Leo* 4 negauerat, nisi renouaretur iudicium per legatum praesentem) impetrauit a *Benedicto* 3 et *Nicolao* 1; renouauit *Vulfadus* appellationem, atque sic synodi acta rescissa fuerunt;

runt; indicta alia synodus, 866; praesules dant operam, vt priorem synodum defendant; restitutionem Papae reseruatam fuisse. *Tricassinum* iam concil. 867 iussu *Nicolai* habitum; eius synodicam *Hadrianus* 3 accepit; *Wulfadus*, aep. *Bituricensis* creatus; *Hadrianus* omnem *Ebbonis* causam obliuioni tradi mandauit. Dissertatio 8, de causa *Hincmari* Laudunens. ep. cum *Hincmaro*, rhem. aep. auunculo; (huius fuit ex sorore nepos.) Coram *Carolo Caluo*, de *Hincmaro* laud. questus fuit aliquis, quod beneficio quodam patris sui, quod dato xenio impetrarat, ab eo priuatus fuerat; *Hincmarum* rex conuitiis prosciidit, diem ei dixit; non venturo prohibuit, subditos ecclesiae quidquam subsidii praebere &c. Is ad auunculum rem suam detulit, qui ad regem pro defensione libertatis ecclesiasticae multa scripsit; et in placito apud *Pistas* libertatem clericorum vehementer scriptis exornauit; perperam talis causae cognitionem a rege secularibus permissam fuisse iudicibus; *Oziae* exemplum in memoriam reuocat, excommunicationem minatur. Iunior *Hincmarus* alios episcopos adit libello, et *appellationem* ad papam instituit; tantum non res composita fuerat. Ad papam vero Hincmarus iunior rem detulit; *Pauliacum* villam, quam rex comiti cuidam impertiebat, vel papae mandato ad auunculum, (vt excommunicaret comitem, nisi redderet) defendit; sed vim consilio praetulit Laudunensis ep. et armatis viris adiutoribus comitis coniugem a partu recentem eiecit; idem ferocitatis insanae exempla alia praebuit, vel in suos clericos excommunicatione iniqua abusus. In hac causa *synodus* prima *Vermerienſis* habita 869, quia ad regem venire iussus non paruit; a synodo hic *appellauit ad papam*; sed rex romam itineris veniam negauit, eumque quasi captiuum tenuit. In *attiniacensi* synodo 870 de rebellione, contumacia, vi manifesta, et iniusta excommunicatione accusatus fuit; sed clam fecessit; *seculares* iudices a rege impetrauit, fugam suam cum *Pauli* et *Athanasii* comparans; auunculum reprehendit quod metropolitani auctoritatem

aduersus papae dignitatem extollat. (idem *Baron.*) *Hadrianus* 2 lubenter appellationis iure vsus, acerbas litteras scripsit *Carolo* regi, et *Hincmaro* rhemensi, regis nomine hic respondit, epistola 43, iniurioſas esse papae litteras; non posse, quod hortabatur *Hadrianus*, omnia alacriter suscipi, quae a sede romana dirigantur — publicae quietis perturbatorem non opus esse *Romam* mittere, et maiorum turbarum libertatem facere; non sic scripsisse regibus *Gregorium* Magnum; rogat, vt papa litteras inhonestas non mittat, ne cogatur rex, epistolas et nuncios minus honorifice excipere — quod ex apostolicae sedis nomine, *secundum sanctarum scripturarum tramitem, praedicationemque, maiorum et orthodoxorum decreta*, scribitur, sequendum non ignoramus, quod secus fuerit compilatum siue confictum, *non solum respuendum sed et redarguendum* esse cognoscimus. (Intelligimus hanc esse iuris formulam eandem, quae seculo 16 a *Luthero* aliisque fuit repetita.) In synodo *duziacensi* 871, rex aduersus laudunensem actor fuit oblato libello proclamationis; obtulit et rhemensis libellum expostulationis aduersus eum; responderunt episcopi 12 capitibus contra eundem; multorum criminum conuictus sede sua deiicitur, *saluo sedis Apostol. iudicio*; negauit *Hadrianus* confirmationem; mitiores iam litteras *Carolo* scripsit, eique (sermo tamen sit secretior et *litterae clandestinae*) pollicitus est, si superstes sit *Ludouico* iuniori, nullum alium in regnum et imperium romanum suscipiendum esse, nisi *Carolum;* licet dederit nobis aliquis multorum modiorum auri cumulum &c. (Obseruemus papae astutiam, et nouum ius, *imperatoris* suscipiendi, quem velit.) — Episcopi gallicani reposuerunt papae, acta synodi non bene ab ipso lecta; appellationem non esse legitimam, licet iam non negent ius appellandi — tandem *Iohan.* 8. a. 875 omnia illa contra laudunensem acta confirmauit; eius in locum *Hedenulfus* electus, ipse 2 annis in exilio vixit, in synodo *tricassina* 878 *Iohanni* 8 in galliis agenti *reclamationem* obtulit; sed tantum obtinuit hanc, sine

sede,

sede, gratiam, vt missae celebrandae facultatem acceperit; annal. *Bertin.* Dissertat. 9. de diuortio *Lotharii* et *Theutbergae*; (vid. antea hic. p. 290.) excerpsit 23 interrogationes *Hincmari* rhem. eas inter 15. 16. 17 de *maleficiis*, quibus odium inter coniuges excitatur et matrimonii vsus impeditur; aut amor impurus accenditur; (multa superstitionis documenta edit; cuius generis etiam multa sunt in *Rabani* libello de *magicis artibus*, quem *Harzhemius* recudit ex editione *coloniensi* 1532. tomo 2 concil. german. pag. 233.) Auctor de vita et mirac. S. *deicoli* Walradam dicit *magam*, quae *maleficiis* regis animum fascinauit; sed magicis aliis praestigiis, praeter formam, non opus fuit. Dissertat. X. de *Paschasio Radberto*, et eius doctrina; Dissert. XI. de *Rabano*, *Mauro*, eius scriptis et naeuis. Dissert. XII. de Amalario, eiusque operibus, et naeuis, praesertim in re *eucharistica*. Dissert. XIII. de *Ratramno*, eiusque operibus; ac praecipue de libro sub nomine *Bertrami* vulgato, de *corpore et sanguine* domini. item, de libro de *natiuitate* Christi, eiusque naeuis. Dissert. XIV. de *Ioh. Scoto*, eiusque operibus et erroribus. De istis rebus plerisque capite *sequenti* agemus.

De statu et iure ecclesiastico sub orientem solem.

Tarasio patriarchae suffectus fuit *Nicephorus*, e *laicis*, a secretis; *Plato* et *Theodorus* των Στουδιων praepositi, non assenserunt electioni; hoc in ecclesia non nouum aut inauditum fuisse, et multos satis digne episcopatu functos ex ordine laicali, *Theophanes*. *Ecclesiasticos* legatos idem imperator ad Saracenos misit, pacem composituros, 30000 κεφαλιτιους, in annum. Filio *Stauracio* imperator vxorem dedit *Theophanonem*, sponso alii iam saepe συγκοιταδησαν; paulo post conspirationis alicuius auctores, etiam episcopos, et M. ecclesiae Sacellarium, Chartophylacem, proscripsit; *Theodorum*, studitam, eius fratrem *Iosephum*, aep. Thessalon. *Platonem*, recluſum, et ipsorum

ipsorum monachos, *Synodi* quam coire iusserat, auctoritate e monasterio et vrbe eiecit — Idem τα καπηλικα vel e sanctis aedibus orphanorum, peregrinorum, senum, ecclesiarum et monasteriorum exegit; iniustas exactiones mirificas describit *Theophanes;* militum praefectos herili iure in Episcopia et monasteria vti permisit; *Manichaeorum* τελεταις et χρησμοις ipse gauisus. In Bulgaros bellum parans, τα δημοσια τελη ecclesiarum et monasteriorum augeri iussit. *Crumus* occisi imperatoris caput tandem in poculi vsum, inter *Slauinorum* principum συμποσια, conuertit. A *Michaele*, qui suffectus fuit, patriarcha scriptam cautionem impetrauit, de fide orthodoxa, de caede vitanda, clericisque et monachis non verberandis; donauit in coronationis die patriarchae auri libras L, clero 25. Iam et ad *Leonem* rom. patriarcha synodicas misit, ab imperatore superiore id facere prohibitus; idem Michaeli auctor fuerat decernendi capitalis supplicii in Manichaeos; sed imperatorem aliorum monita, de spe poenitentiae, ab isto zelo retraxerunt, quod *Theophanes* improbat, eosque reprehendit, qui dogmatizabant, sacerdotibus non licere pronuntiare capitalem sententiam aduersus ἐυσεβεις, (sic exstat in graeco) addit: Petrum ob vnum mendacium *morte affeciſſe* (quod Lucas non dicit) Ananiam; non paucis tamen caput abscidi imperator pius iussit. Pseuderemitam aliquem, Nicolai συγγοητα, lingua priuari, Nicolaum vero in pompa ductum, mala sua, (quod imagines rasisset) publice fassum, et poenitentiam pollicitum, in monasterium trusit. Nempe, qui imagines non publice amabant, *Manichaei* et *Athingani*, Τετραδιται habebantur. Arabs quidam, arte mechanica praestans, baptismo percepto, militiae adscriptus fuerat; sed cum maiora praemia non statim acciperet, ad *Crumum* transiit. et artem μαγγανικην Bulgaros edocuit. Constantini iconomachi sepulcrum dicebatur vi diuina repente apertum, ipse autem aduersus barbaros proficisci visus; impostores detecti, in publica pompa ducti — Successit Michaeli in monasterium ingresso, *Leo*, Armenius

nius, qui et ipſe ſimilem patriarchae *formulam* ſcripſit; male ceſſit perfidia, qua in Crumum, colloquii ſpecie, vti viſum erat; Bulgari incendiis et caedibus omnia impleuerunt; ὁλοσιδηροι hoſtes deſcribuntur; hic machinae multae nominantur ab auctore incerto, poſt Theophanem excuſo, p. 434 pariſ. quibus Crumus vti voluit. — *Leo* eam ſententiam ſecutus eſt, pag. 437: niſi innenero in Euangeliis aut Apoſtolo ερηως, imaginem adorate, numquam adorabo — patriarcha dixit: ab apoſtolis accepit eccleſia; vtrum ſcriptum ſit vel non, haud decet requirere — alius patriarcha ſuffectus, qui antea maritalem coronam geſtarat, *Theodotus*, caſſiteres; *tomus* ſeu ὁρος ſynodi 7 in Blachernis, a. 815 editus; iſtas iam turbas et tragoedias, quas ſcriptores ſolent verbis augere, omnes hic tranſimus. *Michael*, qui occiſo *Leoni* ſuffectus fuit, dicitur a *Conſtantino* porphyrog. eius ſuperſtitionis fuiſſe, quae baptismum quidem admittit, loco circumciſionis; cetera autem ex legis moſaicae ritu ſeruat; haec paulo obſcurius narrantur; nempe *imagines* abiiciebant; vt hic imperator ipſe *ſilentio* habito (conſilio) ſtatuit, obliuioni dandam eſſe quaeſtionem de imaginibus; (*Leo*, grammat. *Georgius*, monach. *Conſtantin.* porphyr.) liberum de ea cauſa arbitrium omnibus faciens — aduerſus prophetas linguam acuebat, reſurrectionem et diabolum negabat; theologiam (iſtius aeui) nihili faciebat, (idem Conſtantin. Zonar.) Videtur autem ex odio in iconoclaſtam accidiſſe, quod *Iobus*, antioch. patriarcha, tam facile *Thomam*, qui Saracenis iam militabat, imperatoris nomine, aduerſus Michaelem, ornauit. Michael cum Theophilo, *Fortunatum*, patriarch. gradenſem, aliosque quatuor legatos ad *Ludouicum* pium, cum epiſtola miſerat a. 824, eam exhibet *Baronius* eo anno num. 18 ſeqq. narratur: poſitas fuiſſe imagines, loco crucium, cum lucernis et incenſo; linteamina circumpoſuerant, et liberis baptizatis imponebant; monaſticam vitam amplexuri *capillos* imaginum in ſinum afferebant; quidem ſacerdotes colores ex imaginibus radentes

im-

immiſcuerunt vino, et poſt miſſam propinabant; corpus domini imaginum in manus ponebant, e quibus ſumeretur; alii in domibus ſuis loco altarium vtebantur tabulis imaginum — itaque per *locale concilium* imagines ex humilibus locis elatae; incenſum et lucernae prohibitae — Itaque quidam Romam abierunt, calumniam nobis inferentes; *ſex* autem concilia, quae ab omnibus tenentur orthodoxis, tenemus — trinitatem — 2 operationes — poſtulamus interceſſiones Mariae et omnium ſanctorum. Hac legatione libri *Dionyſii* areopag. in Galliam allati; in eadem nocte per hunc martyrem 19 virtutes in aegrotorum ſanatione proditae, (narrat *Hilduinus* abbas S. Dionyſii in areopagit.) Sub *Michaele* Euphemius, e primoribus *Siciliae*, amore in monacham aliquam inſanus, eam rapuit; cum a praetore ad ſupplicium quaereretur, ad Amiram *Africae* fugit, eique *Siciliam* prodidit. Tanti erat ius monacharum imperite confirmare. *Theophilus*, iam ſolus imperator, imaginum nec ipſe fautor fuit, ſed a iuſtitia et prudentia laudatur. Coniugis ſuae nauem, quae merces ex Syria aduexerat, comburi iuſſit, ea vſus oratione: ex imperatore tu me nauclerum facis; mercaturam ſcito priuatis hominibus tributam eſſe, vt vitam honeſte tolerent; eas ſi nos etiam occupemus, vnde tandem minoris fortunae homines victum colligent? (*Zonaras*) Idem erga coniugis matrem *Theoctiſtam*, quae imagines clam honorabat, et filias imperatoris teneras eodem amore implere audebat, aequum et mitem ſe praebuit. Huius generis luculentis exemplis opus eſt, vt reprimamus monachorum barbaras ſcriptiones, de imaginum aduerſariis; quis enim iſtis imperitis et improbis praecipue credat? Idem tamen *Zonaras*, cum aliis narrat, de pictore *Lazaro*, monacho, de fratribus *Theophane*, et *Theodoro*, γραπτοις, (γραφεντες ὡς κακουργοι την θεαν, 12 iambici in facie atramento expreſſi,) aliisque, confeſſoribus, martyribusque ſi nomen placet: quos Theophilus ob imaginum ſtudia vexauit; ſimiliter de *Methodio*, cum 2 latronibus in μνηματι concluſo 7

per

per annos; sed copiosa et certa rerum talium historia desti-tuimur. *Clerici* maiores etiam a graecis imperatoribus, ad *legationes* solebant adhiberi; *Ioh. Syncellus*, post Antonium patriarcha, *Bagdadum* missus fuit a *Theophilo*; quo mortuo sub *Theodora* et Michaele publice *imagines restitutae*, et precibus continuis clericorum, etiam σωτηρια Theophilo a deo impetrata dicitur; (de ea re facile iuniores Graeci consentiunt, quorum *Synaxarium* non tacet de *Theophili* salute; sed *Allatius*, *Combefisius* aliique de istis capitibus, quasi recens fictis, sententiam tulerunt. Simillima est fabula ista, de *Traiano.)* *Iohannes* deiectus, et, quia imagini oculos eruerat, 200 flagris caesus; *Methodius* a muliere, quae subornata fuit, stupri accusatus, in ecclesia, sublato vestimento, pudenda frigida ostendit; narrans, sibi, cum *Romam* aliquando profectus fuisset, a *Petro* in somno virilia, tactu digitorum, sic quasi exusta fuisse. *Michael*, cuius multae ineptiae narrantur, cum iuuenibus aepiscoporum personam et caerimonias sacras imitatus est, aceto et sinapi in vasis vsus; *Nicetas*; aliique. Nempe ista orthodoxiae causa prudentiam felicitatemque tam non secum tulit, vt caedium turbarum, ignauiaeque in republica potius videatur seminarium fuisse. Michael matrem et sorores tonderi, velari, atque in monasterium trudi iussit, auctore Barda; *Ignatius* adduci non potuit vt chirographum daret, quo a patriarchatu se abdicaret; per Synodum in palatio *Photius* suffectus, laicus, qui per *Gregorium* Asbestam, *syracus.* aep. (quem *Ignatius* in synodo a. 854 sede priuarat; is vero etiam *Ignatium* apud *Leonem* et *Benedictum* accusauerat;) monachus, lector, subdiac. diac. et tandem die quinto presbyter consecratus fuit. Magna animorum diuisio tentabatur sic componi, vt Photius collega seu coadiutor *Ignatii* haberetur; alii episcopi, in templo *Irenes*, *Photiani* in aede Apostolorum synodum celebrabant, a. 859, hi tandem Ignatio et eius fautoribus anathema, carcerem, exilium intulerunt &c.

Causa

Cauſa Photiana.

Sed quia hoc negotium longarum turbarum et litium publicarum et *ſchiſmatis* tandem fatalis cauſſa fuit, opus eſt eius breuem hiſtoriam informare. Memineriimus *Ignatium* ex imperatoris familia, eunuchum factum; hominem forte non prauum, ſed imperitum atque monachici ingenii, quem *Photius* iam antea iſta quaeſtione de *duabus* vniuscuiusque hominis *animabus*, vt rudem et a philoſophicis ſtudiis alienum, luſerat; reprehenſus ideo a *Conſtantino*, qui poſtea *Cyrillus* dici ſolet, allatisque Romam reliquiis S. *Clementis*, bene meruit. Huius igitur *Ignatii* patr. mirum non eſt nomen Romae in eximio fuiſſe honore. Mittuntur eo remoto legati ab imperatore et *Photio*, Romam, qui *Nicolai* legatos inuitarent, contra iconomachorum reliquias. *Photius* addidit fidei confeſſionem, qua 7 ſynodos ſuſcipit, *Ignatium* ſenio confectum abiiſſe a patriarchatu, ſe inuitum eius in locum ſuffectum &c. Facile credimus legationis veram cauſſam fuiſſe, vt *romani* epiſcopi auctoritate etiam in iis partibus, quae Italiae adiacebant Graecis adhuc parentes, *Photii* patriarchatus ratus fieret; ab imperatore multa dona apoſtolis miſſa; *Photius* vero videtur vel *Honorii* damnatione, et ingenio erecto, papam offendiſſe. Miſit papa 2 legatos, qui *Ignatii* cauſſam examinarent; in epiſtola ad *Photium*, reprehendit, quod e ſtatu *laicali* proſiluerit, (quod ſcimus rarum non fuiſſe;) ad imperatorem vero: *Petri* auctoritatem effert; *Ignatium* ſine *romani* pontificis conſultu iniuſte honore ſuo priuatum fuiſſe; accuſatus ille, proprio ore non confeſſus eſt, nec ab accuſatoribus illa ſecundum canones probata fuerunt. *Hadrianum* conſenſiſſe quidem in *Taraſii*, e laico, honorem, ſed prohibuiſſe etiam, ne id porro in eccleſia fieret; legati igitur romani quaeſtionem habebunt, de hac omni cauſa, (cur *Ignatius* ſtatuta Leonis et Benedicti paruipenderit, qui eum manere iuſſerant, cum accuſatus eſſet a Gregorio ſyrac.)

syrac.) et ad papam omnia referent: nos, *quid agendum sit*, apostolica sanctione *definiemus*. Intelligimus facile, hic multa iam exstare, quae *Constantinopoli* nemo pati liberaliter poterat, nisi monachus aut ignauus homo. Cpoli igitur a. 861 *synodus* habita, legatis romanis praesentibus; testes 72. ex omni hominum genere subornatos aduersus *Ignatium*, (qui in veste monastica interesse iussus fuerat) dicit *Nicetas*, etiam ex iis, qui *anabaptistae* nominantur. Sine *legitima electione* consecratus dicebatur. Male tractati fuisse dicuntur legati romani, inde ab. accessu in vrbem, minis, terroribusque compulsi, vt omnia sic agerent, vt voluit imperator; (*Nicolai* ep. 6. 8 &c. Ep. 9. queritur falsatas fuisse epistolae primae aliquas partes; alias non lectas; *apud graecos*, sicut nonnulla diuersi temporis scripta testantur, *familiaris est* ista temeritas, deprauandarum scriptionum — *Actio altera*, fuit de imaginum cultu. *Canones* 17 editi. 1. de fundatoribus monasteriorum; non licet, sine Episcopi licentia fieri; nec ipsi constituant se aut alium praefectum. 2. de monachis hypocritis; 3. 4. de monachis extra monasteria. 5. *triennio* antea probentur, quam accipiant habitum angelicum. 6. ne quid proprii habeant monachi. 7. ne episcopatum in damnum noua fiant monasteria. 8. qui Eunuchos faciunt, a sacerdotio repelluntur. 9. Etiam, qui verberant; verba enim et monita conuenire sacerdotibus, non verbera. Hic *Balsamen* praeceptorum ius et disciplinam eximit. Porro: qui sacra vasa rapuerit; magistratum vel curam secularem susceperit clericus. 13. contra eos, qui ab episcopi communione recedunt, ante eius damnationem; item, si episcopi a metropolitano; aliique, qui a patriarcha se separant. Ne quis viuenti superordinetur. 17. ne laicus repente fiat episcopus, nisi per gradus adscenderit. *Latrocinalem* hanc solent dicere synodum Romani; *Ignatius*, vt maiora mala effugeret, in laicali habitu, duas sportas humeris sustinens, ex vno pendentes ligno, instar baiulantis militum oculos fallit, qui domum cinxerant; (*Nicetas* sic narrat

et ſpiritus ſ. ductum laudat.) Ante fugam per *Theognoſtum* eius nomine libellus ad Nicolaum ſcriptus et miſſus fuit, quem e codice *Columnenſi* edidit *Baronius*, translatum a Petro *Morino*, a. 861, n. 25; ſed eum legati reduces praeuenerunt tempore. *Photii* quam attulerunt, epiſtola, ſtudioſius refutat papam, de epiſcopis ex *laico ſtatu*; *Ambroſium*, alioſque oggerit; de *canonibus* non inepte diſputat — eccleſiaſtica iura, maxime, quae de regionibus ſunt et finibus, ſolent cum reipublicae poteſtate et gubernatione mutari; quod igitur haec illa ſic habent, non meum eſt ſed adminiſtrationis publicae crimen. — non debebant Romae temere recipi, qui ſine litteris commendatitis a nobis veniunt — vel improbi homines, cum hic examen et poenas metuunt, *voti et orationis* nomen ſuae fugae imponunt. Papa conuocato clero, publice, praeſente legato graeco, negauit, ſe mandata dediſſe ſuis legatis pro deiectione *Ignatii*, promotione *Photii*, numquam daturum. Epiſtola quinta reſpondet *Michaeli*; *ſexta*, vero *Photio.* (*Harduini* tom. 5. pag. 129 ſeqq.) Ad *Photium* (prudentiſſimum virum nominat, laicum) multa praefatus eſt de *Petri primatu* — conſequens eſt, vt, quod ab huius ſedis rectoribus ſancitur, nullius conſuetudinis impediente occaſione remoueatur — *Ambroſius* diuinitus electus eſt; ei puero, in cuius os examen apum inſedit — miratur, quod *Photius Sardicenſe* concilium et *decreta* pontificum neget ſe habere aut recipere, cum *omnis eccleſia* illud recipiat — ſi *decretalia* iſta non habetis, veſtra eſt incuria. Epiſtola 4 eſt *encyclica*, ad patriarchas metropolitas orientis; *Photium* Romae non recipi &c. Imperator ſtatim alium miſit legatum *Michaelem*, protoſpathar. cum epiſtola parum honorifica, (blasphemiis et iniuriis plenam dicit *Nicolaus*, ep. 8.) Papa iam multa de ſacerdotum auctoritate; *dii* dicuntur — quod *maiores veſtri* in nullo ſedem romanam quaerere dignati ſunt, veſtrum eſt dedecus — inuenietis, ſi requiſiueritis, ſi tamen *non falſata Graecorum more* — perſeueret — Scripſiſtis, vt a nobis ad

vos

vos quidam mittantur, sed non fecerunt sic pii imperatores (papa fingit ignorare se, historias seculi sexti et 7.) Romanam, seu latinam linguam vocastis *barbaram* (nempe recte, vt Rom. I. graecis, barbarisque;) Huius ditione linguae Cpolitana ecclesia *lectionem apostolicam et Euangelicam* in stationibus fertur *primum recitare, sicque demum graeco sermone*, propter Graecos vtique, *ipsas lectiones pronuntiare.* (Hoc operae pretium est accuratius requiri;) — *Gregorius* Syracusanus, millies condemnatus; (nempe *Ignatius* sede hunc priuarat, et *Leonem* rom. rogauerat, vt consentiret damnationi; hic distulit, donec et pars haec altera audita esset; sic Nicol. ipse, epistola 9 narrat; sed quomodo *millies* damnatus? Fecerat *Photius* fere idem, et romanae sedis impetratum ibat consensum aduersus Ignatium, quod fecerat de *Gregorio Ignatius*; sed papa iam fuit audacior.) —. numquam aut vix sine romani ep. consensu aliquis Cpolitanus sede sua priuatus fuit; cur in solo *Ignatio* memoriam b. *Petri* obliuioni tradidistis? — dicite, vbinam legistis imperatores vestros *interfuisse synodis*, nisi forte, in quibus de fide tractatum est, quae non solum ad clericos sed etiam ad laicos pertinet — (Meminerimus concedi hic ius rei, quod solent alibi romani iidem reprehendere) vos autem in synodo hac, in causa *sacerdotis* (nempe res iam maior est!) interfuistis. — apud b. Petrum, *Methodius*, (in causa imaginum,) *Athanasius* et Paulus requiem inuenere — in b. Petro omnia sumus adepti; ei addita est societas b. Pauli; multa de Petro, — ab eo (per Marcum) *Alexandria*, *Antiochia*, fundata — vultis, vt istos monachos vobis tradamus, quasi iniuriatores imperii vestri; sed eorum quidam *Romae ab ineunte aetate* vixerunt — vas, quod Petro ostensum est, animantium omnium genera continens, est vrbs Roma — tandem nobis minitamini, quasi patriae et vrbis nostrae exterminium illaturi. — sedis apostolicae iudicium a nemine est retractandum. — dicit et hic papa, Petrum *interemisse* mentientes, Ananiam &c. Tandem multa descripsit ex

tomo *Gelasii*, de anathematis vinculo — imperator iura pontificum sibi non attribuat — *per imperialem sententiam* Ignatius *non potuit sede priuari;* (nempe haec iam noui iuris episcopalis est formula;) Longissima est haec epistola, et ad praecipua noui iuris praesidia pertinet. Plures iam *Nicolai* epistolas in hac caussa praeterimus; satis enim ex istis intelligimus, quo nam spiritu abundent.

Iam *romana in synodo* Photius damnatus fuit; etiam *Gregorius*, Syrac. quem iam *Benedictus* 3 damnauerat; ordinati a Photio, priuantur dignitate, *Ignatius* restitutus, etiam alii, eius caussa deiecti. *Imaginum* cultus confirmatus; *Radoaldi* qui aufugerat, damnatio; (*Nicolai* ep. 7. et 70, ad *Hincmarum* et alios Caroli in regno episcopos, qua *Graecorum* obiectiones mittit aduersus Latinos.) Iam et suo iure *Photius* vsus, in synodo, *Michaele* praesente, *Nicolaum* excommunicauit; supereſt epistola *Photii* encyclica, qua patriarchae orientis ad synodum inuitantur; ad *alexandrinum* latine, per *Federicum Mutium* translatam, e codice biblioth. *vallicellanae* in vrbe, edidit *Baronius*, a. 863, n. 34 seqq. Hic *Latinos* vellicat, qui *Bulgaros* corruperint; ad sabbatorum ieiunium eos traduxerunt; primam XL hebdomadam in lactis potationem et casei comestionem — sacerdotes legitimis nuptiis vtentes in odium coniecerunt; illi enim, qui *virgines multas sine maritis*, mulieres ostendunt, *matresque cum filiis*, *sine patribus*. Chrismatos a nostris, iterum chrismarunt, quia presbyteri hac virtute carerent; solis pontificibus hoc datum esse. — *Symbolum ipsum* adulterare non dubitarunt — *Rutheni* episcopum receperunt — Ex partibus *Italiae* synodica epistola ad nos allata est (aepp. trenir. et colon.) sexcenta mala et delicta continens, quae aduersus proprium episcopum conqueruntur illi, qui Italiam incolunt — diuersae etiam diuersorum epistolae, quae eadem confirmant, quarum exempla, vt rogabant nos, ad iecimus. Quaedam alia capita etiam commemorat *Nicolaus*, in epistola illa ad *Hincmarum*, quae Graeci solean

Latinis obiicere. Idem papa rem acu tangit, quod putat Graecos inuidia motos, quia *Bulgari* papae se subdidisse videbantur; *Basilium* et *Michaelem* iungit papa, in consiliorum societate; Natal. *Alexander* deceptum dicit papam, rumore falso; nam *Basilium* semper in *romanam* ecclesiam animo propenso fuisse; id quidem hic non opus est accuratius requiri. Interea *Photii* patronus *Bardas* caede miserabili occubuit; cuius imaginem S. *Petrus* ipsi ostendisse ferebatur; quae fabula animos hominum alterius partis prodit. Iam *nouae synodi* acta a. 876, quae *Nicolai* anathema repetiit, *Photius* per 2 episcopos in Italiam misit; *Nicetas* etiam narrat, eum rogasse regem *Franciae*, Ludouicum 2, vt *Nicolaum* desereret, *imperatoris*que pro ea re titulum in vrbe recitandum, promisisse. *Basilius*, quem Michael in societatem imperii adsciuerat, cum intelligeret imperatorem ipsi non omnino fidere; maluit praeuenire, eumque occidi curauit; *Nicetas* scribit a b. Martyre *Mamante* interfectum, (eius in aede enim accidit ista tragoedia;) perspicimus hic facile, orthodoxos vel caedem collaudare, si domesticis consiliis seruiat; *Basilius* alia se ratione maiori Graecorum parti vix magis placere posse vidit, quam, si contraria sequeretur consilia. (*Zonaras* dicit, *Photium* auctori caedis negasse communionem; quod cur Nat. *Alexander* refelliere audeat, facile patet. *Baronius* iam negabat.) Itaque et *Photium* statim abiecit, cuius sacci 7 varia suppellectile pleni intercipi contigit, in quibus inter alios libros, acta *synodi* aduersus *Ignatium*, cum picturis *Gregorii*, Syrac. et inscriptionibus actionum septem; 1. diabolus. 2. principium peccati — 7. antichristus. Restitutus igitur *Ignatius; Basilius* et nouus patriarcha ad *Nicolaum* scribunt; romanae auctoritati omnia tribuentes, et eius sententiam expetentes. Nec *de caede* Michaelis aliquid addunt; nec papa oggerit canones, de homicidio, et multo minus illos, de domino; opus non erat, quia S. *Mamantis* iussu, et S. *Petri* auspiciis, occisus fuit. *Luitprandus* ticin. qui Cpoli ipse

fuit, aliam visionem narrat: Christum tenuisse dextram Michaelis, et hunc increpuisse: cur interfecisti regem, dominum tuum? *Basilius* itaque eleemosynis multis dedit operam —. Iam quae visio praeplacet? *Basilii* humilem ad papam epistolam habet *Baronius* ad a. 867. n. 103 seqq. *Ignatii*, similem, satis inuenustam, n. 108, ex synodo octaua. *Anastasius* iam narrat, de legatione *Basilii* ad *Hadrianum*, atque audet in dubium vocare, an Basilii voluntate *Michael* iteremtus sit. Legati attulerunt *Photii* librum contra romanam ecclesiam; vnus legatus librum Romae in terram proiecit; sorti ad librum declamatione vsus; in *synodo romana* iam in ignum missus, assumque fuit, vt idem Cpoli fieret exemplaribus, si qua reperiantur. *Hadrianus* primus ad *Ignatium* scripsit, per redeuntem *Theognostum;* idem ad Basilium scripsit, de synodo oecumenica habenda; (vid. Synod. 8.) foedas laudes cumulat: tu es alter Salomo, — *coelitus consecutus imperium* — remedium nostrae sedis quaesiuisti, quae semper Cpolitanae episcopis, quibusdam errantibus, aliis afflictis, subuenire solebat — quicquid erga Ignatium, diuinitus inspiratum peregisti, id scias nobis et omni occidental. ecclesiae *per omnia placuisse*, quae *coelitus* protecto tuo imperio gratias agunt — comburantur in concilio *Photii* scripta — remittantur *Romam* monachi graeci, qui sine nostris litteris Cpolin redierunt; in nostris enim monasteriis presbyteri facti fuerunt. Papae legatis Thessalonicam obuiam graeci missi, (inter eos *Theognostus*, qui apud *Nicolaum* pro Ignatio *sedulus intercessor* fuerat, sic *Anastasius* biblioth. narrat) cum 40 equis de stabulo imperatoris, et totius mensae argenteae apparatu; — papae litteras *Basilius osculatur* — Romani dixerunt: neminem vestrorum orientalium suscipere nobis licet. (vt synodus *romana* iussit,) nisi oblato tali libello, cuius formam exhibemus; (*Baron.* a. 860. n. 19 seq.) in ea dicitur: sequimur in omnibus sedem apostolicam et *obseruantes omnia eius constituta* — et omnium, qui non consentiunt cum sede apostolica,

eorum

eorum nomina non recitabimus in eucharistia. — Fatetur *Nicetas: Ignatio* in hac synodo non fuisse auctoritatem agendi, quae vellet; *romanis* enim, per antiquam tradit. eccles. potestatem relinquebat. Intelligimus *Ignatium* ipsum *romanizasse;* aliter passus non esset, episcopos photianos hac formula vti: miseremini, per interessionem Mariae, Apostolorum et beatissimi, sanctissimique *Nicolai.* Ohe! satis est κολακειας turpis. Interfuerunt *Thomas*, aep. Tyri, locum tenens patriarchae antiocheni, quae sedes vacabat; et *Elias*, Syncellus *Theodosii*, hierosolymitani, qui rogabat captiuis Saracenis libertatem restitui, vt christiani eo melius sub istis dominis haberent; *Ignatio* autem misit *poderem* et *humerale* cum *mitra*, pontificalem *stolam* S. *Iacobi*, primi aep. Hierosolymitani, qua antecessores solebant amiciri; (mirae reliquiae!) Cetera *synodi octauae* acta facile ex iis cauſis, quae antea locum habuerunt, satis nota sunt; *Photius* ipse, actione 5, satis inuitus synodo sistebatur, (nempe psalmo 31 vtuntur, in camo et freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te; lepide!) *Photius* et ipse non a calliditate alienus, *silentium* perpetuum obtinuit; nihil quicquam locutus: *Acclamationes* istae solitae et hic leguntur. Actione 6 *Zacharias*, chalced. ep. Photium defendit, *Ignatium* iure depositum fuisse, nec libellum romanum suscepit; ineptissima hic recitatur *Basilii* imp. oratio, seu exhortatio ad Photianos. Actione 7 *Photius* publice romanos legatos poenitere ipsos iussit, sibi non opus esse; *Nicetas* in vita *Ignatii* addit, Episcopos, cum *Photii* damnationem confirmarent, intinxisse *calamum in ipso saluatoris sanguine.* Nempe hoc adhuc deerat ad summam foeditatem; quis audeat ista vel excusare, quae hic in concilio publico quasi diuino iure tam turpiter et abiecte fiunt? Actione 8 in vase aeneo, combusta scripta Photii et chirographa. Actione 9 accessit legatus alexandrini patriarchae Michaelis; et falsi testes contra Ignatium, poenitentiam susceperunt. Iam venerunt legati *Ludouici* regis,

Anastasius biblioth. *Suppo*, comes, Euerardus, com. pro matrimonio inter eius filium et *Basilii* primogenitum; narrat ipse *Anastasius*: in tam pio negotio, quod ad vtriusque imperii vnitatem et totius Christi ecclesiae libertatem (aduersus Saracenos in Italia,) pertinere procul dubio credebatur, praecipue summi pontificis (romani) quaerebatur assensus. Dei ergo nutu factum est, — (ego) qui *per septennium pro eo indefesse laboraueram* et per totum orbem verborum semina sedulo scribendo, disperseram. Operae pretium est ex ista *praefatione Anastasii* quaedam hic repeti, vt eo facilius forte ista intelligantur, quae satis obscure narrauit. Patriarcha *Ignatius* (pag. 749 Harduini) consecratus fuit tempore Michaelis et Theodorae; abdicato iconomacho, *Iohanne*. Is, Ignatius, qui, Michaele quondam imperatore, cuius filius erat, imperium sponte — dimittente *eunuchus inuidia factus est* (cur iam *Photio* obiiciunt, quod Eunuchus sit?) Photius, senator, suspicabatur, eum accusare vitam decessoris sui, S. *Methodii*; itaque schismatici, quorum auctor *Gregor.* syracus. eum odio habebant; Bardus Michaeli persuadet, *Ignatium* id agere, vt matrem imperatoris alii marito sociaret, et imperium transferret; itaque Ignatius deiectus fuit. — Interea occiditur Michael (nihil addit, contra tam immane flagitium.) — facta igitur est haec synodus, anno Basilii 3. — Eius acta legati romani, in praedones Slauos incidentes, (non sine Graecorum machinatione,) amiserunt; ego meum alium Romam attuli; tu, (papa) iussisti translationem fieri; feci, additis in margine scholiis. — monco, ne forte posthac in graecis codicibus aliquid additum inueniatur aut mutatum; nihil minus vel amplius in synodo definitum fuisse. Iam copiose narrat de *caussa bulgarica* — tota Dardania; Thessalia, Dacia, vtraque Epirus, et regiones ceterae iuxta Istrum fluuium, apostolicae sedis moderamine antiquitus *praecipue* regebantur, rex *Bulgarorum* omnia in hunc priorem reformare voluit statum. — Graeci imperatores, *occidentis amisso imperio*

rio cum iubere iam nequeunt, suadere conantur romanis pontificibus — itaque patrios terminos transferunt, omnia iura pene auferunt, ius in has praedictas regiones, vsurpant, et suae dioeceſi addunt — irruerunt *Bulgari* et omnia circa Danubium occuparunt; sic Graeci, cum iure dioeceſeos vsurpatae etiam sua, partem propriae poteſtatis, amiſerunt. — rex Bulgarorum coram Romanis legatis *suos capillos* prehendens, se seruum fecit b. *Petri*, eiusque vicarii. — falso Graeci Regi Bulgarorum scripserunt, sententiam canonicae fuisse latam, quod Bulgari Cpoli subsint &c. Hinc satis patet, papam non tam *canonum* auctoritatem, quam sua consilia amasse, quibus *Photius* vehementius, quam Ignatius, obstabat. Sed et ipsi graeci quidam, vt notauit *Anastasius* ad actionem primam, *de subiectione ista*, per libellum, questi fuerunt; igitur chirographa furto a Romanis legatis ablata, si credimus Anastasio, sed et querentibus reddita. Res postea gestae facile ostendunt, *Basilium* ista omnia tantum πρὸς ὥραν sic egisse. *Canones graeci* tantum reperiuntur 14, *Anastasius* vero *latine* exhibet 27; *latini* solent esse phrasibus et sententiis copiosiores. 1. patrum definitiones vt *secunda* dei *eloquia*, si qui oportet, sicut *Dionysius* — (haec in graeco non sunt). 2. quae a Nicolao et Hadriano in causa *Ignatii* et *Photii* expoſita sunt, teneantur. 3. *imagines* sic, vti euangelia, oportet προσκυνεῖσθαι; pictura locum syllabarum habet, 4. *Photius* non fuit aut est episcopus, nec ordinationes eius valent. *Natal. Alexander* diuidit, ordinationem, (quantum ad characterem episcopi,) fuisse validam, licet non legitimam; sacerdotii characterem, quem habuit, in alios transfundere potuit; mira sedulitas *romana.)* 5. ne Neophytus fiat episcopus ex laico; (aliud vero tempus seu interstitium ab episcopo contrahi potest;) lector per annum; &c. 10 anni episcopum praecedunt. 6. nouum anathema in *Photium*, quia falsos legatos subornauit. 7 anathematizatis fas non est imagines ἀναθεμάτιζειν, aut pingere, aut scholis praeesse. 8. ne patriarchae Cpol. chiro-

grapha exigant, ad sui defensionem. 9. ante causae cognitionem nemo se a communione episcopi &c. seiungat. 10. ne quis statuat duas esse animas. 11. ne episcopi ducibus bellicis aliisque dynastis *iusto longius obviam* procedant, sed suum honorem super illum seruent. 12. Falsum est, sine secularibus principibus non posse synodum haberi; fas non est, *mundanos* esse spectatores rerum, quae dei sacerdotibus contingunt. (Hic Nat. *Alexander* contraria iura esse in Gallia recte annotauit contra *Christiani Lupi* animaduersionem in Scholiis ad hunc canonem.) 13. ne in synodo quidem oecumenica licet audacter veteris Romae pontificibus se opponere. 14. Episcopi ὡμοφορια tantum legitimo tempore habeant. *Anastasius* etiam ordinem canonum mutauit — tandem sequitur *epistola* Synodi *encyclica;* alia synodi ad *Hadrianum*; Imperatorum, ad sedes patriarchales; ad *Hadrianum* (cum muneribus variis.) *Ignatii* ad *Hadrianum*, de *lectoribus* multis a Photio ordinatis; de *Paulo* quodam, vt recipiat episcopalem dignitatem, de *Theodoro*, Cariae ep. (nempe sine papa nihil audebat ipse efficere?) — mitto etiam Euangelium *graecolatinum*, diligentissime *correctum;* (memoria dignum et hoc, pag. 938 *Harduini.*) orarium deauratum, casulam, et *theriacum* probatissimum. Parum abest, quin statuam, *graecolatinos* libros originem habuisse inter Graecos, quia *Nicolaus* antea, p. 323 narrabat, Cpoli prius *latina* legi solita, dein graeca *Hadriani* epistola ad imperatores; quaeritur, quod *Ignatius* in Bulgarorum regione praesumat ordinare antistitem. Hic ex *Anastasio* in vita *Hadriani* repetendum: statim post solutam synodum, die 3, venisse a Bulgarorum rege Michael, legatos ad imperatorem, *qui de dioeceſi*, cui subsint, rogabant? negarunt romani legati, ipsis de hac causa aliquid mandatum esse. *Bulgari* dixerunt: nos a Graecis eam terram vindicauimus, ergo graecae esse ordinationis. Romani dixerunt: sedes apostolica vos, (omnes patriarchas) quia re vera inferiores estis, super sua causa iudices non

ad-

admittit. Vicarii orientis dixerunt: satis indecens est, vt vobis, qui Graecorum imperium detrectantes *Francorum* foederibus inhaeretis, ordinatio seruetur, in regno nostri principis; Bulgari sunt sub Cpoli. *Ignatius* hic in angustias redactus fuit. *Baronius* narrat, autographum *Anastasii*, (translationis latinae Synodi) habuisse se; ex monasterio *Auellanae* in bibliothecam columnensem transierat. Queritur idem *Anastasius*, in vita Hadriani: in epistola Hadriani abrasos fuisse a graecis aliquot versus, quos papa in *Ludouici* laudes scripserat; quia nomen imperatoris non patiebantur. Itaque intelligimus iam clarius, quid voluerit *Anastasius* in praefatione synodi, qui per *septennium* in isto nuptiarum contrahendarum negotio multa scripsisse narrabat, (antea pag. 328.) Ista omnia Papae fuerunt studia et callida consilia, quibus certum est talem patriarcham, ac Photius fuit, decipi atque ad bulgaricam dioecesin negligendam adduci non potuisse. Nec opus erat, vt *Baronius* declamaret, (a. 869. n. 87-90.) in talem imperatorem, et aduersus Graecos, qui loco *huius synodi*, aliam *Photii* praeferre solent. Idem Baron. a. 870. n. 44 *Metrophanis* narrationem de caussa *Photii*, iussu patricii *Manuelis* scriptam, ex *Metii* translatione, inseruit. *Photius* interea in exilio varias scripsit epistolas; e quibus, licet non omnes superfint, constantem hominis animum, et quaedam alia perspicimus; e. c. ad *Gregorium*, Syracus. quem hortatur, vt extruat et consecret porro multa templa — Ex Epistola Hadriani ad *Ignatium* (a. 871. n. 16) confirmatur, istam contra *Photium* tragoediam, praecipue cum *Bulgarica* causa cohaerere; graeci enim presbyteri ideo a papa prohibiti sacra peragere, quia essent ex *Photii* communione. A *graecis* e Bulgaria se eiectum dicebat *Grimoaldus*, qui *ditissimus* tamen rediit. Ipse *Photius* ad imp. *Basilium* lectu dignam epistolam misit, qua praecipue queritur, vel librorum vsum ipsi ablatum; ex Petri *Morini* translatione *Baronius* exhibuit a. 871. n. 18 seqq.; etiam *encyclicam* ad omnes episcopos; istae epistolae, vt Baronius maxime con-

tem-

temnat, sunt tamen et eloquentes et frugiferae — idem fatetur, a. 877. n. 30, ex parte *Photii* fuisse episcopos, *numero plurimos*, qui cum *Ignatio* noluerint communicare. Igitur, quodnam fuit illud *oecumenicum* atque vniuersale concilium? Imperatorem ipsum idem a. 869. n. 87 dixerat *infidelem* in deum, et *seruili*, *illiberali* animo in sedem romanam; hunc autem eundem imper. papa *Ioh.* 8, seruili et illiberali stilo vsus, ita laudauit, (*Baron* 878 n. 2.) deus imperii vestri cornu salutis erigens nos benignitas visitauit; qui minus contenti imperio, etiam angelorum estis imitati ministerium — legatis nostris praecepimus, vt *causa tantum* visitationis Bulgariae regem adirent (ista *Baronius* dicit putari a schismaticis adiecta esse;) — *Ignatium* vero increpat (ibid. n. 5) quod Cpolit. dioecesin per *rom.* sedis auctoritatem receperit, itaque a Bulgaria abstinendum ei esse — iubet, vt intra 30 dierum spatium clericos omnes reuocet, quippe iam Romae excommunicatos — ; eiusdem papae epistola 75. 77. Bulgariae regem hortatur, vt *redeat* ad rom. ecclesiam. Illud autem mirum est, etiam cum *Anastasio* intercessisse *Photio* litterarum commercium, satis arctum (e. c. scripsit, consilium non reprehendo — sed bene est, quod mens et voluntas tua vel sero *misericors fuerit*). *Nicetas*, *genealogiam Basilii* in vetustissimis membranis, *alexandrinis* (i. inusitatis,) characteribus confinxisse Photium narrat; forte fabulam, quibus ingenia multorum solent facile adhaerere; cuius generis alias et *Nicetas* prodit, de pane sacro, qui instar *caelestis ignis* mutatus fuerit; de cruce super altari, concitata et eleuata; et *Stylianus*, *Santabarenum* magicis poculis et esculentis infeciisse Basilium. Tandem *Ignatio* mortuo, *Photius* in thronum restituitur. Iam ad *Iohannem* 8 legatio imperatoris Basilii, Photii, et *Hierosolymitani* patriarchae, (qui *Iacobi* sacra vestimenta Ignatio miserat,) vt *Photius* in patriarchatu agnoseretur. Hic *Baronius* breuibus: causae plures intercesserant (*politicae* omnes) quod legati isti statim impetrarint, quod volebant; licet ipse olim papa iuramen-

ramento interpoſito firmaſſet, numquam *Photium* recipiendum, qui numquam vel ſpeciem poenitentis, (cur enim?) prae ſe tulerat, hinc quidam fabulam de papa *femina* originem habuiſſe putarunt. Epiſtola *Iohannis* ad Baſilium conferenda cum iſtis *Nicolai* et *Hadriani*, vt intelligamus, quanta ſubſit vanitas ſub iſta difficili eccleſiaſticae religionis ſpecie; nihil quicquam hic de *Photii* iſtis (confictis nuper) criminibus; modo a *Bulgaria* abſtineat, iam hortatur Baſilium, vt *Photium* in magno honore habeat, nec *ſuſurrationibus* eorum credat, qui ſub labiis ſuis portent venenum aſpidis &c. Tandem excommunicatio omnibus iis portenditur, qui cum *Photio* communicare nolint — Differt autem haec latina epiſtola non parum a graeco exemplari, quod in ſynodo *photiana* habetur; *Baronius* id fraudibus *Photii* tribuit. Iam *Photius* alia ſynodo publice rem ſuam reſtituit, praeſentibus romanis legatis, quae ſynodus poſtea ſuperioris loco, nomine *octauae* oecumenicae inter graecos vti ſolebat. Facile autem patet, nec mediocrem adhuc collectionem actorum nos habere, nec e Graecorum manibus veniſſe eam, qua poſt Matth. *Raderum*, ex *Harduini* editione pag. 1134 ſeqq. vtimur; inſunt et negligentiae clara documenta; conferatur exemplum epiſtolae *Iohannis* romani ad patriarchas orientis pag. 1182. et aliud p. 1191; eſt vna eademque epiſtola, ſed alia et duplex graeca recenſio. *Actio* 1. *Photius* elegantem habet orationem; *Iohannes*, Heracleae in Thracia ep. alia oratione in *Nicol.* 1. et *Hadrianum* inuehebat, omnium turbarum auctores. *Actio* 2 ſequitur epiſtola Iohannis 8 ad imper. et Photium; alia, *Michaelis* alexandrini, vt ſuperior ſynodus aboleatur. *Thomas* ille, antiocheni vicarius, facile omnia antea acta reſcidit; hieroſolymitani patriarchae, *Theodoſii*, epiſtola, ſeu panegyricus, ad *Photium*; etiam ſimilis *antiocheni*. *Actio* 3. 4. Leguntur litterae *Iohannis* rom. ad omnem eccleſ. Cpolitanam et commonitorium legatis datum; capitula 5. recitantur, a legatis ſynodo propoſita. 1. de dioeceſi Bulgariae, hoc imperatori relictum,

2. ne

2. nc laicus posthac fiat patriarcha; 3. vt hic sumatur e clero ecclesiae; 4. *vt abrogetur synodus contra Photium habita*, (ergo haec fit iam *octaua*.) 5. excommunicentur ii, qui nolint cum Photio communicare. *Actio* 5 confirmatur *septima synodus*. Canones 3 editi; 1. vt a Photio habeantur pro depositis, quos romanus excommunicat; et contra. 2. Episcopus, qui ad monasticum statum descenderit, istam dignitatem non retineat. (Hoc canone vsus est in rem suam aliquando *Innocentius* 3, vid. Nat. *Alexandrum* pag. 270 edit. paris. 1730 tomo 6.) 3. anathema laicis, qui episcopos sine causa in carcèrem coniiciunt. De *processione Spiritus S.* hic publice nihil actum fuit; sed *Photius* post menses tantum non duos, cum episcopis in aureo palatii triclinio, praesente imperatore, fidei confessionem edidit; recitatum symbolum, et prohibitum ne quis *ei adderet* quid aut demeret; post dies aliquot in conuentu alio, in magna ecclesia, iteratum fuit anathema, si quis quid adderet, aut demeret. Itaque *actiones* VI. et VII synodo adnumeratae a graecis. *Allatius* de 8 Synodo photiana pluribus de hac causa egit, sed minus ingenue, atque sic, vt romanis ista scriptio placere posset. Igitur et hic *legati Romani* nullam a Iohanne inierunt gratiam, quia plura Graecis concesserunt, quam mandatum fuerat; *Marino*, cardinali, noua Legatio data, qui iam contra *Photium* synodo interfuerat. Is rem, vt potuit, perfecit, damnato Photio; ipsum vero imperator per mensem in carcere tenuit. Iam et *Iohannes* in Photium anathema repeti iussit; idem fecit *Marinus*, *Hadrianus* 3, *Stephanus* 6, cuius epistolam *Leo*, sapiens, mortuo *Basilio*, accepit. Nouus imperator res sic conuertit, vt amoto Photio, cui minus fidebat, patriarchatum dederit suo fratri *Stephano*, quem diaconum ordinarat *Photius*; reuocauit etiam omnes, qui ob photianam causam exules facti erant. Scripsit iam *Leo* ad *Stephanum*; scripsit et *Stephanus*, neocaesar. metropol. cum aliis epp. (haec epistola est historica;) papa rogatus, vt a canonum rigore iam liceret recedere. *Leo* scrip-

scripserat: *Photium* quietis caussa abiisse a dignitate; isti vero, eum a cunctis deiectum; itaque *Stephanus* iubet legatos Romam mitti. Venerunt post *Stephani* mortem, 891. *Formosus* respondit Cpolin legatis missis; iam obscura quasi nox *Photii* historiam inuoluit; alii graeci eum in ecclesiae communione mortuum dicunt; latinizantes quidam negant, alii eum cum romana ecclesia reconciliatum fuisse narrant. Nat. *Alexander* dicit, exstinctum fuisse cum eo schisma, nec hoc ante *Cerularium* reuixisse; nempe res eo redit, vt accuratius designetur. Si quaerimus: vtrum ista iuris formula, qua *Ignatius* restitutus, vsi porro fuerint illi Graeci Cpolitani episcopi, vt praeposuerint sedem romanam suae: negamus; romanorum vero episcoporum auctoritate vel contra Cpolitanum patriarcham quidam abuti solebant; ipse *Leo* e. c. in *quartis* nuptiis.

CAP. III.

Historia doctrinae publicae.

I. Inter latinos christianos.

1. *Caussa Godeschalci.*

Breuibus, vt quidem licuerit, istam caussam hic describimus, quae hoc seculo non solum ita agitata fuit, quasi christianae saluberrimae institutionis ipsa arx defendenda esset, aduersus hostem obstinatissimum; sed quae etiam postea, tantum non ad nos vsque eruditorum ingenia varie exercuit. Nempe tanti erat, antiquiorum quorumdam scriptorum auctoritatem iusto maiorem iam olim habitam fuisse; vt sapientiae et prudentiae alios alio modo obsequi vix fas fuerit. *Augustini* enim ista vis et vehementia, aduersus *Pelagianam* difficilem et tristem laruam, ad posteros etiam multos translata fuit, qui huius viri siue eruditionem, siue pietatem vltra humanam sortem solebant euehere. Liceat autem nobis nostro iure omni sic vti, vt

sequa-

sequamur rationes illas, quas nostra in luce haud dubie, si audemus, longe accuratius et felicius perspicimus, quam latini homines, per ista cuncta tempora, perspicere poterant, a graecae linguae ingenua consuetudine, et iudicandi sana facultate, longe magis, quam nos, alieni. Vtemur autem praecipuis inde ab *Vsserio*, ad nostrum tempus, scriptis.

Orbacensi in monasterio, *sueſſion.* episcopalis, rhemensis aep. dioeceseos, monachus fuit *Godeschalcus*, eruditione satis clarus, multisque aliis, vel aduersariis suis, praestantior; ad quam in *Augiae* diuitis coenobio videtur praecipue habuisse aditum. Presbyteri honorem a rhemensi chorepiscopo, (cum sedes *Ebbonis* vacaret,) impetrauerat, quae res et ipsa videtur non nihil contulisse ad inuidiae originem; sicut et hoc, quod e monasterio, vt *Hincmarus* rhemens. scribit, *irregulariter* exiit, praedicatoris et euangelizatoris quasi personam sibi ipse imponens. Varia itinera suscepit, etiam in *Italia* fuit, et Romae; per *Dalmatiam*, *Pannoniam*, et *Noreiam* (annales *Bertin.* 849). Redux apud comitem *Eberardum*, in cisalpina Gallia diuertit; cum Episcopo *Nottingo*, (alii brixiensem, alii veronensem, vercellensem, nominant,) sermones habuit, de *duplici* praedestinatione. A *Notthingo* de ea re certior factus *Rabanus*, (in pago *Logaue*, in transitu expeditionis hostilis, imperatoris *Ludouici,)* moguntin. aep. scripsit contra hunc errorem (praefatio ad *Nottingum.*) Facile intelligimus *Godeschalcum* isto libro offensum, atque amicis non destitutum fuisse; etiam *Remigius*, aep. lugd. autor libri *de tribus epistolis*, admonuit, *Rabanum* excitare quaestionem minime necessariam, relicta re ipsa, nec *Godeschalcum* cunctis imperitis importune atque praepostere talia ingessisse; sicut et *Lupus Godeschalcum* monebat, vt ne ingenium in talibus contereret; ne his vltra quam oportet, occupatus, ad *vtiliora* vestiganda et *docenda* minus sufficeret, (epistola 30.) Nempe et *Augustino* iam *Hilarius* aliique in Gallia obiecerant: *nouum* atque

inu-

inutile esse praedicationi, quod — dicantur; ipse *Usserius* (in Historia *Godeschalc.* controuersiae pag. 14. edit. in 4) sic describit *Godeschalcum*, quod fuerit *Augustinianae* (nouae) doctrinae studiosissimus, et *illarum quaestionum*, quae a communi intellectu magis *remotae videbantur*, curiosissimus indagator. *Rabanus* iam *synodum Moguntiae* coegit a. 841; *Godeschalcus* obtulit professionem de duplici praedestinatione (*electorum*, ad requiem; *reproborum*, ad mortem,) et libellum contra *Rabanum*, vsus praecipue *Augustini* scriptis, et, *hypomnesticon*, seu hypognosticωn, quorum auctor solebat, licet falso, haberi Augustinus. *Hincmarus* in libro de *praedestinatione* plura *Godeschalci* loca excerpsit; *Rabanum* hic non obscure *Semipelagianis* adnumerauit. Difficilior fiebat ista caussa, quia ista sententia in ea inuoluebatur: omnes eos saluari, pro quibus Christus sanguinem fuderit, ex dei decreto; pro aliis vero, quos praescisuit pessimos futuros Christi sanguinem non fusum fuisse. Iam enim ex aliquo tempore de redemtione et ἀπολυτρωσει per Christum facta haud paulo alia informari solebat, quam antiquitus per varias prouincias, disciplina. Hac in synodo damnatus fuit monachus, cuius aduersarii hic fuerunt *Lupus Seruatus*, presbyter, (cuius liber de 3 quaestionibus etiam laudatur,) et ipse *Rabanus;* non cessit tamen; *incorrigibilem* enim eum dicit *Rabanus*, in epistola *synodali* ad Hincmarum; *rationabiliter*, vt plurimis *visum est*, conuictus, Remos transmissus est, scribunt *annales* Fuldenses. Haec breuius *Usserius;* verbosius Natal. *Alexander* refutauit *Trithemium*, qui in vita Rabani falso scripsit: *Godeschalcum* publice errorem suum reuocasse; nec eximie meruit *Alexander*, quod *Mauguini* sententiam refutatum iuit, *Rabanum* nullo legitimo iure iudicis hic personam gessisse; *placitum* potius regium (*Ludouici*) fuisse, quam proprie dictam synodum; iudicium de isto monacho praecipue a Metropolitano suo exspectandum; ideo potius *Moguntiae* repulsum, quam damnatum iam fuisse. Id facile patet, monachum hos ar-

bitros omnes etsi non timuisse disputatores, tamen non admisisse iudices. Iam a. 849 in *carisiaco*, palatio *Caroli* Calui, ad synodum Epporum XII adductus *Godeschalcus* haud dubie aepiscopis non parum negotii effecit, licet *Hincmarus* scribere audeat (cap. XI. de praedestin.): eum nihil ratione dignum dixisse, sed vt arreptitium in contumelias singulorum (nempe, quod historicam causam Augustiniani dogmatis ignorarent,) erupisse. Itaque illa sententia hic in eum lata: frater *Godschalce* — sacerdotale officium, noueris tibi *iudicio Spiritus S.* cuius *gratiae* est, tibi ablatum et interdictum. Insuper — *durissimis verberibus, te castigari* (poena antiqua, si placet, monachorum irregularium) et secundum ecclesiasticas regulas, *in ergastulum* te trudi, auctoritate episcopali decernimus; — *perpetuum silentium* ori tuo, virtute aeterni verbi, decernimus — Cum *Mauguinus*, quod boni hodie omnes faciunt, istam triplicem poenam improbarit: *Nat. Alexander* sustinet latam sententiam defendere; quasi ratione careret, quod iam *Remigius*, lugdun. aep. isto tempore reprehendebat. Nos autem iuuerit istas *Remigii* sententias hic describere: inprimis illud videtur absurdum, quod miserabilem monachum *prius abbates*, qui praesentes aderant, ad *caedes et flagella* iudicasse referuntur, et *deinde* episcopi iuxta eccles. iura, damnasse, cum ad episcopale tantum iudicium pertineret — sed et de ipsis flagellis et caedibus, quibus sec. regulam S. *Benedicti* dicitur adiudicatus, quibus et omnino fertur *atrociſſime et absque vlla misericordia paene vsque ad mortem dilaceratus*, quae moderatio iuxta pietatem ecclesiasticam, siue monachalem verecundiam, obseruari debuerit, ipsi iudicent — illud omnes prorsus non solum dolent sed etiam *horrent*, quia *inaudito irreligiositatis* et *crudelitatis exemplo tam diu* ille miserabilis flagris et caedibus trucidatus est, donec (sicut narrauerunt nobis, qui praesentes aderant) accenso coram se igne libellum suum — iam *pene emoriens* suis manibus in flammam coniiceret; cum omnes retro haeretici

ver-

verbis et disputationibus victi sint &c. Meminerimus istam iudicii formam hic iam illos imperitos homines praeiuisse aliis ipsis similibus, qui in *Constantiensi* concilio *Hussum* et *Hieronymum* fasciculis et facibus superarunt, quos rationibus non poterant. *Godeschalcus* tamen nec his malis fractus est; duplicem potius edidit confessionem, breuiorem, et copiosiorem; scribendi enim veniam nunc dabat *Hincmarus*, *Prudentium*, ep. *treccensem* non nihil reueritus. Celeberrima illa 4 capitula *carisiacae* synodi, ista fuerunt *Godeschalco* opposita. 1. quod *una* sit tantum praedestinatio dei. 2. quod liberum hominis arbitrium per gratiam sanetur. 3. quod deus velit omnes homines saluos fieri, licet quidam tantum, praeter meritum, dono dei, saluentur. 4. quod Christus pro omnibus hominibus passus sit. Iam vero diuisae fuerunt sententiae de ipsa *Godeschalci* sententia, et an conueniat cum patribus antiquioribus; *Amolo*, lugd. aep. (ad quem dicebatur *Godeschalcus* misisse scripta quaedam; quae res dubio et ipsa non caret, si quidem sunt, qui *Hincmari* fraude libellos tales subornatos opinantur; *Nat. Alexander* certe non videtur satisfeciisse *Mauguini* rationibus;) satis vehementem epistolam aduersus monachum scripsit, eique tribuit, praedestinationem *etiam ad culpam* pertingere, non tantum ad poenam. In *maiori* confessione satis audacter loquitur *Godeschalcus*, atque *publicum conuentum fieri* optat, propter minus peritos, cum isti quidem Episcopi corrigi non possint. Hic N. *Alexander* futilem istam sententiam fert: haereticis sollemne semper fuisse, vt disputandi opportunitatem poscerent; nempe quid aliter fieri ius fas erat? Cum patres omnes, temporum omnium, soleant esse diuisis sententiis, quo iure vnicam isti cunctorum animis volunt intrudere? Iam *Hincmarus* post istam duplicem confessionem edidit opusculum contra *Godeschalcum* ad Reclusos et simplices dioeceseos rhemensis; sed *Ratrammus*, corbeiensis monachus, in Epistola ad amicum perstrinxit; *Rabanus*, cui Hincmarus ista miserat, edita ad ipsum Epi-

ſtola *Hincmari* ſententiam tenuit; ſed parum iſtam partem defendit. A. 849 librum de quaeſtionibus a *Godeſchalco* motis, a ſynodo *pariſienſi* approbatum edidit *Prudentius*, trecenſis; eum N. *Alexander* dicit toto caelo diſtare a ſententia *Godeſchalci*, licet pro eius defenſione ſcribat, et iisdem vtatur loquendi modis. Iſtae igitur quaeſtiones 3, (de praedeſtinat. libero arbitrio, et redemtione per ſanguinem Chriſti, ſeu de *taxatione* ſanguinis Chriſti,) Galliarum eccleſias diuidebant. *Seruatus Lupus*, ferrarienſis abbas, cum *Carolo* Caluo, de hac cauſſa collatione habita, edidit 850 libellum de 3 quaeſtionibus; *liberum arbitrium* dicit ad malum per ſe vergere; ad bonum, ſi per gratiam dei liberatum ſit. Deus *vult omnes* homines ſaluos fieri, ex *Auguſtino* tripliciter interpretatur. 1) *omnes* eos, qui ſalui ſiunt; 2) omnes, omnium generum. 3) *nos velle* facit omnes fieri ſaluos. De *praedeſtinatione* non per omnia cum *Godeſchalco* conſentit; *ſanguinem Chriſti* ſi qui poſſint demonſtrare prodeſſe aliquid etiam perditis, libenter in eorum ſententiam tranſibimus — Idem *Lupus* alium libellum ad *Carolum Caluum* eodem anno ſcripſit de his iisdem quaeſtionibus; *teſtimonia patrum* praecipue collegit; ſolent enim multi negare, ſanguinem Chriſti *pro omnibus* fuſum, (hos fructum dicunt intelligere, non ad omnes redire;) — *Caroli* iuſſu ſcripſit etiam *Ratrammus*, corbeienſis monach. libros 2 de praedeſtinatione (duplici); ea in re deſcribenda vtrum multum differat a *Godeſchalci* ſententia, noſtra parum refert. — *ex culpa* delinquentes ad poenam perueniunt, non ex neceſſitate praedeſtinantis. Contra *Godeſchalcum* ſcripſerat etiam *Amalarius*, quidam, (cuius liber periit;) et *Iohannes Scotus*, Erigena, cuius librum 19 capitum edidit *Mauguin; ſynopſin* capitulorum ediderat iam *Vſſerius*. *Amalarium Remigius*, lugd. ep. vehementer carpſit, (qui et verbis et libris ſuis *mendaciis et erroribus* et *phantaſticis* atque *haereticis* diſputationibus plenis, omnes paene per Franciam eccleſias, nonnullas etiam aliarum regionum, infecit atque cor-

corrupit; vt non tam ipse (eius liber de hac caussa) interrogari, quam omnia eius scripta debuerint igne consumi —) Ex *Scoti* libro excerpsit *Wenilo*, aep. Senonensis, multas propositiones, easque misit *Prudentio* trecensi, vt eas confutaret; id hic et perfecit a. 852, prima verba: *blasphemias* tuas, atque impudentias — pleraque ex *Hieronymo*, *Augustino*, *Fulgentio*, *Gregorio* sumsit. Negat esse Haeresin *Godeschalcanam*, quam tamen describat *Iohannes*; nec *praedestinationem* nec *praescientiam* inferre futuris vim aut necessitatis violentiam. Scripsit contra 77 Scoti propositiones, quem dicit illud anathema (in eos, qui duas praedestinationes dicerent) in ipsos apostolos et patres temere dixisse. Similiter et *Florus* Magister, *lugd.* diaconus, reposuit *Iohanni Scoto*, vt non conueniat in eo, *haeresin* alere *Godeschalcum*; (fere sicut in *Iansenii* caussa;) necessitatem omnem reiicit — A. 853 *Hincmarus* rhem. scripsit ad *Amolonem*, lugd. epistolam suam adiecit *Pardulus*, laudun. his 2 epp. addita fuit illa *Rabani* ad *Nothingum*: ergo *Remigius*, lugd. aep. nomine lugdun. ecclesiae, respondit libro hoc, *de tribus epistolis*. Quaestioni de praesc. et praedest. praemittit 7 regulas. 1. deum *aeterna* et immutabili vti scientia. 2. nihil esse, fuisse, aut futurum esse posse in operibus dei, quod non aeternum praescierit et praeordinauit. 3. in operibus dei, quia non est nisi bonum et iustum, non sunt alia praescita, alia praedestinata. 4. rationalis creaturae *bona* opera, quia principaliter sunt creatoris: diuinitus inspirata, praescita et praedestinata sunt. *Mala* vero, quia non ex dei voluntate et operatione procedunt, dici possunt *praescita* a deo, non vero praedestinata. 5. ex ipsa praescientia certa et iusta praedestinatione (malorum hominum) nulli necessitas imponitur, vt malus sit. 6. ne in SS. pueriliter quaeratur, vt ibi tantum intelligatur, vbi expressa nomina praescientiae et praedestin. occurrunt; sed etiam, vbicunque res posita est. 7. nec de electis dei vllum perire posse credamus, nec de reprobis aliquem saluari vllatenus

existimemus. — de re dicit: etsi monachi istius improbatur leuitas, temeritas, loquacitas: non ideo tamen neganda est veritas. — Deus vult *omnes* homines saluari, *quadrupliciter* potest intelligi; praeter istos tres modos, 4) bonitate creatoris *vult*, sed non vult *iudicis* aequitate, — voluntatem creatoris, (quam alii *antecedentem* cum *Chrysostomo* dicunt,) poterat quidem implere, sed obsistente humana iniquitate, nolebat. Rectissime vero *Remigius* hanc quaestionem sic concludit: ista omnia cum tam obscura sint et profunda, nollemus inter fratres contentiose ventilari vel temere definiri — quod inter magnos *diuerso modo* sed non *diuersa pietate* (aurea sententia, cuius auctoritatem et hodie agnoscere boni omnes solent,) sentientes, incertum et ambiguum remansit: etiam apud nos et reuerenter honorari, quia neutrum videtur esse falsum; et magis inquietos et contentiosos ad sobrietatis modestiam decet prouocari, *quam pro inusitatis et minus elucentibus rebus* aliquem immoderata austeritate ac seueritate *damnari*. (Nempe hac mente et hodie nos imbutos esse decet, quicquid seueriores alii aut praecipites soleant concionari, et *indifferentissimi* crepitaculo aduersus imbecillos vti.) Sed iam negat dominum passum et mortuum esse pro innumerabili multitudine impiorum, qui ab exordio mundi vsque ad passionem domini, fere per 4000 annos, in sua impietate sunt mortui, et apud inferos aeternum damnati; negat *aliquem catholicorum doctorum* vnquam sic sensisse aut docuisse; nec pro istis, qui post passionem vsque ad mundi finem existunt et futuri sunt, in quibus est et Antichristus — aequissime autem sententiam fert: si autem placet, vt etiam hac sententia, propter pacem et pietatem beatissimorum patrum non renuatur: *nulla contentione pro aliis aduersus alios litigetur*; non vna sententia pro altera damnetur. Quia vere fieri potest, vt ignorantiam nostram aliquid in hac re lateat, nihil temere definiatur, vt quolibet quis acquiescat modo, non sit haereticum, *nisi contentione haereticum fiat.* (Dignissima

ver-

verba meliori temporum luce! Sic demum operae pretium est, ista cognoscere! Habet autem omnis haec quaestio difficultatis multum, quia hermeneuticis ministeriis studiosioribus opus erat.) Ad historiam controuersiae publicam porro pertinet: in *synodo Suessionensi prima* capitula 4 Godeschalco opposita fuisse; his subscripserat *Prudentius*, trecensis ep. sed idem in epistola ad *Wenilonem*, de *Aeneae* paris. episcopi ordinatione, ab ista sententia discessit, et *aliis* 4 capitulis Aeneam subscribere voluit. Eidem *synodo Remigius*, nomine ecclesiae lugdunens. opposuit librum, *de tenenda veritate scripturae.* A. 855 trium prouinciarum, *lugdun. Viennens.* et *Arelat.* eppi Valentiae conuenerunt, in Episcopi quadam caussa; hac finita canones 23 editi sunt, quorum *sex* priores ad istam pertinent controuersiam. 1. nouitates vocum et praesumtiuas garrulitates, vnde potius contentionum fomes, quam aedificatio succrescere potest, *omni studio vitandas.* 2. deus praescisit aeternaliter et bona et mala; ista scisit a bonis per gratiam suam peragi; haec per propriam malitiam a malis; sed praescientia attulit nulli improbo necessitatem. 3. fideliter fatemur *praedestinationem*, electorum ad vitam; impiorum, ad mortem; nempe poenam praedestinauit iis, quorum malitiam praescisit; non vero *ad malum*, diuina potestate, praedestinati sunt. 4 error est, Christi sanguinem etiam pro illis impiis, qui a mundi exordio vsque ad passionem domini in impietate sua mortui, aeternum damnati sunt, fusum fuisse. Porro capitula quatuor, quae a concilio (*carisiac.*) fratrum nostrorum minus prospecte suscepta sunt: propter inutilitatem, vel etiam noxietatem et errorem contrarium veritati; sed et alia 19, (capita,) syllogismis ineptissime conclusa, (*Ioh. Scoti* sunt) *a pio auditu fidelium* (a publica doctrina) penitus explodimus, et vt talia et similia caueantur, auctoritate Spiritus S. *penitus interdicimus.* (Rectissime; populo istis rebus, si maxime mysteria dicantur, nihil opus est. Natal. *Alexander* dat multam operam, vt efficiat, *errore facti* hoc patres pu-

taſſe, cariſiacam ſynodum aſſeruiſſe, *eodem ſenſu* Chriſtum mortuum pro impiis et pro fidelibus; ſed cariſiacos patres tantum ſtatuiſſe hoc, *ſufficienter* Chriſtum mortuum eſſe pro pereuntibus, licet efficaciter tantum pro iis, qui ſaluantur. Sed parum efficit *Alexander;* itaque tandem id vult, iſtas ſententias (porro capitula 4 &c.) ab *Ebbone* gratianopolitano, huic ſynodo inſertas fuiſſe; quia deſint in Synodo *lingonenſi* et *Tullenſi*, a. 859. Nempe id potius animaduertendum erat, iſto tempore diſciplinam de *ſatisfactione pro omnibus hominibus* iſta forma nondum fuiſſe exornatam, cuius rei facile fidem faciunt, quae ex omnibus *patribus* ſuperioribus magna copia poſſunt colligi.) canon. 5. omnis multitudo fidelium — in morte Chriſti baptizata, in eius ſanguine eſt a peccatis ſuis abluta — cum in eccleſiae ſacramentis nihil ſit caſſum, ſed prorſus totum verum — . Ex hac tamen multitudine fidelium et *redemtorum*, alii ſaluantur, quia in redemtione ſua fideliter permanent, per gratiam dei; alii, quia noluerunt permanere, redemtionisque gratiam irritam facere — elegerunt, *ad plenitudinem* ſalutis non perueniunt — (ergo, qui extra eccleſiam ſunt, non ſtatuuntur redemti aut beati.) 6. de gratia, per quam ſaluantur *credentes*, et ſine qua rationalis creatura numquam beate vixit; *de libero arbitrio*, per peccatum in primo homine *infirmato*, ſed per gratiam domini Ieſu *fidelibus* eius redintegrato, id fatemur, quod patres auctoritate SS. nobis tenendum reliquerunt, *Africana*, *Araufiicana* ſynodus — Ineptas autem quaeſtiunculas et aniles paene fabulas, *Scotorumque pultes* — &c. ſequuntur iam alii canones, contra inexaminatos et ſcientiae litterarum paene ignaros epiſcopos &c. Ceterum facile damus, ab Epiſcopis *Cariſiacis*, ſub regno *Caroli*, calui, hos epiſcopos diſſenſiſſe, ex regno *Lotharii*, et non parum ex regum ſuorum diſſidiis traxiſſe ipſos; eo vero iam minus ſit credibile, *Valentinianos*, qui longe aliter loquuntur, tamen eiusdem fuiſſe ſententiae, ac *Cariſiacos*, quod Nat. *Alexander* perſuaſum ibat. *Hincmarus* non defuit ſibi,

et

et verbosissimos scripsit a. 858 libros *de praedestinatione dei*, et *libero arbitrio*, ad *Carolum* regem; sed a. 859 synodus *lingonensis* (langres, dioeces. *lugdun.*) confirmauit canones istos *valentinianos*; iidem et in concilio XII prouinciarum, *Tullensi*, apud Saponarias, dies XV post istam synodum, praesente *Carolo* caluo, eiusque nepotibus, publice, *Remigio* procurante, recitati, atque aduersus *Hincmari* motus defensi fuere; iidem canones etiam a *Nicolao* I confirmati. A. 860 *Hincmarus* publice hos canones oppugnauit altero opusculo, (hoc supereſt,) de *praedestinatione*, defenditque *carisiaca;* (eo iam magis patet, sine iusta ratione Nat. *Alexandrum* tam difficilem dedisse aliam operam;) vtitur *Hincmarus* libris *Hypognosticon*, quasi *Augustini* postremis in hac causa; satis autem vehementer aduersus librum lugdunensem, *de tenenda scripturae veritate* inuehit; idem ad papam hunc controuersiae statum misit, per epist. *Odonem*, 862. *Synodus Metensis*, a. 863 in causa *Theutbergae*, *Hincmarum* et *Godeschalcum* citari iussit; sed sine euentu; a. 864 *Hincmarus* per *Luidonem*, archid. *Romae* regis et Hincmari legatum, monitus fuit, *Nicolaum* cum ipso collocutum, de *Godeschalci* causa, et aliam narrationem misit ad pontificem, *Flodoard.* lib. 3. c. 12 seqq. Iam a. 866 ipse *Godeschalcus*, per *Guntbertum* (qui ex monaster. *altivillarensi* dicitur *aufugisse*, cum caballis &c. nempe *Hincmarus* ista scribit, aduersarius,) *Romam* misit epistolam ad *Nicolaum;* itaque *Hincmarus* ad *Egilonem* scripsit, senonens. aep. (qui a concil. *sueſſion.* 3 in causa *Vulfadi* Romam missus fuerat;) vt vigilaret, ne *Guntbertus* per obreptionam papam ab *Hincmari* coeptis auerteret. Sic vicit *Hincmari* proteruia et sacra tyrannis, vt monacho illi in squalore moriendum fuerit a. 867, sine sacramentis, *nec cum psalmis et hymnis* ad sepulturam deportatus fuit, nec in loco fratrum; priuata sepultura — Constantissime mortuus est in hac *Augustini* sui sententia, nec perpetuo adflictionum et dolorum sensu infractus. Consentiet autem aequiorum hominum

vox in abominatione talium ſtudiorum et legum, quibus ad doctrinam, ſi placet, diuiniorem abuſus fuit *Hincmarus* et eius ſocii; nos certe publice exſecramur iſtam ſacram atrociam! Ineptiſſima fuit et illa *Hincmari* cenſura, in iſtam hymni vetuſti ſententiam, te *trina deitas*, vnaque poſcimus; prohibuit enim hanc carminis formulam, quaeſi *haereticam*; defenderunt autem *Ratramnus* et *Godeſchalcus* iſtam ſententiam; hos refutatum iuit *Hincmarus* iſto libro, de *non trina deitate*; ſed antiquiorum auctoritas penes iſtos fuit, nec poſterior eccleſia *Hincmarum* ſecuta eſt.

De cauſſa euchariſtica.

Non minus celebris eſt publica diſputatio de cauſſa *Euchariſtica*, cuius hiſtoria ſatis anceps videri poteſt, ſi quis ex poſteriorum temporum contrariis ſtudiis de ea re ſententiam ferat. Nempe iam inde a ſuperioribus ſeculis ſuccreuerat ſacrae coenae iuſto craſſior informatio poſt noua illa myſteria, de vna *φυσει* incarnata, quam *Cyrillus* repererat. Ex hac enim diſciplina (atque ex illa de *ſacrificio*,) repetenda eſt et illa difficilior deſcriptio *corporis et ſanguinis* Chriſti, quae *tranſſubſtantiationem* tandem peperit; licet aduerſus iſtum ſacrum errorem, vel vetuſtioribus litibus cum *monophyſitis*, ſatis praemuniti omnes poſteriores doctores fuiſſe videri queant. Sed magnis iam creuerunt auctibus nouae et difficiles quaeſtiones de rebus iis, quae ad religionem publicam pertinent; quaſi religio ipſa feliciter augeretur, ſi decretorum et legum noua copia ſemper procuraretur. Atqui hac via perit ſalubris et frugifera religio, quae aliorum atque externam auctoritatem non patitur. *Paſchaſii Radberti* nomen praecipue in partes contrarias trahi ſolet; *Romani* eum negant in doctrina de Euchariſtia diſſenſiſſe a tranſſubſtantiatione; *proteſtantes* autem, contendunt nouatorem eum et auctorem nouae fuiſſe ſententiae. Nec deſunt in vtramque partem rationes; nos

vero

vero ſcimus; nihil hodie referre, quamcunque ſententiam tenuerint hi illi ſcriptores; modo ex iſta varietate nobis ipſi deriuemus liberam, qua opus eſt, facultatem, et vitemus iſtam prauitatem, quae mentibus hominum leges imponit, quas imponere ius fas non eſt. Igitur *Radbertus* in iſto celeberrimo libro, *de corpore et ſanguine domini* (alibi, de *ſacramentis* inſcribitur,) ex *voluntate* Chriſti deriuat: quia *voluit*, licet figura panis et vini hic ſit, omnino nihil aliud quam caro et ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt — *nec alia* (caro), quam quae nata eſt de Maria, paſſa in cruce, reſurrexit de ſepulcro; et haec inquam ipſa eſt, et ideo Chriſt caro eſt, quae *pro vita mundi adhuc hodie offertur* — alibi: pro nobis *iterum* in hoc myſterio ſacrae oblationis immolatur, eius ibi corpus ſumitur, eius *caro* in populi ſalutem partitur, eius *ſanguis* (inaudita adhuc fuit, *vna ſpecies*,) in ora fidelium funditur — In commentario in Matthaeum c. 26: audiant, qui volunt extenuare hoc verbum *corporis*, quod *non ſit vera caro* — quaſi *quaedam virtus ſit* carnis et ſanguinis in ſacramento, vt dominus mentiatur — non dixit, haec eſt quaedam virtus vel figura corporis mei — vnde miror, *quid velint nunc* (nempe *iſto tempore* praecipue auxit craſſior fides, cui alii ſe opponebant,) *quidam* dicere, *non in re* eſſe veritatem carnis et ſanguinis Chriſti, ſed *in ſacramento virtutem* quandam, *figuram*, non veritatem; *vmbram*, non corpus — idem ipſe ſanguis *iam* erat in calice, (qui adhuc tamen erat fundendus in pretium;) qui et in corpore, *ſicut* et caro vel corpus *in pane;* (notetur, *in* calice, ſicut *in* pane;) — ex his ſatis conſtat, *Romanos* omnino ſuae ſententiae habere *Paſchaſium* ſiue ducem ſiue defenſorem. De *ſacrificio*, de *immolatione*, ſolebant omnino iam antea quidam ſcriptores loqui ſecurius; de iſta vero *creatione* quaſi carnis et ſanguinis Chriſti *in pane*, hic autor primus ineptius loqui auſus eſt. Dedit quidem Natal. *Alexander* operam, (diſſertatione X. §. 3, Paſchaſius contra receptam de Euchariſtia fidem *non adinuenit* nouam,

nouam, ſed vniuerſalis eccleſiae fidem expoſuit;) vt efficeret, non hic nouas partes ad deſcriptionem Euchariſtiae primum acceſſiſſe; ſed operam perdidit, ſi rem ſerio egit. Vel ille locus ex commentario in *Matthaeum* hanc rem ſatis declarat: haec iccirco prolixius et expreſſius: quia audiui *quosdam me* reprehendere, *quaſi ego* in eo libro, quem de ſacramentis ediderам, aliquid his dictis *plus tribuere voluerim*, quam ipſa repromittit veritas — Hoc igitur recte ſtatuunt *Albertinus*, *Claudius*, *la Roque*, aliique recentiores eruditi, *Paſchaſium* in hac non minus cauſſa, quam in aliis dogmaticis locis progreſſum eſſe longius, quam ante ipſum alii. Nec aliquid proficit Nat. *Alexander*, quod ex ſcriptoribus graecis latinisque quibusdam aliquot loca collegit, quae operationi Spiritus ſancti tribuunt mutationem panis et vini; nempe facile credimus, ſacerdotes non facere voluiſſe nihil; itaque ſenſim loquuntur quidam craſſius de effectu *conſecrationis:* ſed horum illa ſententia non facit, vt non fuerit aliorum alia ſententia, licet iſti pinguiores doctores poſtea plerisque ita placuerint, ob miraculorum et myſteriorum conſuetudinem, vt pauciores numero fuerint, qui rationes multitudini et conſuetudini praeferre audebant. Mutatio illa ad noſtrum intelligendi modum pertinebat, non, ſine nobis, panis ille mutabatur. Ita ipſe *Paſchaſius:* ſenſibilis res *intelligibiliter*, (νοητως, ſpiritualiter,) virtute dei (*Graeci*, Spiritus ſancti;) per verbum Chriſti (nempe, *conſecrationem*) diuinitus *transfertur* in carnem ipſius et ſanguinem; ſed hoc non illam vnicam rei rationem inuoluit, quae *transſubſtantiationis* nomine poſtea ſolet informari. Ineptiſſimae multae formulae, publicae priuataeque ſenſim locum inuenerunt; ſed auctoritatem praecipuam non ſimul ſecum ferunt. Quid enim, e. c. ſi *ordo romanus* praeſcribit iſtas formulas: iube haec perferri *per manus angeli tui in ſublime altare tuum* — vt hoc *vaſculum* corporis filii tui — *gerulum*, tuae benedictionis tutamine, filiique tui munere, et Spiritus ſancti virtute, *implere* digneris —

(Bene-

(Benedictio *patenae*) vt deus ſanctificet hanc patenam, ad *conficiendum* in ea corpus domini noſtri — Quis liberalis homo iſtis formulis eam det auctoritatem, vt haud dubie effecerint iſto tempore, vt omnes chriſtiani idem ſibi finxerint et crediderint, quod iſtarum formularum auctores et ſacri interpretes ſuggerere audent? E. c. ſolent iſti auctores ſcribere: calamo in *ſanguinem* Chriſti intincto anathema perſcriptum fuiſſe in *Photium* &c. Num ideo, quia ſic loqui ſtilo eccleſiaſtico ſolent, verum ſanguinem Chriſti dicemus adhibitum fuiſſe ad hoc anathema? Igitur, ſi in miſſa illa *gallicana*, (quam *Flacius* 1557 edidit,) ſi in *miſſali vaticano*, *gothico*, *Mozarabico*, non dicitur *panis*, ſed dicitur: ſumſimus ex altari *corpus* domini noſtri; num igitur ideo illa phraſis facit, vt omnes eruditi hunc ſenſum addiderint, quem iam per tranſſubſtantiationem deſcribunt Romani? Nemo hoc vmquam effecerit. Facile intelligimus, eam rem eius eſſe naturae, vt vna atque eadem omnium eſſe non potuerit ſententia, quemadmodum de *Godeſchalci* cauſſa *Remigius* aliique acquiores fatentur. Noſtrum non eſt refutare *Alexandrum*, qui hic copioſius aduerſus *Caluiniſtas*, vt nominat, ſcripſit, vt *Paſchaſium* defendat; nec locus deeſt variis diſtinctionibus et refugiis quaſi, ſi quis pertendere et vincere omnino videri velit. Illud autem caeci vident, vel ex ipſo *Paſchaſio*: ipſum multo craſſius locutum; ideo ad *myſterium* ſe et alios reuocat: quamuis *plurimi dubitauerint* vel *ignorauerint* tanti myſterii ſacramenta. Ipſe igitur ſibi ſumſit hoc, vt craſſius et audacius ſcriberet de hoc argumento; e. c. *eandem eſſe carnem*, quae de Altari ſumitur, et *de virgine* generatur, et quotidie adhuc immolatur, &c. cuius generis ſententias *Rabanus*, *Ratrammus* aliique reiecerunt; *Herigerus* certe, laubienſis abbas ſeculi 10 initio mortuus, quicquid confingatur, aduerſariis *Paſchaſii* accenſendus eſt. Pluribus, e *Romanis Arnaldus* de perpetua eccleſ. fide circa *Euchariſtiam*, *Mabillonius* ſeculi 4 bened. actor. parte 2, in praefatione, et ex iis Nat. *Alexander* de hac

cauſſa

cauſſa egerunt; ſed nihil effeciſſe dicendi ſunt, ſi admonent: in *ſubſtantia* dogmatis omnes conueniſſe, licet negarint alii aduerſus *Paſchaſium*, quod *eadem* ſit caro Chriſti nata de virgine; hac enim re illud ſpectatur, quod *Paſchaſius nouis* atque *inauditis* formulis in hac cauſſa vſus ſit, quod *proteſtantium* cauſſam omnino confirmat, qui id tenent: minime ex ſcriptoribus eccleſiaſticis effici poſſe hoc, vt ſemper vera credenda ſit illa doctrina, quam vel oculis videmus *per varios gradus* ſuccreuiſſe, pro ſeculorum modulo. Eodem ergo iure nos ſemper vtimur, quo illi ſcriptores vtebantur.

Sed pergimus in recenſenda illa *euchariſtica* hiſtoria. *Quaeſtionum* enim nouarum nec finis nec numerus eſſe ſolet, ſi homines ad liberalem mentis ſobrietatem non adſueti fuerunt. Ad *Heribaldum* ep. antiſiodor. epiſtolam ſcripſit *Rabanus*, vt quaeſtioni reſponderet; in qua iſtam ſententiam *Herigerus*, *laubienſis* abbas reprehendit (in libro de corpore et ſanguine domini) quod fatebatur *Rabanus*, panem et vinum ſtomacho digeri, et in ſeceſſum emitti. Sic enim reſpondit ad illam quaeſtionem: vtrum euchariſtia poſtquam conſumitur et in ſeceſſum emittitur, more *aliorum ciborum* iterum redeat in naturam priſtinam, quam habuerat, antequam conſecraretur? Superflua eſt quaeſtio, ſicut Chriſtus dixit: omne, quod intrat in os &c. Sacramentum corporis et ſanguinis eſt; ex rebus viſibilibus conficitur (ſacramentum) ſed *inuiſibilem* efficit corporis et animae ſalutem. — Quae eſt ratio, vt hoc, quod ſtomacho digeritur, iterum in ſtatum priſtinum redeat? — *Herigerus* dicit turpiter eam quaeſtionem propoſuiſſe Heribaldum; ſed turpius eam aſſumſiſſe *Rabanum*; debuiſſe dici, *in carnem vere reſuſcitandam reſeruari* conformatam carnem illam Chriſti; hanc ſententiam poſtea plures, etiam *Thomas* Waldenſis, tenuerunt, licet ſciamus inter ſcholaſticos multam fuiſſe diſputationem, quae locum dedit lepido ioco, *mus exenteratus*. Non opus erat *Mabillonii* aliorumque diligenti admonitione, *Rabanum* hoc non intelle-

tellexisse de ipso corpore aut carne Christi, sed de *solis symbolis;* quod etiam alius auctor, (*Sapiens*, tomo 12 Spicileg. Dacherii) iam scivit: absit vt tantum mysterium sacrilegii fiat obnoxium — si *corpus* in corpore ordinem seruat non violatur mysterium; — nec *spiritus amittit*, quod fide integra *in re corporali*, (panis scil. est *res corporalis*, seruans *ordinem* suum naturalem) spiritaliter sumsit — Alibi *Rabanus* distinxit sacramentum, (elementa) *a re* sacramenti; sacramentum *ore percipitur;* virtute (seu re) sacramenti *inferior homo* satiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur — In eadem Epistola *Rabanus* aduersus *Paschasium* scribit: quidam *nuper* de *ipso* sacramento (i. de pane et vino) corporis et sanguinis domini, non rite sentientes, dixerunt: hoc ipsum corpus, quod de Maria natum est, passum est, resurrexit de sepulcro, *idem esse*, quod sumitur de altari. *Cui errori* quantum potuimus, ad *Egilum* abbatem scribentes — Hic *Alexander* aduersus *Caluinistas* recentiores disputat, qui negant, *Rabanum* credidisse transsubstantiationem; (istam Paschasii profecto non informauit, cum *aliud* dixit esse sacramentum, *aliud* virtutem seu rem eius;) hanc phrasin, *eadem caro*, quae de *Maria* nata est, sumsisse se innuit Paschasius ex S. *Ambrosio*, de mysteriis, c. 9. Nihil reueritus fuit *Rabanus* istam auctoritatem, quia *triplex* corpus Christi ceteri patres distinguere solent, *ecclesiam*, *eucharistiam* et Corpus ex Maria natum. *Anonymus* in codice *gemblacensi*, quem *Mabillonius* putabat a *Rabano* non esse distinctum, scribit; ex omnium ecclesiarum magistris — manifestissime cognoscetis, non quidem, quod absit, naturaliter, sed *specialiter aliud* esse corpus domini, quod *ex substantia panis* ac vini quotidie per Spiritum s. consecratur, quod a sacerdote postmodum deo patri offertur; et *aliud specialiter*, quod natum est de Maria virgine, in quod istud transfertur; et aliud specialiter corpus Christi; sanctam scilicet ecclesiam —

Idem

Idem *Rabanus* ſenſit: nullum *catechumenorum*, quamuis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere; excepto martyrio; ſolebat enim de baptiſmo a multis falſa informari notio.

Ex *Amalario*, (quem *Vſſerius* ſolebat cum *Amolone*, lugdun. ep. confundere,) diſſertatio Nat. *Alexandri* XII ea excerpſit, quae ad rem euchariſticam pertinent. Incerti loci fuit epiſcopus, etſi *metenſem* alii, alii *treuirenſem* fuiſſe putarunt. Iuſſu *Ludouici*, *pii*, ſcripſit de *eccleſiaſticis officiis* libros 4, a. 827; eodem anno et librum de *ordine Antiphonarii* ſcripſit. Idem contra *Godeſchalcum* ſcripſerat *de praeſcientia et praedeſtinatione* hortante *Hincmaro*; iudicium *lugdunenſis eccleſiae*, de iſto libro iam antea p. 340 deſcripſimus. Quae eius ſententia fuerit, de ſacra *euchariſtia:* diſputatum ſimiliter fuit; *romani* dant operam, vt *transſubſtantiationem* confirmaſſe credatur; *Albertin. Claudius*, *la Roque* et alii, eum aduerſariis addunt, quos ideo Nat. *Alexander* refutatum iuit; ſcribit *Amalarius:* credimus naturam ſimplicem panis et vini mixti, *verti in naturam rationabilem*, ſcilicet corporis et ſanguinis Chriſti — ad *animam* viuificandam — non eſt mihi diſputandum, vtrum *inuiſibiliter aſſumatur* (e nobis), corpus Chriſti, in caelum; an reſeruetur in corpore noſtro vsque in diem ſepulturae; aut exhaletur in auras, aut *exeat* de corpore cum ſanguine, aut per poros emittatur — Hinc quidam opinati ſunt, *Stercoraniſtis* eum addendum eſſe — Miras ſententias commemorat: gladio *verborum* ſanguis Chriſti in altari per ſe ponitur in calice, ſeorſim a corpore — fatetur tamen *Alexander:* pinguioris Mineruae fuiſſe Amalarium, et valere illud *Auguſtini* de Pelagianis: vobis nondum litigantibus, ſecurius loquebatur. Igitur non eandem notionem ſibi informauerat, ac illi, qui omnino aliter loquuntur. Reprehendit *Agobardus* multa in his 4 libris, ſcripto ſingulari libro, qui ſupereſt.

De

De *Ratramno*, ſeu *Bertramo*, corbei. non minor fuit controuerſia; non ſolum quod librum *de corpore et ſanguine domini*, eruditi quidam viri *Iohanni Scoto* voluerunt vindicare, (quod tamen ſine iuſtis rationibus faciunt; ſatis refellit vel ſolus Nat. *Alexander*, poſt *Mabillonium*) ſed etiam, et multo quidem maior lis fuit, de ſenſu libri, an cum transſubſtantiatione conueniat, quod *Romani* ſolent contendere. Quaeſtiones 2 ipſe diſtinxit; 1) an, quod in eccleſia ore fidelium ſumitur, corpus et ſanguis Chriſti in myſterio fiat, *an in veritate.* 2) vtrum ipſum corpus ſit, quod de Maria natum eſt? Vtrumque negat. Sententiam contrariam 1) ſic deſcribit: dicunt, quod *nulla ſub figura*, fiat, ſed ipſius *veritatis* nuda manifeſtatione peragatur. — ſi figurate nihil hic accipiatur, ſed totum in veritate conſpiciatur, nihil hic fides operatur. — nihil hic olfactu vel colore vel ſapore *permutatum* eſſe deprehenditur — eſt autem *aliud*; (eſt permutatum;) quia panis corpus, et vinum ſanguis *facta* ſunt — in imagine ſacramenti contingimus — ſeu *ſub figura*. Hic Natal. *Alexander* multa confingit, vt tamen efficiat, conſentire *Ratramnum* cum *Paſchaſio* aliisque ſcriptoribus; diſtinguere *Ratramnum* duplicem permutationem, *viſibilem*, et *inuiſibilem;* iſtam negare, (quaſi aliquis vmquam iſtam in ſententiam venire potuerit;) ſed negat dici poſſe, *videri* corpus Chriſti, ſed tantum, *credo* eſſe corpus Chriſti — nihil in iſto potu, corporaliter ſentiendum, ſed *totum ſpiritualiter* attendendum — ſecundum quod habeatur corpus Chriſti; *videlicet ſecundum id*, quod ſit *in eo* (ergo non *eſt* transſubſtantiatus panis, ſi *in pane*) ſpiritus Chriſti; i. e. diuina potentia verbi, quae non ſolum animam paſcit, ſed etiam purgat. Porro comparat cum baptiſmo: elementum *eſt* (et *manet* aqua, non transſubſtantiatur) ſi vero perpendas, quod interius purgat, virtus vitalis eſt: *ita* Chriſti corpus et ſanguis, ſuperficietenus conſiderata, creatura *eſt* (et manet) mutabilitati et corruptelae ſubiecta; ſi *myſterii* vero perpendis virtutem, vita eſt &c. Huius

generis et indolis ſententiae plures occurrunt: vt nihil omnino efficiant *Romani*, qui, parum candido pectore, tamen ſuſtinent alio ſenſu eas implere. Recte negat 2) *Ratramnus*, hoc corpus Chriſti in ſacra coena eſſe idem ac illud de Maria natum; hoc enim oſſibus et neruis compactum, et humanorum membrorum lineamentis diſtinctum; ſed in ſ. coena non eſt neruis oſſibusque compactum, nulla membrorum varietate diſtinctum, *nulla rationali ſubſtantia vegetatum*, nullos proprios motus potens exercere. Sed iſti alii et Romani tenent: corpus Chriſti cum tota membrorum integritate contineri in euchariſtia, ineſſe animam corpori, cum diuinitate, — ſic *Ratramnus* non ſenſit, haud paulo meliori iure vſus; quia hunc ſenſum Apoſtoli ex Chriſti oratione reperire non potuerunt. Idem negat, *corporaliter* iſtum panem corpus Chriſti intelligendum eſſe, *ſed ſpiritualiter* — ſi vinum iſtud per miniſtrorum officium in Chriſti ſanguinem *corporaliter* conuertitur, *aqua* quoque, quae admiſta eſt, — ſed *videmus* in aqua *ſecundum corpus* nihil eſſe conuerſum: conſequenter *et in vino* nihil *corporaliter* – ſed accipitur *ſpiritualiter* — Hic liberali ratione caret, quod tales ſententias volunt ex aliis minus determinatis circumſcribi et ſenſum cogi; in indice *Clementis* 8 hic liber locum inuenit; quia deſperabant eius auctores, ſenſum romanum ei libro poſſe ingeri.

Hoc fere eodem tempore et illa quaeſtio in *Germania* mota fuit: vtrum Chriſtus via ordinaria, vt ſolent homines de matre, natus fuerit? Alii negabant, alii aiebant. Edidit igitur *Ratramnus* libellum *de natiuitate Chriſti*. Deſcribit ipſe nouam opinionem: ſerpens antiquus — neſcio qua fraudis ſubtilitate fidem ſubuertere molitur, dogmatizans, Chriſti infantiam *verum non habuiſſe ortum*, per virginalis ianuam vuluae, humanae natiuitatis; ſed monſtruoſe de ſecreto ventris, incerto tramite, luminis in auras exiiſſe, quod non eſt *naſci*, ſed *erumpi*. Hoc igitur res futat; addit tamen, virginitatem, integritatem vteri, ſeruatam,

vatam, quod solebat iam antiquitus credi, licet de ea re scriptores sacri nihil confirmarint; addit *Alexander*, contra *Mabillonium*, vt defendat *Ratramnum:* Christus non vere aperuit vuluam, sed tam vere exiit, *ac si aperuisset;* quod nihili est, licet et patres quidam sic declamarint. Scripsit contra *Ratramnum Paschasius Radbertus* — o caeca pietas, quae tam impie sentit de Maria virgine! o caeca praesumtio, quae tam impie loquitur de Christo! — Nempe *Radbertus* cum plerisque aliis stuporem sacrum putat religionis auctoritati aliquid addere. Parum vero candide agit *Alexander*, quod dicit, non verisimile esse, sensisse aliquos, quod Christus non per viam communem prodierit; nempe scimus fuisse, qui *per aures* concepisse dicebant, quidni et hoc credimus? Si *transsubstantiatio* tam facile admittebatur, poterant ex eadem dei omnipotentia nouum miraculum historiae isti addere. Pauca addit *Alexander* de libro *Ratramni* msto, quem *de anima* scripsit, ad *Odonem*, episc. bellouac. contra monachum aliquem corbeiensem, qui *vnam animam* in omnibus hominibus esse statuebat, praeceptore vsus *Macario, Scoto;* occasio opinionis ex *Augustini* libro, *de quantitate animae*, deriuabatur. Eadem hypothesis postea fuit *Auerrois*, omnium hominum esse vnicum intellectum; quam *Thomas*, aquin. et alii scholastici refutarunt; sed et *Leo* X adhuc in concilio *lateran.* 5 haeresin esse declarauit, si quis neget, pro corporum, quibus infunditur, multitudine, animam etiam esse multiplicandam. *Photius Ignatium* ista alia quaestione, de *duplici* hominis cuiusque anima vexabat. De *Iohannis Scoti* erroribus agit N. *Alexander* dissertatione 14. De *Eucharistia* praeiuit *Berengario: sacramenta* altaris non esse *verum* corpus et *verum* sanguinem; — vt in oratione illa *Gregorii:* perficiant in nobis tua sacramenta, domine, quod continent: vt, quae nunc *specie* gerimus, *rerum veritate* capiamus — *Scoti* liber, qui patrum variis sat claris auctoritatibus non destituitur, licet et sint aliae obscuriores phra-

ſes non rarae, a *Berengario* poſtea defenſus, inde aliquot in ſynodis damnatus fuit; combuſtus etiam a *Berengario* in *Synodo romana*; ita cogebat *Nicolaus* 2; periit igitur ille liber. Idem de *praedeſtinatione* ſcripſit, quem librum edidit *Mauguinus*, cum contrariis ſcriptis *Prudentii*, trecenſ. et *Flori*, quem *Magiſtrum* dicunt. E variis propoſitionibus, quibus hi ſcriptores ſe opponunt, iſtas notabimus. Praedeſtinat. et praeſcientiam dei, eſſe eius eſſentiam, ſicut voluntatem, ſapientiam. Eſſe vnum et idem; eſſe vnam. *Subſtantiam* hominis eſſe: eſſe, velle, ſcire; hanc peccando non amiſiſſe. *Velle*, homini a ſe, per naturam, eſſe; inchoare vero, poſſe, perficere, per gratiam. Nullum peccatum, nullamque eius poenam aliunde naſci, niſi propria hominis voluntate. Dei praeſcire aut praedeſtinare peccata, mortem, poenas, hominum vel angelorum, a contrario intelligendum eſſe. Omne malum, peccatum et eius poenam eſſe; et haec nihil eſſe. Mortem, miſeriamque aeternam omnino nihil eſſe, et per hoc nec praeſciri nec praedeſtinari. Non eſſe dei praedeſtinationem, niſi de his, qui praeparati ſunt, ad vitam aeternam. Abuſiue, translate dici, deum praeſcire, praedeſtinare. Nulla natura naturam puniri. Nihil aliud eſſe peccatorum poenas, quam eorum peccata. In igne aeterno nihil aliud eſſe poenam, quam beatae felicitatis abſentiam. Nullum eſſe in iſto igne, qui non habeat inſitam ſibi naturaliter, abſentis beatitatis notionem, eiusque deſiderium. — In primo homine non peccaſſe naturae generalitatem (καθολε) ſed uniuscuiusque indiuiduam voluntatem. Ex nullo bono malum eſſe. Deum, vbicunque fuerit praeſentia, ibi eſſe habitatione. Intra hanc domum caeli et terrae, malos in aere, bonos in aethere conſtitui. Ignem aeternum ad vrendum diabolum et angelos eius, non homines, factum. Diabolo, poſtquam aethere detruſus ſit, vbi in aethereo corpore non poterat poenas ſentire, additum aereum corpus, in quo ignem ſentiret. Non eſſe ignem illum poenam. Eumdem ignem ſedem factum eſſe

im-

impiorum, in quo non minus habitent beati, quam miſeri. Miſeriam nullam eſſe, niſi mortem aeternam; hanc non eſſe niſi veritatis ignorantiam; et vbi ignoretur veritas, ibi nullam eſſe vitam. (in igne illo itaque etiam dixerat miſeros habere notionem felicitatis et veritatis, ac per hoc non eſſe miſeros.) Errorem geminae praedeſtinationis *ex liberalium diſciplinarum ignorantia et graecarum litterarum inſcitia ortum eſſe.* (Hoc rectiſſime dixit *Scotus.)* Nihil appetere impiorum et diaboli nequitiam, niſi recedere ab eo, qui eſt ſumma eſſentia. Ignem aeternum eſſe ipſum quartum mundi elementum; in eo corpora ſanctorum in aetheream mutari qualitatem, impiorum in aeream &c. Hic etſi ſunt quaedam obſcurius excerpta, vt facilius reprehendi poſſint; pleraque tamen de hominis liberali ingenio luculenter teſtantur, et potuerant ſine periculo iis permitti, qui perſpiciendis iſtis rebus dabant operam, niſi auctoritas priorum patrum, et ſcripta quaedam celebriora, per iſtam ingenii libertatem non contemni non poſſe, viſum plerisque fuiſſet. Ita *Prudentius* praefatur; deprehendi, *quantum diuinitus inſpiratus potui*, (quaſi Scotus non minus ita potuiſſet concionari,) Scotum impudenter orthodoxae fidei (id eſt populi opinationibus,) *patribusque catholicis oblatrantem* — ſimiliter et *Florus* Mag. praefatur: philoſophicis argumentationibus diſputans — nulla ſcripturarum ſiue ſanctorum *patrum auctoritate praelata* — eius admiratores non *auctoritatibus paternis* ſe humiliter *ſubmittunt* — potius igitur id vult Florus efficere, vt his extremis et periculoſiſſimis temporibus lectores — *obediant* humiliter SS. patrum *fundatiſſimae auctoritati* — Hic illud mirum eſt, quod aduerſarii *Scoti* negent eum ſcripturae ſ. cognitionem habere, cuius tamen *latinam translationem* e graecis libris *Dionyſii* areop. ſolebant amplecti! Homo, qui graece legere N. T. didicerat, profecto in iſtas *Latinorum* tricas de *praedeſtinatione* et peccato non magis delabi aut eas amare poterat, quam *Baſilius*, *Chryſoſtomus*, *Cyrillus* aliique graeci ſcriptores.

De processione Spiritus sancti.

Ingentem de re satis paru ad christianam religionem momenti controuersiam, de processione Spiritus S. an a patre sit, an a patre et filio, deriuanda, paucis tantum, sed vt non desit liberalis fructus, illustrabimus. Meminerimus in hispan. conciliis *toletanis* demum inueniri istam descriptionem, a patre *et filio* procedere spiritum sanctum, ratione modi essendi. Ex eodem seculo 7 repetamus, e pag. e concilio *Trullano*, oecumenico 6, *mediolanensem synodalem* adhuc a *patris persona* deriuare Spiritum S. Ex Hispania in gallicanas etiam quasdam ecclesias ea quaestio sic transiit, vt tempore *Caroli* M. studiosius de hac caussa actum sit, et *Romae* quidem papa *Leo* non auderet, *filioque* addere symbolo, quod in argenteis clypeis publice suspendit, Gallicanis vero ecclesiis liberum fuerit, retinere, quod canere solebant. Nempe oculis videre est, sec. 8 et 9 ineunte, papae nullam omnino fuisse sacram auctoritatem, in ecclesias *Hispaniae* et *Franciae;* non defuerunt adeo exempla, quod *Hispaniae* episcopi *Romanum* reprehenderunt ob quaestiones dogmaticas. Sed iam videbatur papa caput erigere posse, et *latinae ecclesiae* ritum et modum etiam Graecis quasi legem imponere. Tandem publica ea lis euasit, atque ad schisma ecclesiasticum augendum non parum valuit. *Photii* erudita epistola ad patriarcham *aquilegiensem* exstat latine apud *Baronium* ad a. 883 ex translatione *Feder. Metii.* Ex ea intelligimus, scripsisse patriarcham hunc antea ad *Photium*, et legatum misisse, quem *Photius* eximie laudat. Narrat iam *Photius* (non ex Epistola istius,): venit ad aures nostras, quod nonnulli occidentalium *nouo dogmate introducunt*, diuinum spiritum *non solum* ex deo patre, sed *etiam ex filio* procedere. Hic negari non potest concionari et Photium et declamare non mediocriter; sed, si ad rationes infrugiferae caussae respicitur, profecto non inanibus vtitur. *Leo* rom. tum senior seu primus, tum iunior; seu 3. non auxerunt

xerunt symbolum ista sententia. Christus semper dicit, *a patre* procedere; si dicatur ab vtroque procedere, sequetur, *duas esse causas et principia* in trinitate; *monarchia* euanesceret. Si *perfecta* est a patre processio, non opus est *secunda* processione, vt quasi e duobus imperfectis spiritus sanctus, qui omnia *perficit*, procedat. Erit ergo patris quasi *nepos*. Si cum filii generatione etiam Spiritus s. procedit, alter generatur, alter ex genito filio procedit: non minus Spiritus S. quam filius acciperet per generationem processionem. Male vero Gal. 4 allegant, *misit deus spiritum filii sui* &c. Paulus enim dicit, filii spiritum *a patre missum* esse (in tempore.) *Pater* etiam vbique dicitur *filii*, nec tamen est *genitiuus* originis, vt pater a filio procedat. Aliud absurdum: si procedit Spir. S. a filio: vtique non posterius nec prius generatione filii procedit; iam si distinguitur ab illorum personis, qui ipsum producunt: duo etiam *pro vno* erunt spiritus; *alter* patris, *alter* filii. -- Nihili est illud: *de meo accipiet* -- aliud est ἐκ τȣ ἐμȣ, aliud ἐξ ἐμȣ. — plerosque patres *patri* tantum tribuere, paucos, (*latinos* praecipue,) aliter loqui; *Ambrosium*, *Augustinum* &c. tamen non contraria dicere voluisse aut potuisse communi domino — multi ob circumstantias alia dixerunt, praeter animi sui sententiam; alia propter *oeconomiam*, alia propter aliorum pertinaciam, alia etiam, quia rerum ignoratione homines possunt decipi — ista non simul nostro tempore nos dicere licet — vel ex Pauli oeconomia verborum, pro auditorum imbecillitate, non licet hodie *dogmata* facere — *patres* tamen honorabimus, ob virtutem et pietatem, licet in eis eos non sequamur, in quibus eos aberrare contigit — multis in rebus deprehendimus aliquos patrum a recta via dogmatum errasse: in his eos non admittimus — ita et hic, si quidam dixerunt, spiritum s. *a filio* etiam procedere, id non suscipimus, quia verbis domini sic contradicunt. *Dionysium* ep. alexandrinum, patrum choro adscribimus, sed eius voces *Arianas*, quas in *Sabellium* dixit, auer-

auerſamur. Sic *Methodium*, patar. *Irenaeum*, lugd. *Papiam*, hierap. paterno honore non priuamus, ſed quoniam lapſi ſunt, aduerſus communia *dogmata* eccleſ. locuti, eos in his non ſequimur — *Legati romani* apud nos antea ſaepe nobiscum dixerunt, *ſpiritum* a patre procedere, nihil admonuerunt nos, de falſa fide — non fas eſt igitur, ſiue paucos ſiue multos *patres verbis domini opponere* &c. Excerpſimus iſta ideo, quia *Photius* ſaniſſima ratione palam vtitur, et de *patribus* accuratiſſime ſententiam fert; inepte hic *Baronius* dicit, eſſe *battologiam; Photium* ineruditis et rerum ignaris poſſe pauorem incutere — operae pretium non eſt, e *Baronio* hic excerpere, quae ad refutationem collegit; nec hic longo ordine ſcriptores *latinos* recenſebimus, qui hoc iam ſeculo aduerſus *Graecos*, plures numero ſcripſerunt, praeſertim, vt callide papa inſtituit, e gallicana eccleſia; cum capite ſequenti inter *ſcriptores* ſuo loco nominandi ſint. Id tantum hic repetimus, non eſſe hanc cauſſam magni momenti; licet papa rem aliter finxerit; nec eius indolis, vt graeci per iuſtam et liberalem N. T. interpretationem poſſint facile refelli; licet ſoleant plerique etiam inter nos de ea re aliter ſentire. Iam et Nat. *Alexandri panoplia* nominanda hic eſt, *aduerſus haereſes ſeculi noni et decimi;* diſſertatio XVIII aduerſus *Photium* et alios Schiſmaticos graecos. *Aſſertio* 1. Hunc errorem graecorum 1. ſcriptura ſacra 2. patres et latini, ab vtraque eccleſia in conciliis recepti, refellunt. Prima pars probatur, Ioh. 16, cum autem venerit ille ſpiritus veritatis &c. *Miſſiones* diuinarum perſonarum non ſunt ſecundum imperium, ſed ſecundum originem intelligendae. Omnia, *quae habet pater*, mea ſunt; ergo et virtus *ſpiratiua* communis eſt filio cum patre. Chriſtus ſignificauit Ioh. 20 quaſi *ex ore*, ſicut ſpiritus hominis, procedere. *Accipit* Spiritus S. a filio, non aliquid creatum, vt nos, ſed diuinum eſſe (ita ratiocinatus fuit *Iohannes*, prouincial. ordin. praedic. contra Graecos, in concilio *Florentino* ſec. 15. ſed *ratiocinabatur;* idem graeci aliter faciunt, ſuo iure.)

Nihil

Nihil aliud *Natalis* affert pro *prima parte* efficienda. Mirum est sane, eum non attendisse *ad futurum*. λήψεσθε, et tum demum, quando *venerit*, i. e. quando missus fuerit ad homines, vt meo loco *sit apud vos monitor*. (Ergo hoc nihil quicquam conficit, si vel mille ratiocinatores aduocentur.) *De testimoniis patrum.* Facile credent, qui hac nostra opera adhuc vsi fuerunt, in patribus graecis forte *ambiguas* quasdam sententias non deesse; quibus magno numero alii opponi possunt; niti autem omnia, interpretatione scripturae; quam si minus probam et ingenuam praeiuerunt, nulla supereſt auctoritas, certe ad lectores liberali ingenio deditos. *Theodoretum* dicit ex odio in *Cyrillum* errorem de processione a solo patre, praeiuisse primum. Nempe *Cyrillus* cap. 9 dixerat, spiritum filii *proprium;* respondet *Theodoretus:* si sic intelligit, tamquam *ex filio* et per filium existentiam habeat, velut blasphemum et impium reiicimus. Hic profecto *Cyrillum* dicendum erat *primum* sic locutum, quemadmodum idem primus inter Graecos alia de filii persona dixit, quasi *mysteria* antea non satis intellecta. Res redit ad phrasin eam, *spiritum filii sui* misit pater; hic quidam iuniores graeci varie ratiocinantur; sed rectissime intelligebatur, *spiritus* idem, qui istum Christum, hominem, filium dei, ornauit, etiam nos agit et regit, filii igitur similiter dei sumus. Spiritus, quem filius ipsius habuit, vt dicitur spiritus Eliae &c. Hoc *Theodoretus* et meliores interpretes non ignorarunt; sed isti pinguiores sunt dogmatici. Negauit adhuc *Ioh. damascenus*, spiritum *ex filio* procedere, sed ex patre *per* filium; quod *Calecas* aliique iuniores varie explicant, vt conueniat; fatetur tamen iste: fuisse tempus, quando hae illae sententiae non dicebantur, licet iam (a quibusdam) dicantur. *Cyrillum* vetuisse, ne *causa* et *causale* dicatur in diuinis; sed iam plerosque dicere. (Igitur nec hodie debebat ab omnibus quasi requiri, vt sic loquantur, quia ea descriptio nihil facit ad ordinem salutis.) Iam ad *latinos* patres venit *Alexandri* dissertatio; *Hilarius* iam

inter eos, qui *accipere a filio* (hoc non exſtat in loco Iohannis;) *procedere a patre*, pro eodem habent, (ſed intelligit, de proceſſione et miſſione in tempore;) *Marius Victorinus: ex filio* ſpiritus, ſicut ex deo filius; *Ambroſius:* procedit ab *vtroque*, non genitus &c. *Auguſtinus:* a patre *principaliter* (dixi procedere) quia et *de filio* reperitur procedere quod *inſufflauit*, oſtendit, quod et de ipſo procedat Spiritus S. *Gennadius* maſſil. ex deo patre et deo filio procedit, ſic et *Fulgentius*; concilia *toletana*, plura numero ſic ſcribunt, a patre *filioque*. *Gregorius* M. Homil. 26 in Euangelia: Spiritus ſancti miſſio, ipſa proceſſio eſt, qua de patre procedit *et filio*. Iam *Caroli* M. ſtudia nota ſunt, quibus vel *Romae* iſtud *filioque* promotum iuit; *Theodulfus*, iuſſu Caroli, allegatis multorum patrum nominibus, idem defendit, idem, qui contra Graecos ſcripſerunt hoc ſeculo, *Ratramnus*, corbei. et *Aeneas*, pariſ. qui ſuperiorum ſcriptorum auctoritates etiam collegit. Iam *Photii* iſtam Epiſtolam et alias Graecorum obiectiones refutatum it *Alexander;* atque id quidem non ignoramus, non deeſſe patrum ſententias eam in rem, ſed cauſſae arx eſt, quod *publicae doctrinae* illa pars addita antea numquam fuit; nullo in concilio oecum. olim ſymbolum ea parte auctum reperitur; differunt vero iura *priuatorum* doctorum, et *publicae* doctrinae. Syllogiſmis indulgere licet, vt maxime quis velit; ſed inde nihil efficitur, quod publicae doctrinae poſſit ſuperaddi, de cuius *hiſtoria* hic agitur. Hic igitur *latinae* eccleſiae particulares, papae nullam adhuc auctoritatem reueritae, ſuo iure vſae ſunt, ſed *orientales* non ſimul damnabant, *Hiſpanicae*, *Gallicae:* has facile ſciebat papa nouam et contrariam legem non paſſuras, itaque Papa paſſus eſt, quod iſtae fecerant, atque iam, poſtquam a Graecis nihil ipſi amplius metuendum aut ſperandum ſupererat, *publicam auctoritatem* ipſe adiecit. Hanc rem *Alexander* aſſertione ſecunda, ſuo modo, agit: additionem, *filioque*, iure factam, nec *Latinos* ſymboli violati reos dici poſſe; itaque rationem

nem non legitimam fuisse hanc, cur Graeci a Romanae et omnis occidentalis ecclesiae communione deficerent. Incertum est, a quo pontifice romano publice id symbolo fuerit additum; quod facile et ipsi perspicimus, ex iis, quae antea de *singularium ecclesiarum* nouis studiis dicebamus. Cum vero certum sit, hanc rem a solis latinis ecclesiis sic institutam fuisse: facile patet, originem sacrae secessionis non tam ad Graecos, qui se contemni videbant, quam ad *romanum* pertinere pontificem, qui suae maioris auctoritatis hoc documentum non inuitus admisit, quo omnes intelligerent, summum ius in ipso solo positum esse, nec opus esse orientalis ecclesiae consilio atque consensu. Hic *Alexander* artificia in disputando studiose ingerit, quibus romanizantes Graeci in *Florentina synodo* operam dederunt; quae suo loco recensebimus. Res potius sic habet, vt breuiter admonuimus; Graeci, qui suum ius et ipsi seruabant, sine ratione dicuntur *schismatis* sic fecisse initium; non ignorarunt, episcopos *romanos* sensim imperatorum graecorum pertaesos et *Francicis* regibus studiosos, omnem dedisse operam, vt sacram omnem auctoritatem soli iam obtinerent. Ceterum *Photius* aliique eruditi Graeci id profecto non ignorarunt, quid ad ius regum imperatorumque referendum sit; *Carolo* M. aliisque dominis licuisse omnino, vt publicae religionis hanc illam formam eligerent: sed, vt imperitam plebem aduersus *Latinos* concitarent, *filioque* tam exagitant, quasi arx christianae religionis a ruina parum absit. Ex doctiss. *Ioh. Georg. Walchii historia controuersiae graecorum Latinorumque* de *processione* Spiritus S. caput 2 huc pertinet; inde quaedam *litteraria* adhuc addi possunt, quibus nos hic minus studebamus.

De *indulgentiis* hoc seculo *Baronius* ad a. 847 narrabat, (et post eum *Bellarminus*) reperisse se in marmorea tabula, *Sergium* 2, papam, concessisse *indulgentias* 3 annorum et 3 quadragenarum, iis, qui ecclesiam S. *Siluestri* et *Martini* visitassent. Sed ex ipsis Romanis non defuerunt eruditi viri, qui talem et tantam *antiquita-*

tem

tem talium indulgentiarum, negarunt, et iſtam tabulam *Baronii* vix paucorum fuiſſe ſeculorum, ſtatuerunt. *Papebrochius in conatu chronico hiſtorico*, diſſert. 17 oſtendit, huius generis formulas vix *ante ſeculum XII* in antiquis monumentis reperiri; ſimiliter *Mabillonius*, et poſt hos auctores *Pagi*, ſtatuit, ad an. 847 num. 4 ſeqq. Erravit *Thomas*, aquin. qui *indulgentias*, iis in ſeptennium datas, qui ad hanc illam eccleſiam vadant, a Gregorio (M.) in ſtationibus Romae conceſſas dicebat; *ſtationum* auctor is fuit, ſed non talium indulgentiarum. Idem *Mabillonius* oſtendit, indulgentias primum ſeculo X. indefinite conceſſas fuiſſe, vt *Salomo*, *conſtant.* ep. (ob procuratam trium aduerſariorum necem) *Romam* profectus eſt, veniae impetrandae cauſſa — *indulgentiam* ſibi a papa, plorans, petiit. Tandem ab apoſtolico indulgentiam adeptus, domum reuertitur, *Ekkehart* de caſib. S. Galli. Simili exemplo alii, homines altioris honoris et loci, vel humanis legibus, papae, ſi placet, auctoritate, ſe ſubduxerunt. *Seculo XI.* ad certum tempus, vel etiam indefinite, dari ſolebant, et quidem praecipue in eccleſiarum dedicationibus. e. c. narratur 1098 de *Vrbano* 2 Andegauos profecto: tunc dedicata eſt eccleſia S. *Nicolai* ab ipſo papa, qui *edicto* iuſſit; vt eodem die quotannis indictum publicum celebraretur, et *ſeptima pars poenitentiarum* populo, qui conueniret ad eam celebritatem, *dimitteretur*. Minor quaedam facultas a papa epiſcopis data, e. c. vt *tertiam partem* poenitentiae remittere potuerint, in dedicationis honorem; plerumque *ad quadraginta dies* redactae fuerunt Epiſcoporum indulgentiae &c. ſed operae iam non eſt pretium, his inſignibus ſcandalis et fraudibus ſacris nos dare operam. Longe antiquior eſt ille error, aut illa aurifera induſtria, quae *animabus* poſt mortem peccatorum veniam ex theſauro eccleſiae promittebat, ſi quis iſtam meritorum ſocietatem reditibus annuis, agris, ſiluisque dicatis &c, redemiſſet.

Reli-

Reliquiarum destinatae fraudes, furta etiam multa eius generis sacra, nec hoc seculo desunt; sed vnum rei atrocis documentum attingimus. Scripsit *Amolo*, lugd. ep. et alia, non inutilia nobis, et *epistalam* ad *Theotbaldum*, lingon. episc. qui eum interrogauerat, de *incertis reliquiis*, quas vagi monachi, quasi *Roma* allatas, solebant iactare; fiebant e. c. *diuione* miracula, non salubria, sed atrocia; elisiones, percussiones, praecipue mulierculae patebant tam fatalibus miraculis; talia ossa iubet *Amolo* e loco publico tolli, et reponi in atrio aut sub pariete, in loco mundo — ne rudi illae populo porro occasio erroris et superstitionis existerent — idem narrat, paulo ante, decessorem suum *Agobardum* a narbonensi aep. consultum de similibus illusionibus; vidisse se ipsum mulierculas, quae coram *Agobardo simularint se daemoniacas;* sed plurimis *verberibus* tandem eo adactas, vt fraudem faterentur, qua ob paupertatem vsae fuerint. Hac mente et sapientia optandum erat, vt plures exstiterint in clero istius temporis, vt religio christiana a sacrificulorum et aruspicum foeda societate diligentius distincta fuisset. Sed et alia huius generis, quae ad *locum dogmaticum* pertinent, capite sequenti locum inuenient; e. g. *Claudii*, taurin. ep. inter Hispanos nati, studia eximia *aduersus imagines*, *reliquias*, *itinera religiosa* &c.

De *Manichaeis* seu *Paulicianis* graeci huius temporis scriptores, *Photius*, et *Petrus*, *Siculus*, multa narrant, sed et obscurius et vehementius, quam vt iis omnino fidem habere liceat. Iam antea p. hanc caussam attigimus, et seculo superiori etiam illustrauimus; viri docti nec hodie consentiunt in describenda illorum haeresi, licet plerique conueniant, a graecis scriptoribus eam deteriorem confingi, quam fuerit. Ego credere ausim, fuisse plerosque amatores huius sectae homines sana ratione ad religionis formam bene componendam multo melius vtentes, quam ista catholicorum multitudo. Caerimoniis, historiisque externis parum dederunt; sed ipsa christianae religionis genuina

nuina adiumenta praetulerunt, itaque insanorum imperitorumque clericorum odia effugere non potuerunt. Non dubitamus statuere, fore, vt aliquando haec luculentius pateant. *Mysticis* certe illis sapientibus addendi sunt; nec operae est pretium, vt nos quidem opinamur, eorum doctrinam cum *Gnosticorum* placitis componere, de aethereo Christi corpore &c. vt vel *Moshemius* adhuc fecit, quia nec antiquiores Gnostici vero vultu talia prae se ferebant.

De *Arianis* inter *Fresones*, narratur in vita S. *Friderici*; tom. 4 Iulii acta SS. die 18: episcopum scripsisse *chartam*, de S. trinitate, si schisma porro fieret in populo.

CAP. IV.

De scriptoribus huius seculi.

I. Sub occidentem solem.

Paucis antea de adiumentis eruditionis agemus, quae reperire licet. Praeterimus *monasteriorum* scholas, etiam eas in Episcopiis, vtrasque multas, et varia ad aliquam cognitionem comparandam importunitate non destitutas. Nec *Caroli* M. qui in capitularibus multis eruditionem commendauit, iam laudes, post alios, repetemus; (*Launoii* de scholis Caroli M. Histoire litteraire de France tome 4 et 5; *Mabillonii* annales ord. benedict. tomo 2.) Publica tantum atque illustria quaedam adiumenta hic designabimus. *Ferdinandus Fürstenbergius* in monumentis *paderbornensibus* edidit, vt profitetur, ex autographo, *Karoli* propria manu subscripto, *praeceptum de scholis graecis et latinis instituendis*, in ecclesia Osnabrugensi, a. 804. Ex *Fürstenbergio* descripsit *Baluzius*, *Harzhemius*, (qui tamen ne de eo quidem admonuit, non defuisse eruditos viros, *Papebrochium* et *Cointium*, qui falsum et suppositum hoc praeceptum pronuntiarunt,) et *Lud. Heuseler*, Iesuita, 1717, diploma carolinum de scholis

lis lat. et graecis Osnabrug. critice expensum. Fatemur et nos, non esse *Carolini* ingenii et temporis; rem vero describit satis verosimilem. — eidem Episcopo osnabr. *Wihoni* eiusque successoribus concedimus, perpetuam libertatem et ab omni regali seruitio confirmamus absolutionem. Nisi forte contingat, vt imperator rom. vel rex Graecorum coniugalia foedera inter filios eorum contrahere disponant, tunc ecclesiae illius episcopus, *omni sumtu a rege vel imperatore adhibito*, (sententia haec cum aliis facile fucum prodit,) laborem simul et honorem illius legationis assumat. Et hoc ea de causa statuimus, quia et in eodem loco *graecas et latinas scholas* in perpetuum manere ordinauimus, et numquam clericos vtriusque linguae gnaros ibidem deesse in dei misericordia confidimus. Et vt haec &c. In *publicis* etiam *synodis* leges salubres non defuerunt; vid. *Baluzii* capitul. tom. 2. pag. 743; nec desunt exempla eruditorum hominum sub regibus Francicis, praecipue seculi prima in parte; quidam graece eximie sciebant, vt *Ioh. Scotus*; quod ob frequentes legationes non mirum est; ex *Italia* autem solebat a Graecis quaedam ad alios transire linguae peritia. *Romae* etiam *scholae Saxonum*, &c. commemorantur, ab *Anastasio* in vitis pontificum; sed operae pretium videtur, barbarae latinae linguae specimina et exercitia quasi scholastica describere. Exstant eius generis, vt diplomata et formulas monasticas non excutiamus, in *Baluzii* altero tomo, pag. 557 seqq. *Noua collectio formularum*; ex veterrimis codicibus manuscriptis. *Baluzius* non dedit studiosius operam his formulis illustrandis, quae tamen et statum latinae in istis prouinciis linguae, et modum ingenii exercitiorumque, maxime illustrant. Obseruamus igitur studium *latinorum rhythmorum*, in Epistolis. e. c. pag. 563. num. XI. Indiculum (est *Frodeberti*, episcopi seu papae; ad *Importunum* de *parisiaca* terra.) — fame *perire* — voluisti *largire;* nec ad pretium nec ad *dona*, nos cupimus tale *annona*. Fecimus inde comentum; si dominus imbolat frumentum; a foris

foris turpis est *crusta;* ab intus mica nimis est *fusca.* Aspera est in *palato*, amara et foedius *odorato.* Mixta vetus apud nouella, faciunt inde oblata non bella — vos vidistis in *domo*, quod de fame nobiscum moriatur *homo.* — quamdiu viuimus *plane*, liberet nos deus de tale *pane.* Iam respondet ille alius, *Importunus.* Post alia ludicra: illud non fuit *condignum*, quod egisti in Sigeberti *regnum*; de *Grimaldo*, maiore domus &c. (narrat de scortatione, sed quaedam lineae deletae sunt) et cum *gente* (infante, quasi ethnico) veniens in *turonica regione*, misisti ipsam in sancta congregatione — n. 13. domino meo Frodeberto; sine deo, nec sancto, nec episcopo, nec regulari clerico — sed credimus, quod *mentis;* vere non times Christo, nec tibi consentis. — Nec genitores tui diligebant Christum, quando in monasterio te fecerunt istum; tuus pater cum domina, non fecit sancta opera (omina) — bonus numquam eris, dum tale via teris — per omnia iube te castrare &c. Iocorum latina exempla ista sufficiant, quae ingenium et parum amabile studium clericorum satis ostendunt, licet pauca nobis supersint, atque nec ista satis incorrupta. Videntur autem ista ante Caroli M. tempora omnino pertinere, nec tam serius conficta, quam sui temporis supersse documenta.

Sub *Ludouico pio* non defecit iuuandarum litterarum studium; scholae et *palatinae* et aliae porro florebant; monasteria non pauca aut restituit aut condidit. Vel illa Epistola *Ludouici* ad Eugenium 2, per *Ieremiam*, senon. et *Ionam*, Aurelian. epp. qui acta parisini conuentus ad papam ferebant, ostendit, non defuisse eruditos homines, qui ad Graecos mitti possent, in illa controuersia de *imaginibus.* Ex *commonitorio* autem patet, prudentia non caruisse eos, qui praeceperunt: vt ne papae nimis resistendo eum in aliquam *irreuocabilem pertinaciam* incidere compellatis; sed paulatim verbis eius quasi obsequendo *ad mensuram*, quae in habendis imaginibus retinenda est, papam *deducere* valeatis — si tamen hoc ad nihilum *romana*

mana pertinacia permiserit &c. His documentis intelligimus, sana et ingenua ratione non caruisse Francicos legatos, qui Papae pertinaciam et arrogantiam accuratissime perspexerunt. Eandem ingenii praestantiam salubria *capitularia* et variae *synodi* comprobant; vel illud concilium *parisinum*, 829, quo *historia dogmatica* carere non potest; quemadmodum et *Carolus calvus* eruditos viros vel in aula habuit. In *Italia Eugenius* papa 2, a. 826 synodum habuit, qua renouatae fuerunt leges *vt in palatiis episcoporum, et aedibus parochorum in pagis* alantur doctores artium liberalium et sacrae scripturae; *Lotharius* autem adhuc longe diligentius eruditionem promouit inter *Italos*, edito *Capitulari*, (*Muratori* rerum Italic. scriptores, parte 1. tom. 2. et Historia Italiae ad a. 829.) quo queritur, ex negligentia clericorum et secularium studia litterarum in Italia fere collapsa esse; itaque viris eruditis distribuit docendi prouinciam quasi propriam: *Dungallus* Ticini; eius in scholam coire iubentur adolescentes *mediolan. brixiens. Vercell. Bergam.* Alia schola *Iuvrae*, (episcopi iurensis,) alia *Taurini*, alia *Cremonae; Florentiae*; alia *Firmi*, *Veronae*, *Vicentii*, in *Foro Iulii*. Solet quidem *Grammatica* praecipue nominari, sed hoc nomine et poesis, et artes liberales, computus, comprehendebantur. Non parum vero aberrant, qui *academiarum* omina iam hic inueniunt; *philosophiae* studium non tepuisse vel *Ioh. Scoti* Erigenae, exemplum, et disputationes contra Graecos ostendunt. Quaedam etiam fuit diligentia in carmina, versus latinos, impensa; etiam in *rhythmos;* plura facile colliguntur ex auctorum, quos nominabimus, scriptis commentariis et libris.

Flaccus Alcuinus, seu *Albinus*, ex prouincia *eboracensi*, Anglus, natus a. 730 - 735, a *Carolo M.*, vt iam diximus, magno in honore habitus, mortuus a. 804 multorum librorum auctor; eius opera edid. *Du Chesne* a. 1617. f. auctius *Chifletius*, 1654. 4. quidam libelli separatim sec. 16 excusi; aliae scriptiones *Augustini*, *Am-*

brosiique olim operibus admistae fuerunt. *Liber quaestionum* 281 *in genesin;* ad *Sigulfum*, presbyterum, primae 5, *quaestionum de trinitate*, Augustino tributarum, finem constituunt; exstant etiam inter *orthodoxographa*. *Enchiridium*, seu expositio in 7 psalmos poenit, et 118 item in psalmos *graduales* ad Arnonem. *Officia per ferias* septimanae, cum orationibus, hymnis, litaniis &c. Commentar. in *Ecclesiasten;* in *Iohannem* Euang. (ex Ambros. Gregor. Augustino;) *De fide* trinitatis, sub init. huius seculi. Exstat editio 1530, *de trinitate ac mysteriis Christi*, Alcuini leuitae libri tres; huius editionis *Argentorati* 8. rara fit mentio. — vt conuincerem, (sic scribit ad *Carolum,*) eos, qui minus vtile aestimabant, vestram nobilissimam intentionem dialecticae disciplinae discere velle rationes; *quas* pater Augustinus in libris de S. trinitate *apprime necessarias esse putauit*, dum profundissimas de S. trinitate quaestiones *non nisi categoriarum subtilitate explanari posse* comprobauit — *tempore* celeberrimi *conuentus*, quo sacerdotes dei et populi praedicatores *in vnum imperiali praecepto conueniunt* — haec non ignaua vt reor opum pondera *attuli* — Ergo vestrae dignitatis dextra dante (hunc librum aliis clericis) ad legendum, nemo iuste mea dicta spernere poterit; quia *probantis auctoritas* pluris aestimatur, quam scribentis deuotio. (Obseruemus iura regis circa modum doctrinae publicae praescribendum; sine papae mentione;) Libri primi sunt capita 16. Ad veram beatitudinem nisi per fidem cathol. non peruenirí. Quae sit vera fides. Vnus deus, pater; fil. et Spir. S. Quaedam de deo *substantialiter*, quaedam *relatione* dicuntur. Spiritus S. relatiue dicitur ad patrem et filium. Idem communis est patris et filii spiritus. De patre et filio non potest dici illud de illo; (pater de patre, filius de filio &c.) quia non simul ambo pater — et ideo Ioh. 1. *malum* (in margine, *melius*) est, vt sic intelligatur, verbum, quod solus est filius, erat apud deum, quod non solus est pater, sed pater etiam et filius simul deus —

quod

quod non sit maius aliquid pater fil. et Spir. S. simul dicti, quam quaelibet persona ex eis. Quod nihil secundum accidens in deo dicatur; nec tamen omne, quod de deo dicitur, sec. substantiam dicitur. Quod non sit diuersum in substantia, patrem et filium dicere. Quae sint propria vnicuique personae. — *Haec tria* vere tria sunt, et essentialiter tria, *habentia* proprietates suas; et haec tria vnum, et vere vnum, *et hoc vnum tres.* Quod quaedam opera quibusdam personis proprie conueniunt. Quod trinitas non sit separabilis natura, nec in personis dicenda (separabilis) — totam creaturam implet et continet, deus per immensitatem naturae suae; totum, quicquid est, implet pater, implet filius — haec summae trinitatis natura — quae sola est et vbique tota, sicut vbique habet inseparabilem vnitatem naturae vel operis, sic separationem non potest recipere personarum. Quid sit *ingenitum* esse patrem; et quod filius eius sit *genitus;* Spiritus S. nec genitus nec ingenitus. Quomodo intelligendae sunt locutiones *praedicamentorum* de deo; decem sunt genera humanae locutionis, *categoriae*, substantia, quantitas, qualitas, ad quid, seu relatiuum: habitus, situs, tempus, locus, facere, pati. His omnibus modis solet scriptura de deo loqui. — Libri 2 capita 22. Deus est omnium caussa, sed non est hoc, quod sunt illa. Deus est super omnem existentiam. Immensitas; intra omnia est, non inclusus, extra omnia, non exclusus — de talibus dictis de deo humana mens nihil localis vel temporalis mutabilitatis fingere debet. *In caelis* dicitur esse, quia maior est agnitio summae maiestatis. Scriptura s. ad ea verba descendit, quibus humana vtitur consuetudo; passiones et affectiones mentis, membra corporis — Deus vbique totus potestate *naturali;* aliter secundum *gratiam*, in sanctis. liberum arbitrium est in malis, sed non liberatum; in quibus voluerit deus, dignatur liberare per gratiam, ne malam habeant voluntatem. Ex quo *primus homo* libero arbitrio est venumdatus sub peccatum, mala coepit esse libertas hominis,

ablata bonitate voluntatis — *quod* ingenitum est, pater est solus; *quod* genitum, filius, quod neutrum, spiritus s. *haec tria*, trinitas. — misit *creator* filium suum, *vnigenitum deum*, per quem creauit hominem. c. 11, anima Christi habuit plenam diuinitatis suae cognitionem; *per metonymiam* dicitur nescire, quia nescientes facit; per caussam efficientem designatur, quod efficitur — c. 13 vnum est opus patris et filii; idem est deo, velle, operari, esse. c. 16 substantia diuinitatis omnimodo inuisibilis et incomprehensibilis in sua natura. c. 17, quod *illae visiones*, quae in V. T. patribus apparuisse leguntur *per angelicas administrationes* fierent; — dixit Paulus, Hebr. 1, nonne omnes sunt administratorii spiritus &c. (hoc obseruatu dignum est;) Sed cur scriptura non dicit, apparuit *angelus*, vel locutus est angelus? Quamuis praeco verba referat iudicis, non scribitur praeco dixit, sed *iudex* dixit. De vnitate Spiritus s. cum patre et filio; si dicitur donum dei, nihil temporale debemus intelligere — Capita libri 3 sunt 22. c. 1. de gratia dei, quia deus homo factus. — Quid natura humana in homine Christo meruit — quae bona opera praecesserunt? — gratuito munere; magna haec et sola dei gratia fideliter et sobrie considerantibus euidenter ostendit, *vt intelligant homines, per eandem gratiam* iustificari se posse a peccatis, per quam factum est, vt homo Christus nullum posset habere peccatum. c. 2 ad commendationem eiusdem gratiae dicitur: *plenus gratia et veritate.* 3. quomodo non sit Christus *filius Spiritus S.*? 4. quomodo intelligatur missio filii a patre. 5. missio Spiritus sancti? c. 9 verbum caro factum; verbum in carne seu in prophetis. c. 12 de mediatore; idem sacerdos et sacrificium veniens ad nos, *offerre pro nobis*, quod sumsit ex nobis, vt auferret a nobis peccata. 14. de matre virgine et incarnatione. Verbum voluit hunc hominem, quem assumsit, *hoc* fieri ex tempore, quod semper fuit sine tempore, i. proprius filius dei, vt non possint dici *duo filii.* Maria dignum erat vt, deo nascente, meritum

cresce-

creſceret caſtitatis, ne per eius aduentum *violarentur integra*, qui venerat *ſanare* corrupta. (Notabimus ludum verborum, res enim nulla ſubeſt, quo multi vetuſtiores iam abutebantur. Quaénam eſt *integritas* illa corporis, quae virginem facit?) c. 15 quid cuique naturae in Chriſto conueniat, (eſt ex *Leone* M.) 17. de baptiſmo Chriſti, et quod omnia, quae gerebantur in Chriſto; noſtrae ſalutis cauſſa geſta ſunt. — Iuſtitiam omnem implere; in ſe ipſo totius vitae noſtrae ordinem oſtendere voluit — ſolus ſic natus, vt ei non opus eſſet renaſci. *Non enim renaſcebantur*, qui baptizabantur *baptiſmate Iohannis*; fuit enim in aqua tantum; ſed Chriſti baptiſmus eſt in Spiritu ſ. Quod in ſpecie columbae venit ſuper eum, non credendum eſt, eum dona Spir. ſancti tunc accepiſſe, qui a prima conceptione plenus exſtitit Spiritu ſancto, ſed vt demonſtraretur trinitatis myſterium — c. 19 de nouiſſimis ſeculi temporibus — Antichriſti regnum — veniet Henoch et Elias per quorum doctrinam populus iſraeliticus conuertetur ad fidem, vt *eccleſiae habet fides*. 20. de reſurrectione corporum in nouiſſimo die. — *non fatigare nos debet* corporum incerta habitudo vel pulcritudo. 21. de iuſtorum praemio et poena peccatorum. *Ignem purgatorium* aliter impii ſentient, qui inde ad perpetuas flammas detrudentur; aliter ſancti, qui tanta facilitate illum peruolant; — ſunt iuſti quidam *minutis peccatis* quibusdam obnoxii, quae illius ignis ardore purgantur. Gradus ſaluandorum et damnandorum. c. 22. de aeterna beatitudine ſanctorum. — prima conditio hominis fuit, *poſſe non mori;* ei propter peccati poenam contigit, *non poſſe non mori;* reſtat illud tertium, *non poſſe* mori. (Haec et *Lombardus* in ſententias transtulit.) Epilogus, ſeu confeſſio fidei verboſior — ſepultus, ab inferis, *damnato et ſpoliato principe* totius iniquitatis, rediens — Iam porro recenſemus *Alcuini* ſcripta; de *trinitate* quaeſtiones 28. in *orthodoxographis*, titulo, *confeſſio*, ſeu doctrina de deo. Epiſtola, de differentia aeterni et ſempi-

terni; de *animae ratione*, ad Eulaliam; pars huius libelli inserta legitur in isto Augustino olim tributo: *de spiritu et anima*. Contra *Felicem*, orgelitan. ep. libri 7. in bibliotheca patrum *Paulino* aquil. patriarchae falso adhuc tribuuntur, licet iam *Du Chesne Alcuino* restituisset. *Praefationem* edidit primus *Baluzius* in miscell. tomo 1. cum Epistola ad *Elipandum*, tolet. et cum hic respondisset, partibus 2; contra Elipandi epistolam, et de incarnatione Christi. Admonemus hic, quod iam alio in loco debebat, observari, videri *Carolum* praecipue *ius summum circa sacra* hac ratione exercuisse, in hac controuersia atque illa caussa *imaginum*. De *confessione*, ad pueros S. *Martini*. Liber sacramentorum, seu *sacramentarium*; sunt 32 Missae, e. c. in honorem S. Trinitatis, aeternae sapientiae, Spiritus s. *sanctae crucis*; aliquot sanctorum; *septem* in honorem *Augustini*; plures orationes, quas inter 2 ad iudicium *aquae feruentis*. Homiliae, quae apud *Du Chesne* sequuntur, tres, et vita Antichristi, ad minus genuina pertinent; *de virtutibus et vitiis*, ad Guidonem, comitem; (inde multa desumta sunt, et *sermonum* nomine inter *Augustiniana* scripta olim ferebantur.) Tractatus *de 7 artibus liberalibus*; (supereſt tantum de *grammatica*, quae magnam partem est ex *Cassiodorio*; de *rhetorica*, quae cum *dialectica*, (huius quaedam desunt,) dialogi in forma scripta est. *Disputatio regalis*, inter *Pipinum* et *Alcuinum*; supersunt et quaedam *poemata*; *vitae* aliquot sanctorum, *Epistolas* edidit *du Chesne* 115, e quibus 67 *Canisius* iam dederat; inter eas multa pertinent ad historiam, tam rerum ecclesiasticarum, quam politicarum, litterariarum; (vna, de *septuagesima*, *sexagesima*, *quinquagesima*) epistolas fere 40 alias postea *Dacheri*, *Mabillonius*, *Baluzius*, detexerunt. *Chifletius* edidit 1656 *confessionem fidei* 4 partibus; cum 4 tractatibus aliorum auctorum. Sed suboriebantur scrupuli; *Dallaeum* refutare conatus est *Mabillonius* in longa dissertatione inter *Analecta*; sed, licet et auctores operis, *histoire litteraire de la France*

France, tribus praeiudiciis pro *Alcuino* vsi fuerint, tomo 4. pag. 324 seq. tamen non videtur *Alcuini* esse. Pars prima opusculi huius est ipsum illud *speculum* Augustini nomine tam celebre. Pars altera, (in manuscripto quodam, *confessio quantum Christus humano generi subuenire* dignatus est, ex *Augustino*, *Gregorio*, *Isidoro*. *Breuiarium fidei aduersus Arianos*, quod ediderat sine nomine *Sirmondus*, vetusti codicis auctoritate *Alcuino* tribuit *Chiffletius*. Commercium Epistolarum *Alcuino* fuit non solum per *Italiam*, sed etiam per *Angliam*, et *Hiberniam*, (epistola eius ad *Calcum*, lectorem; inter epist. Hibern. quas collegit *Vsserius*.) Incertum est, quaenam partes fuerint *Alcuini* in libris *Carolinis;* emendauit *librum Comitis* (exstat in *Pamelii* collectione librorum *liturgicorum*, et *Baluzii* capitular. tomo 2. pag. 1309.) Commentarius in *canticum* cant. non debebat distingui ab *epistola* ista, in locum istum, 60 *sunt Reginae* &c. *Latina* biblia accurate emendauit, paulo ante finem vitae. Alia opuscula minus certa sunt; diligentius, quam alii, egerunt de eius scriptis auctores operis, *histoire litteraire de la France*. In hoc eodem corpore tomo 4. p. 347-355. vtilis recensio habetur *martyrologiorum*, quae inde ab hoc 9. seculo innotuerunt; et recensio variorum auctorum, de quibus, praeter nomina, vix aliquid dici potest memoria dignum; pag. 363. de *variis annalibus*.

Ex vita *Caroli* M. ad rem litterariam pertinet pag. 375, *de capitularibus*, quorum plura numero quam 60 supersunt; ex iis praecipue hoc apparet, *ius summum circa sacra* Carolum non minus, quam imperatores *Graecos* luculenter sibi vindicasse. Collectiones *capitularium* potiores, sunt *Ansegisi* libris 4, paulo ante 830. Hoc corpusculum publica auctoritate non caruit. *Benedicti*, diac. moguntini, qui *tres* alios libros collegit adhuc ante annum 850. *Lotharius* 1. edidit collectionem breuiorem *Ansegisi*; ex *Benedicti* collectione, *Herardus*, turon. ep. et *Isaac*, lingon. episc. canones suos desumserunt; eadem

Hincmarus, *Regino*, *Fulbertus*, *Iuo*, carnot. aliique vſi fuerunt. *Editiones* a ſeculo 16, omnes *Baluziūs* ſuperauit; deſunt tamen quaedam in hoc corpore, quae *Goldaſtus*, *Mabillon* in *Muſeo* italico; *Eccardus* in collectione legum 1720, *Martene* et *Durand* in *collectione ampliſſima* habent. Ex *Epiſtolis* Caroli ſupereſt illa ad *Elipandum* toletan. aliosque Hiſpaniae epiſcopos, adhaeret *confeſſio fidei*; *Edictum* de ſancta *trinitate* et *fide catholica*; epiſtola, qua reſpondet *Alcuino*, de *ſeptuageſ. ſexageſ. quinquageſima*; *tres epiſtolae* ad *Offam*, regem Merciorum; (praeter illam, quam *Spelman* edidit inter concilia Anglicana, poſt *Matthaeum* weſtmonaſter. quae parum genuina videtur.) *Encyclica* illa de *ſcholis* in eccleſ. epiſcopalibus, et monaſteriis, erigendis, (ad *Baugulfum* abb. *Fuldenſem* nobis ſupereſt). Epiſtola ſeu praefatio *Homiliario*, ſeu *Lectionario* addita, quod per *Paulum*, Warnefridi, colligi iuſſerat. Epiſtola de *gratia ſeptiformis ſpiritus*, qua epiſcopis, quibus aliquot quaeſtiones propoſuerat, ſatis erudite reponit, non ſeparari poſſe dona illa, cum ſtatuiſſent, ſub veteri teſtam. iuſtos recepiſſe aliquam quaſi partem. Epiſtola ad *Angilbertum*, generum, quem *Homeri* nomine deſignat; iubet *Leoni* 3 varia ſuggeri ad pontificiam dignitatem recte ornandam; 2 epiſtolae ad hunc Leonem; epiſtola ad monachos S. *Martini*, turon. qui ius aſyli, audebant opponere; ſatis fortiter eos reprehendit. Epiſtola ad *Garibaldum*, leod. ep. vt ignorantia populi diligentius procuretur — multae *epiſtolae Caroli* etiam ad imperatores graecos miſſae fuerant, (ab *Irenes* tempore ad *Leonem*, armenum,) ſed ex iſtis vix ſupereſt vna ad *Nicephorum*; ſimiliter pleraeque illae ad *Hadrian.* 1. et *Leonem* 3 perierunt, poemata etiam multa; idem linguae *francicae* ſeu *theotiſcae* operam multam dedit, ſed minus conſtat, quod etiam translationi Euangeliorum incubuerit, licet *vulgatam* editionem Euangeliſtarum correxerit ad *graecum* et *ſyriacum*. Intelligere licuerit, aliorum opera notatas fuiſſe diuerſitates graecas et

Syria-

Syriacas; nec satis constat de *Harmonia*, quam *Mezeraius* in numo quodam putabat designari. *Carolini* libri videntur coniuncta plurium opera coiisse; iidem *aduersus papae Hadriani* responsionem et censuram confirmati fuerunt, nec ratione vtitur *Cointius*, qui putauit eos per haereticorum manus corruptos fuisse. Eorum recentior editio fuit per *Heumannum* procurata 1731. *Carolus* etiam eas *epistolas* paparum (a *Gregorio* 3 vsque ad *Leonem* 3) et imperatorum graecorum, ad *Carolum Martellum*, ad *Pipinum*, patrem, atque ad *Carolum* ipsum; idem *monogrammis* vsus fuit; *formulam confessionis theotiscam* edidit *Lambecius*; in biblioth. *vindobon.* qua *Carolum* vsum fuisse quidam opinabantur.

Amalarii, treuirens. aep. supersest epistola, qua respondet *Carolo* M. de baptismo, quam ante *Sirmondi* obseruationem solebant *Alcuino* tribuere; periit eius *descriptio legationis*, quam ad *Michaelem* imper. graecum obiit 813, ea superfuit adhuc seculo XI. Solebat autem antea hoc nomen confundi, cum *Amalario*, diac. *metensi*, qui plurium scriptionum auctor fuit. *Riculfus*, aep. Moguntinus, ab a. 787 post *Lullum* satis celebris; quippe cui *Hincmarus*, rhem. tribuit hoc, quod primus attulerit ex Hispania *falsas decretales;* sed *Dauid Blondellus* eam caussam accuratius excussit 2 commentariis eruditissimis. *Magni*, Magnonis, aep. Senon. qui fuit e *missis* Caroli in *Burgundiam* et Aurelian. ditionem, superesse creditur, *de mysterio baptismi*, *Sirmondus* se habuisse dixit; idem veteres *notas iuris* explicauit et collegit, dicauitque *Carolo*; saepius editae sunt, etiam inter *Putschii* grammaticos. *Leidradi*, Lugdun. episcopi, aliquot habentur *Epistolae*, quas inter eminent 2 ad *Carolum*, de *baptismo*, et *renunciatione*, quae baptismum praecedit; eas edid. *Mabillonius* in *Analectis*. *Smaragdi*, qui post initium seculi fuit abbas S. Michaelis, in dioeces. virdun. supersest, *via regia*, capitum 32; pro laicorum institutione; *diadema monachorum.* Epistola *dogma-*

tica, de proceſſione Spiritus ſ. *ex filio*, nomine *Caroli* ad Leonem 3. *Explicatio* in *Euangelia* et *Epiſtolas*, per curſum anni, ſeu ad ordinem *Comitis*; ex patribus iſta collegit, quorum nomina non tacuit; etiam quosdam *graecos* excitat. (*Figulus*, falſum eſt haud dubie nomen.) Commentar. in *regulam Benedicti*. Ineditum eſt opus, *grammatica maior* Donatum exponendo. *Benedictus*, anianenſis, ex inſtauratoribus monaſticae vitae; ex *anianenſi* certe monaſterio quaſi e ſeminario per *Franciam* monaſteria *Benedictina* ſuccreuerunt; collegit *codicem regularum*; et *appendicem* exhortationum; quaedam e Graecis adeo ſcriptoribus collectae; *Concordia regularum*, eſt quaſi commentarius. Eidem etiam *Baluzius*, in *miſcellaneis* libro 5 quasdam ſcriptiones tribuit. 1. teſtimoniorum nubecula, de incarnatione domini, et ſancta trinitate; et *iteratione* baptiſmatis (apud Arianos), multa argumenta *aduerſus Arianos* colliguntur e SS. (Hic multa plane conueniunt, e. c. de Spiritus ſancti deitate, cum *Idacio*, aduerſus *Varimadum*, arianum.) 2. diſputatio *Benedicti*, leuitae, aduerſus *Felicianam* impietatem; pleraque fere operae non eſt pretium hodie legere; pag. 38 audet ſcribere: Rom. 9, dici, ecce, *qui ſecundum carnem* ſuper omnia deus praedicatur. 3. *Epiſtola Benedicti* pag. vnde apud modernos ſcholaſticos, *maxime apud Scotos* iſte ſyllogiſmus deluſionis, vt dicant: trinitatem ſicut perſonarum, ita ſubſtantiarum — Porro autem fides catholica haec eſt, vt vnum deum in trinitate &c. (initium *Athanaſiani* ſymboli.) pag. 56, confeſſio fidei, *Bened.* leuitae, foedere iſto fidei inexhauſto fidentis. — ad inferos deſcendiſſe, p. 61, *ſuorumque* (ſanctorumque) liberationem inibi peregiſſe — Poſt capitularia *Baluzius* etiam edidit *poenitentiale*, quod tribuitur *Benedicto*, aninenſi, ſed eſt perbreue, et nullius fere vſus.

Theodulfus, aurel. epiſc. multarum ſcriptionum, etiam poematum, auctor; pleraque omnia eius ſcripta collegit *Sirmondus* 1646, 8. pauca poſtea alia innotuerunt;

capi-

capitulare aliquod in *Baluzii* miscell. tomo 7, et quidam latini versus. Inter *opera* ista habetur, *capitulare*, capitum 46. Supersunt multae observationes, quas nec *Sirmondus*, nec auctores *historiae litterariae* Franciae fecerunt, nec alii eruditi, quia pauci solent eam partem studiosius tractare. e. c. *Harduinus* tomo 3. conciliorum in fine canonum *quinisexti* pag. 1711, ex *Surio* adiecit *nouem canones*, quos pag. 49 breuiter attigi; iam mihi contigit forte primo, auctori suo eos reddere; sunt ex capitulari *Theodulfi*. Nempe *hic* c. XXI. est apud *Harduinum* 6; XVII est Harduini *secundus*. XVIII, Harduini 3. XIX. 4. XX. 5. XXI. 6. XX. et XXIII, est 7. XXIV est *Harduini* 8. XXV est 9. Hic librarius videtur chartae penuria abrupisse. Canon *primus* est *Theodulfi* caput 17. falsa ergo est praefatio illa cuiuscunque demum auctoris, *de synodis — sexta*, Cpoli, contra *Macarium*, antioch. — tempore *Agathonis* — condemnata haeresi praefata, *scripserunt nouem capitula inferius annexa*. Haec falsissima sunt, et poterat facile vel ex indole canonum hoc perspici. Ex hoc igitur *Capitulari* pauca excerpimus. c. 7 vt sacerdos Missam *solus* non *celebret*: esse debent, qui circumstent, a quibus respondeatur. — 8. ne *messes et foenum* in ecclesias porro congerantur. In ecclesia sepeliatur tantum, qui id meritus est. *Nec matres, sorores*, habitent cum presbytero in vna domo, quia cum istis solent etiam aliae in eorum obsequio venire. Vt presbyteri per *vicos et villas scholas* habeant. c. 23. omnes bis saltim quotidie, mane et vespere deum orent; (symbolum et orat. domin.) His actis et solo creatore *adorato*, sanctos *inuocet*, vt pro se intercedere apud deum dignentur. 29. Quonam modo orandi fideles vti debeant: post symbolum dicat quisque tribus vicibus, *qui plasmasti me, miserere mei*; et tribus vicibus, deus propitius esto mihi peccatori; dicat orat. dominicam; si locus et tempus exegerit, *sanctos apostolos et martyres* deprecetur, vt pro eo intercedant. 30. de *confessione peccatorum deo* quotidie

tidie facienda. 31. confessiones (apud sacerdotem) dandae sunt de *omnibus peccatis*, siue in opere siue in cogitatione — debet inquiri, si quis venit ad confessionem: *quo modo aut qua occasione* peccatum peregerit; debet et persuaderi, vt de peruersis *cogitationibus* faciat confessionem. (Hic initia maioris potestatis sacrae.) 41. in quadragesima singulis diebus dominicis, (praeter eos, qui excommunicati,) sacramenta corporis et sang. Christi sumenda sunt; et in coena domini, parasceue, vigilia paschae, et in die resurrectionis domin. penitus ab omnibus communicandum — diebus *ieiuniorum* abstinendum a coniugibus. 45. ne populus *per missas peculiares a publicis* in die dominico abstrahantur. Eiusdem *de ordine baptismi* ad *Magnum*, Senon. capitibus 18. cur infans *catechumenus* efficitur; quid sit catechumenus; cur *exsufflatur*, cur *exorcizatur*, cur *accipit salem. symbolum*, quid sec. latinos. de credulitate, (i. e. fidei formula). de scrutinio (adultorum). cur tanguntur de sputo nares et aures? cur pectus oleo vngitur, vel scapulae signantur? Abrenuntiatio — Satanae et pompae. de sacramento baptismi; cur *albis* induitur? cur *chrismate* caput vngitur? cur mystico tegitur *velamine*; cur ab Episcopo confirmatus, per manus impositionem accipiat septiformis gratiae spiritum? cur corpore et sanguine dominico confirmetur? Multa de numero septenario; septem hic dona, sapientia; intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis, timoris — Eiusdem, *de Spiritu s.* quod a *patre filioque* procedit, praefatio ad *Carolum*; indiculus auctorum, qui citantur. *Athanasius* (sed sunt fere omnia ex suppositis illis scriptis, quae tantum *latine* exstant, et *Vigilio* tribui possunt. *Cyrillus*, sunt minus clara testimonia 2. *Hilarius*, lib. 8. *Ambrosius*, lib. 1. ad Gratianum, (*Spiritus quoque* sanctus, cum procedit a patre et filio, non seperatur ab eis, sicut filius non ex loco in locum processit, cum dicit, ego de patre processi et veni; nec hoc est satis clarum) ex libro 3. c. 20, Apocal. 22, 1 fluuius est Spiritus s. collato Ioh. 7, 37, (quod

nihil

nihil ad hanc rem pertinet.) *Hieronymus*, in libro *Didymi*. (nihil huc faciunt omnia descripta loca.) *Augustinus* lib. 3. 17 contra Maximinum. (Spiritum s. de *vtroque* procedentem — in libro de incarnatione domini (ex patre, *filioque* procedentem; sed ista omnis pars non exstat in 2 libris de incarnat.) Idem in expositione fidei (est *Fulgentius*) de patre *filioque* multa alia loca Augustini; *Fulgentius* contra Fabianum, lib. 3. 5. 7 - 10. *Hormisda*, rom. epist. ad *Iustinum* imperatorem. *Leo*, roman. ep. ad Turibium; (alius, qui de *vtroque* procedit.) *Gregor.* roman. *Isidorus*, lib. 7 etymol. &c. *Prosper*, de vita contemplatiua; *Vigilius*, contra Eutychianistas. *Proclus*, constantinop. ad *Armenios*, (Macedonius sequestrat Spiritum s. ab essentia deitatis inseparabiliter procedentem;) *Agnellus*, in epistola ad Nenium. *Cassiodorus*, in Psalmum 50. 61. *Prudentii* aliquot versus. Istud igitur facile videmus, studiosissime omnia conquisita fuisse testimonia; clara, esse ex *Africa* prima; e Graecis fere nulla, quae sine ratiociniis rem dicant. Sequuntur *Fragmenta* sermonum, a *Dacherio* edita; parum frugifera. *Carminum* liber 1. aduersus iudices; fuit ipse *missus* Caroli; ad *geographiam* sui temporis facit, et corruptos seculi mores describit, versus sunt supra 900. Carminum *liber*. 2. Versus in fronte bibliorum, quae ipse describi iussit; numero 250. praefatio his bibliis praefixa alia, litteris aureis. Hebraica librorum nomina hic corruptissime exstant. Versus praefixi breui chronico, quod bibliis adiectum fuit, vsque ad *Heraclium*; nomina hebraica, graeca, latina (in bibliis) sequebantur. Versus, vt a pueris in *die palmarum* canuntur, versus 78 — versus scripti litteris aureis de S. *Quintino*, in prima tabula; in 2. 3. n. 13 laudat *Wulfinum*, grammaticum et poetam aurelian. Omnes versus huius libri 642. liber 3. Ad *Carolum* v. 244. Mentionem facit *Fredegisi* (inter *Alcuini* opuscula est ad eum de trinitate;) huius epistolam nondum editam de *Nihilo* et *tenebris* nominat *Sirmondus* — ad *Gislam*, cui mittit

Psal-

Psalterium duplex, ad Hebraic. verit. et vetustum latinum, Hieronymi vtrumque; versus omnes 648. Liber 4. de libris, quos legere solebat; *fluuo* ore Iohannes (Chrysostom.) etiam nominatur; ceteri latini. de septem artibus liberalibus in pictura; hic ex *vaticano* codice epigrammata 7 alia edidit Sirmondus. Alia pictura, in qua imago terrae; ad episc. bituric. Agiulfum; ad ep. *Moduinum*, augustodun. De pugna auium. *Modoini* ad Theodulfum exsulem; versus omnes 690. Liber quintus. — de 7 vitiis. paraenetis ad episcopos. versus 700. Liber sextus; carmina moralia; versus omnes 798; edidit *Mabillonius* in *Analectis* quaedam alia carmina; nec profecto inuita *Minerua* poesi operam dedit *Theodulfus*; ex his carminibus de studiis litterarum latinorum *graecorumque* in Gallia non neglectis recte iudicare possumus. Praeterimus scriptores *anonymos*, et *vitarum* SS. non paruo numero; inter *Caroli* M. *consiliarios primos* fuit *primus Adalardus*, abbas corbeiensis, vt ipse designat *Hincmarus*; sub *Ludouico* pio in exilium ire iussus. Eius *statutorum fragmenta* pro monasterio suo edidit *Dacheri*; *sex classes* erant; prima, monachorum, numero 350. secunda clericorum et discentium; tertia, matriculariorum et seruitiorum; quarta, prouisorum; quinta, vasallorum; sexta, hospitum seu peregrinorum. *Summaria* seu capitulorum 52 tituli; praecipue dolemus interiisse descriptionem, *seu ordinem palatii*, officiorum, gubernationis; imitatus est *Hincmarus* opusculo 14, seu *institutio* regis *Carolomanni*. *Dungalus*, (incertum cuius originis) *reclusi* nomine non minus, forte in vicinia S. *Dionysii*, quam scriptis celebris. Supereſt eius verbosa epistola ad *Carolum*, de 2 eclipsibus solis anni 810. *Ludouico* pio et filio *Lothario* dicauit refutationem *Claudii* taurin. seu defensionem *imaginum*, cultus crucis, reliquiarum, et peregrinationum sacrarum; vtitur auctoritate aliorum scriptorum potius, quam rationibus; eidem non sine specie, varia poemata possunt tribui. *Halitgarius*, episc. camerac. *legatus* a. 828 Cpolin, collegit

legit *poenitentiale*, iussu *Ebbonis*, metropol. libris quinque; his paulo post addidit *sextum*, ex poenitentiali *romano*; isti quinque libri alio ordine, etiam inter *Rabani* Mauri opera habentur. In *collectione amplissima* Martenius edidit descriptionem similis operis eiusdem *Halitgarii* (de *vita sacerdotum*, seu manuale ministrorum poenitentiae;) libris 4, quartus tamen deerat in codice scripto; capitum tantum *summaria* hic excusa sunt. Fridegisi (al. Fredugisi) abbatis S. *Martini* Turon. *Epistola de nihilo et tenebris*, (quam ex *Sirmondo* nominabamus antea pag. 381) edidit *Baluzius*, tomo *primo* miscell. pag. 403 seqq. Inscripta est *ad proceres palatii*. Agitatam diutissime a quampluribus quaestionem, quam velut impossibilem ad explicandum reliquerunt —. Vtrum *nihil* aliquid sit, an non? statuit, non solum nihil esse *aliquid*, sed etiam *magnum quiddam*. Sic et statuit *tenebras* esse *rem*; quia dicitur Genes. 1, et tenebrae *erant* super faciem abyssi — probabile est, *tenebras corporales* esse. Inter *Agobardi* opera occurrunt quaedam opiniones *Fridegisi*, quas contra *Agobardum* audebat defendere; exstat tomo 1 operum *Agobardi*, ex edit. *Baluzii*, pag. 165 seq. liber *contra obiectiones Fridegisi* abbatis, ad hunc scriptus. Christum vere humilem, abiecte de se sensisse, et *erravisse*, *se non dubitasse*; editores atque *interpretes* scripturae cum expositoribus semper defendendos esse, ab omni errore contra grammaticam; nisi *mysterii* causa aliter exigeret; turpe enim esse, credere Spiritum s. rusticitatem potius quam nobilitatem linguae per apostolos secutum. (Ista larua et hodie multos adhuc fefellit.) Animas longe *ante corpora* creatas, peruenire ad corpus. *Patriarchas*, prophetas &c. in V. testam. non fuisse *christianos*; quia nondum fuerit Christus. — *Hetto*, ep. Basilienſis, descripserat iter seu legationem suam epolitanam; supereſt *capitulare* seu canones pro clericis *basileensibus*; libellus *de visione Wettini*, editus a *Mabillonio* volum. 5 acta SS. ordin. *Benedicti*. *Iesse*, episc. ambian. variis legationibus

cele-

celebris; etiam *Carolin.* missus 802 ad *Irenem*; fuit postea ex rebellibus contra *Ludouicum* pium. Supereſt eius responſio de *baptiſmo*, ad *Caroli* quaeſtiones; ſed non ſatis integra adhuc edita eſt haec ſcriptio. *Amalarius*, presbyter eccleſ. *metenſis*, (praenomen *Symphoſius* debebat eum ſatis diſtinguere a *treuirenſi*;) poſt *Claudium*, taurinenſem epiſcopum, magiſter *ſcholae palatinae*. *Liturgiae* dedit multum diligentiae ſuae; quam operam vehementiſſime exagitarunt aduerſarii *Agobardus*, aep. lugdun. et *Florus*, diac. lugdun. *Florus*, praeter epiſtolas, etiam accuſatoris perſonam egit in comitiis in *Theodonis villa* a. 835 etc. (vid. antea pag.) Supereſt eius *regula canonicorum*, iuſſu *Ludouici* pii, vſus eſt bibliotheca palatii; capita 145, e quibus priores 113 *Amalarius* conſcripſit; praefatio vero et cetera capita addita fuerunt in concilio a. 816. Haec regula auctoritatem ſuam habuit ſeculo adhuc XI. Minus certum eſt, an *regula* alia capitum 28 eiusdem ſit. *De officiis eccleſiaſticis* libri 4, poſt *Sirmondum*, huic *Amalario* reſtituti ſunt; ſcripti codices aut primam exhibent editionem, anni 820, aut poſteriorem, poſt iter *Romanum* 827. libro 3, c. 24 et alibi, *praeſentiam realem et transſubſtantiationem* eum deſcribere, notant auctores *hiſtoriae litter.* Franciae tom. 4. p. 539, (ante *Paſchaſium Radbertum* igitur aliquot annis, quem *fratres noſtri ſeparati* ſolent primum dogmatis inuentorem autumare.) nec huic rei contradixiſſe *Agobardum* aut *Florum*, quod quidem non eſt magni ad rem momenti; nec de *Amalario* ſatis hoc efficitur. Similis argumenti ſunt aeglogae (i. e. eclogae, nec opus erat, vt in hiſtor. litter. Franciae annotarent, non eſſe *dialogue* entre les bergers); edidit *Baluzius* tomo 2 capitul. pag 1352 ſq. Inſunt mira miracula — cum *fanonibus* offerunt, quia legimus in paſſione domini *ſudarium* vſurpatum fuiſſe. — paratos eſſe, et animam ponere — altare, eſt *ſepulcrum* Chriſti; poſt commixtum corpus domini cum vino et pace nuntiata, aufertur dominicum corpus de altari, quia tertia

die

die rediit anima, quae descenderat ad inferos, ad suum corpus — et totus homo surrexit, ideo cum oblatione calix domini aufertur ab altari. (Talibus comoediis haud dubie porro *transsubstantiatio* non parum adiuta fuit.) gallicana autem est phrasis illa, dicit domnus *papa*, — apostolicus. Scripsit porro de *ordine Antiphonarii*. *Epistola* (edidit *Dacheri* 7) quarta, explicat verba, *hic est calix sanguinis mei noui Testamenti*; hic aduersus *Spanhemium* auctores histor. litter. admonent, nihil exstare, quod obstet transsubstantiationi. Sed parum proficiunt; scribit: hic calix est *in figura* corporis mei, in quo (*corpore*, non calice) est sanguis, qui *manabit* de latere meo — vnde dicit, nisi *manducaueritis carnem filii hominis*; hoc est, nisi participes fueritis meae passionis et credideritis me mortuum pro vestra salute — *sexta* epistola ad *Guntradum* rationem reddit, qui quaesiuerat, cur maiori cautela *Amalarius* non vteretur, ne illico post consumtum sacrificium *spueret*. — si quod circa *spiritum* est in suo ordine manet, ea, quae per corpus geruntur recta putantur. — non dico, quod non debeamus, venerari corpus dominicum; sed, quod si veneratum fuerit, *ab interiori homine*, quicquid naturaliter ab exteriore agitur — putas, quasi *sumtum corpus simul cum* sputo proiiciam — Forte tui animales, inflati munditia corporis — si possem tamdiu abstinere a sputo, vt satisfacerem *tuis*, vt non haberent, quod reprehenderent in me, hoc vltro facerem. — deus faciat *intrare* corpus *ad animam* meam vificandam. — Domini est, corpus suum *per artus et venas diffundere* ad salutem nobis aeternam (ergo *panem* manere credidit, qui *dicitur corpus*, sed non est.) — si forte me ignorante *exierit de ore meo* ex corpore domini — (hoc minime potest stare cum transsubstantiatione —) Ceterum non vult differri in dominicum diem; sume corpus dominicum, quando videbis pium affectum in te, nescis, si contingas diem dominicum — Quod numero VII excuditur, est caput *Theodulfi* aurel. 39. 41. et pars 44, quod

mirum est tot viros doctos non obseruasse. His sententiis librum 3. de *officiis* finiri in manuscriptis admonet *Dacheri.* *Agobardi*, aep. lugdun. ab anno 816. opuscula plura supersunt, quae cum istis *Leidradi* et *Amulonis*, aepp. lugd. edidit *Baluzius* 1666. paris. 8. 2 tomis. Liber aduersus *Felicem*, vrgellensem, ad *Ludouicum* pium, pag. 1-59. (contra schedulam a *Felice* olim editam sub specie interrogationis et responsionis; cum *Felice* viuo aliquando disputauerat, de non vera ignorantia Christi hominis; dixerat, non dici debere, *deum* passum, sed hominem adsumtum — multa ex *Cyrillo*, *Augustino*, *Vigilio* — ad eumdem imperatorem, *de insolentia Iudaeorum*, p. 59 — ; de *iudaicis superstitionibus*, p. 66-98. In primo libro multa occurrunt, quae *statum Iudaeorum* in prouincia *Lugdunensi* satis commodum designant; *Ludouicus* contra Agobardum Iudaeos augustalibus mandatis defendit. Hic ipse narrat: se tantum praedicasse, ne Christiani mancipia christiana Iudaeis porro venderent, ne ipsos Iudaei ad *Hispanias* venderent; nec feminae christianae cum Iudaeis sabbatizarent; ne carnem, quam Iudaei immundam iudicant, christiani emant; *pecora christiana* insultario vocabulo solent nominare. *Nazarenorum* nomine quotidie in orationibus suis christianos maledicunt, vt plerique *testantur* — mentiuntur, quod cari sint imperatori propter patriarchas — permittitur eis contra legem, nouas *synagogas* exstruere; — imperiti christiani dicunt, *melius eis praedicare* Iudaeos, quam presbyteros nostros; missi regii *mercata* transtulerunt, quae in Sabbatis solebant fieri — venit homo fugiens de *Cordoba*, qui dicit se furatum fuisse a Iudaeo quodam paruum adhuc puerum, lugduno; fugisse cum alio, quem alius Iudaeus *Arelate* furatus fuerat — haec cum *confratribus* contulimus (forte iidem, qui in libello de *iudaicis* superstit. nominantur sub initium.) In hoc altero libello scribit: ex patrum statutis atque exemplis ad confirmandam piam gubernationis vigilantiam contra Iudaeos. Ex vita *Ambrosii*: synagoga Iudaeorum et *lucus*

Va-

Valentinianorum, (qui 30 deos colunt) incensa fuerunt, quia insultarant monachis christianis — imperator igitur praecepit, vt *Synagoga* ab episcopo aedificaretur, (in orientis partibus fuit;) Ambrosius se opposuit et vel mortem obire voluit — Excerpta e *canonibus* contra Iudaeos — deum credunt corporeum, et humanum corpus ad imaginem eius factum; litteras *alphabeti* sui esse aeternas; legem esse ante mundum; plures esse *terras*, *caelos*, *infernos*; vnum caelum, racha, (an *rakia*) sustinere molas dei, quibus manna angelis molatur in escam; esse deo 7 tubas, vnam mille cubitorum. De Iesu ista narrant, pag. 76 — *Petrum* Herodis misericordia e carcere dimissum, apud quem eius sapientia fuerit laudata — *Hieronymus* scribit, Iudaeorum praepositos sanguinem virginis vel menstruatae, vtrum mundus sit, si oculis non possunt, gustu probare — Ex *Clementis* recognitionibus, — *Consultatio et supplicatio ad proceres palatii, de baptismo iudaicorum mancipiorum*, p. 98 (de mancipiis Iudaeorum *ethnicis*, quae illi comparauerunt, et inter nos discunt linguam nostram — desiderant baptismum) deus, qui creauit, maiorem portionem vel in seruo quolibet habet, quam ille, qui 20 aut 30 solidos dedit. — si id est opus laude dignum, quod imperator victas gentes Christo subiicit et sociat religioni, quomodo hoc negligendum est — modo ille, qui *magister est Iudaeorum* (pag. 105 *Evrardus* nunc est magister,) ita attenderet, vt vos ei faciendum dixistis. Epistola ad *Nibridium* episc. narbon. *de cauendo conuictu et societate iudaica.* — quidam ex vulgaribus et rusticis putant hunc solum esse dei populum. *Liber aduersus legem Gundobadi et impia certamina, quae per eam geruntur*, p. 107. — contingit plerumque, vt simul eant aut sedeant *quinque* homines, et nullus eorum *communem legem* cum altero habeat — si contigerit disceptatio, — non recipitur testimonium alicuius super *Gundobadum* aliquem — cuius auctor exstitit haereticus — si placeret imperatori, vt hos *transferret ad legem Francorum*, et ipsi *nobiliores* effi-

cerentur, et haec regio a ſqualoribus (caedium et certaminum) liberaretur. Ad *Bernardum, de priuilegio et iure ſacerdotii* — etiam ſacerdos *Michae*, Iudic. 17, licet ſculptilium ſacerdos, tamen conſuluit dominum et proſpera reſpondit — etiam per peccatores Leuitas completa ſunt ſalutaria populi, quae per iuſtos populi non poterant — ſacramenta, in quibus ſalus populi conſiſtit, agere poſſunt iniuſti ſacerdotes, quae non poſſunt iuſti populares, quia valet in qualicunque miniſtro *ipſa vis miniſterii* (notabimus ancipitem ſententiam ex falſo ſacramenti et gratiae nomine.) — increbuit nunc conſuetudo impia, vt pene nullus inueniatur — qui non *domeſticum* habeat *ſacerdotem* — ita vt plerique inueniantur, qui aut ad menſas miniſtrent, aut ſacrata vina miſceant, aut canes ducant; caballos regunt, quibus feminae ſedent — dicunt, habeo vnum *clericionem*, quem mihi nutriui de ſeruis meis propriis, — volo, vt ordines eum presbyterum — p. 139 ſacramenta — tam magna et ſancta ſunt, vt nec bonorum meritis meliorari, nec malorum peruerſitate poſſint deteriorari, cum ad inuocationem ſummi ſacerdotis, non humana virtute, ſed ſ. Spiritus perficiantur maieſtate. *Liber contra inſulſam vulgi opinionem de grandine et tonitru*: paene omnes homines in his regionibus, nobiles, ignobiles, ſenes, iuuenes, putant grandines et tonitrua hominum libitu poſſe fieri, per *Tempeſtarios* (Wettermacher) dicunt etiam, p. 153 noſſe ſe tales, qui faciant grandinem vnum in locum fluminis aut ſiluae, aut ſuper vnam, vt aiunt, cupam, ſub qua ipſe lateat, defluere. p. 162, quidam dant *canonicum*, ſeu ſtatutum de frugibus, vt tempeſtarii eos defendant a grandine. p. 163 cum eſſet mortalitas boum, dicebant quidam ſtulti, *Grimaldum*, ducem beneuent. transmiſiſſe homines cum puluueribus, quos ſpargerent per campos, montes, prata, fontes, eo quod eſſet inimicus *Carolo* imp. *Liber contra obiectiones Fridegiſi abbatis*, *Epiſtola ad* proceres palatii *contra praeceptum impium de baptiſmo iudaicorum mancipiorum* (ad *Hilduinum*

duinum et *Walam*, abb.) circumferunt praeceptum imperatoris, vt mancipium Iudaicum *absque voluntate domini sui* nemo baptizet. — non sentimus, *filios vel seruos* eorum violenter auferendos (ex istis luculenter patet, *ius sacrorum* sapienter hoc tempore fuisse administratum, sine papa et episcopis) *Epistola* ad *Bartholom.* ep. narbonensem, *de quorumdam illusione signorum.* Ad *Matfredum*, procerem palatii, deploratoria de iniustitiis. Epistola ad clericos et monachos lugdunenses, *de modo reginninis ecclesiastici. Liber contra eorum superstitionem*, qui picturis et imaginibus sanctorum *adorationis obsequium* deferendum putant; ex *Augustino* et aliis multa collegit; dei non est alia imago, quam hoc quod ipse est; nec potest pingi aut adorari in imagine, nisi in ea, quam ipse praescripsit, Christo. Adoratio duplex, interna, externa; vtraque vocatur *religio*, qua soli deo obstringimur. — nec angeli nec sancti vllo religionis cultu adorandi; sanctorum memoriam *honoramus*, siue in scriptis, siue in corpore, etiam eorum sepulcra — non obiicias, te non imaginem sed rem imagine effictam adorare; fraus est Satanae, qui specie honoris sanctorum, ad idola mentem traducit; *picturae* adspectandae oculo externo; deus interne adorandus; illae, sunt caussa historiae, memoriae, non religionis - omnis superstitio vt abiiciatur, nulla imago in parietibus ecclesiae depingenda, nullum simulacrum erigendum, nec illae imagines vocandae *sanctae* — pag. 243, homo fidelis vt proficiat, ab exterioribus *introrsum trahendus* est — insipientes sunt, qui sanctitatem imaginibus tribuunt, quae sunt sine anima; *sanctificatio* fit per verbum dei, ergo non conuenit imaginibus — etiam *ambitiose honorare* sanctorum memorias, ad captandam gloriam popularem, reprehensibile est; excitat multa ex *Sapient.* 15. contra *idola* — si *sanctorum imagines* venerari iuberentur, ii, qui daemones coluerunt, puto, quod non tam *idola* reliquisse quam *simulacra* mutasse viderentur — quod legitur in actis *Siluestri*, magis *Constanti-*

nus fecit ex consuetudine *idololatriae* pestiferae (confer. concil. nicaen. 2.) — haec sincera religio patet etiam ex *sacramentario romano;* habuerunt antiqui imagines, sed caussa historiae, ad recordandum, non ad colendum, vt e. c. *gesta synodalia* pingebantur, catholici victores haereticorum — can. eliberit. 36. Verbo, hic liber plane poterat a *protestantibus* publice legi aduersus *Romanos* in *comitiis* Augustanis. Liber *de dispensatione* ecclesiasticarum rerum — p. 271 de sacris rebus in *laicales* vsus translatis — quod dicimus, hoc non fecit domnus imperator, sed *praecessores eius*, isti impossibile est, omnia ea emendare — fecit imperator vniri episcopos et comites, sed iam volunt inchoatam discordiam magnificare — repetit de *decimis* &c. ex libris Mosis — de *loculo* Christi, figura thesaurorum ecclesiae, (iam antea pag.) — sunt, qui gallicanos canones aut aliarum regionum putant non recipiendos, quia legati romani seu imperatoris *non interfuerint* — de donandis rebus et ordinandis ecclesiis nihil vmquam in synodis constitutum est, nihil a patribus publice praedicatum, quia feruebat vbique religiosa deuotio vltro donantium — Liber de diuinis sententiis digestus, *contra damnabilem opinionem putantium*, *diuini iudicii veritatem igne*, vel *aquis*, vel *conflictu armorum patefieri*, — improbat etiam, quod inter catholicos et haereticos possit per miracula controuersia de vero componi, quod scimus aliter olim per pleraque secula valuisse. Tomo 2: *sermo* Agobardi *ad plebem de fidei veritate* et totius boni institutione, constat rhapsodiis biblicarum sententiarum. *Epistola flebilis* de *diuisione imperii Francorum*, inter filios Ludouici imperatoris. p. 42. de comparatione *vtriusque regiminis ecclesiastici et politici*, *et in quibus ecclesiae dignitas praefulgeat* imperatorum maiestati, ad *Ludouicum* — vt vestra religio pie perpendere dignetur, *cuius reuerentiae debitores estis* ad vestrum *cotidianum* profectum, *erga sedem apostolicam.* (Huic phrasi antea hoc sensu locus non fuit; quilibet episcopus Franciae dice-

batur

batur *Apostolicus*, vid. *formulas Marculfi* libro 1.) — venerunt ad me litterae apostolici, praecipientes vt ieiunia et orationes — *Epistola Gregorii* 4 ad episcopos regni Francorum, ineptissima est declamatio. *Agobardi* liber *apologeticus pro filiis Ludouici* pii, aduersus patrem: audite omnes gentes, filios hos iuste fuisse indignatos et bene sentire, ad expurgandum paternum palatium a sordibus facinorum — ob maculatum stratum paternum — *Cartula porrecta Lothario Augusto* in synodo compendiensi 833. — regnum impellebatur ad ruinam per negligentiam et vt verius dicam, per ignauiam domni *lud.* quondam imperatoris — describit *Ludouici* deiectionem atrocissimo calamo. Epistola ad *Ebbonem*, ep. remensem, *de spe et timore:* iussisti nuper, vt in enchiridio tuo, quod gestabas, de diuinis libris scriberem arduas sententias, quae praesumtionem impedirent — vt haberes, in quibus non solum *equum* adscendens sed et descendens meditareris — Ex deuteron. 24, non auferes in pignus superiorem molam et inferiorem; mystice, intelligitur spes et timor. — sed pleraque desunt. Liber *de diuina psalmodia*, pro defensione decantationis quae in ecclesia *lugdunensi* obtinebat: (contra *Amalarium* metensem) — non veritus est ille stultus et improbus, in ipsa *romana ecclesia* quaedam in sacris officiis etiam sub anathematis damnatione resecare — sed nihil sani inest huic scriptioni. *Liber de correctione antiphonarii;* similiter habet; dicatus est praecipue *cantoribus* eccles. lugd. reprehendit, quod *Amalarius* dixit, *per aurem* virginis introiuisse Christum in regionem nostram — per *auream* portam exiisse e Maria — Liber venerabilis *Agobardi* aep. lugd. contra libros 4 *Amalarii;* dixerat hic, posse Letanias i. e. rogationes fieri sine ieiunio et carnis abstinentia, (potest serena mens, aliena a voluntate mala, precari deum, quamuis manducet carnem sobrie, meridie —) — solet quaeri, quanto tempore debeant vnctionem chrismatis seruare in capite, vt non lauentur, qui accipiunt manus impositionem, absque tempore

baptiſterii? ſeptem dies. quia Reſponſorius conſtabat 4 verſibus, *Amalarius* dixit, Chriſtum e 4 elementis hominem fuiſſe. — panis extenſus ſuper altare, *monſtrat* corpus domini extenſum in cruce, *quod* nos manducamus. Vinum et aqua in calice *monſtrat* ſacramenta, quae de latere Chriſti fluxerunt, ſanguinem et aquam, *quibus* nos potat dominus (non videtur ergo *Amalarius* transſubſtantiationem tenuiſſe.) Hic deficit *Agobardi* refutatio, cui aliquid deeſſe videtur. Edidit *Baluzius* in eodem corpuſculo *Leidradi* aep. lugdun. *Epiſtolas.* 1. ad Carolum M. narrat, quid peregerit in ſuo miniſterio. — vt *ſecundum ritum ſacri palatii* omni ex parte agi videatur, quicquid ordo expoſcit ad officium diuinum. Habeo *ſcholas cantorum;* plerique ita ſunt eruditi, vt alios erudire poſſint; *ſcholas lectorum*, e quibus non nulli ſenſum ſpiritalem Euangeliorum, plerique etiam prophetarum, adepti ſunt; multa aedificia hic conſtruxit, texit &c. abbati monaſterii regalis Inſulae Barbarae tradidi poteſtatem ligandi et ſoluendi; hi abbates ſolebant ab epiſcopis lugdun. mitti, ſi ipſi adeſſe non poſſent, vt cognoſcerent de fide catholica. *Amulonis*, aep. lugdun. epiſtola 1. ad *Theobaldum*, lingon. de incertis reliquiis; Epiſtola 2 ad *Godeſchalcum* — ex tota ſerie ſcriptorum (falſo) tuorum breuibus capitulis notabimus ea, quae nobis fidei catholicae maxime contraria videntur; — facile patet, *Godeſchalcum* vehementius ſententiam ſuam deſcripſiſſe, licet poſſet mitius; vt *Rhabanicos* (ſic nominabat,) eo magis pungeret — tandem deſcribit quaedam ex concilio ſub *Caeſario*, *arelatenſi:* aliquos ad malum diuina poteſtate praedeſtinatos, non credimus, et ſi qui tantum mali credere velint, eis anathema dicimus. *Opuſcula duo* eiusdem *Amulonis;* ad *Godeſchalcum.* opuſc. 1. reſponſio ad interrogationem cuiusdam de praeſcientia vel praedeſtinatione diuina, et de libero arbitrio. opuſc. 2 ſine titulo, in eodem codice, eiusdem argumenti. — Sententiae ex libris Auguſtini, in vnam ſeriem ordinatae, capitibus ſex. *Flori*, diac. lugdun. de electionibus

nibus episcoporum, ex sententiis antiquorum patrum — antiquitus legitime praefuerunt antistites ecclesiarum, *absque vllo consultu mundanae potestatis*, per annos fere quadringentos (vix tamen inscíis magistratibus e. c. Antiochiae, romanis, sed aut permittentibus, et sic publica auctoritas et securitas non defuit; aut vetantibus, et sic locum non habuit publica societas christiana, ad quam tamen ista munera referuntur.) — — eadem libertas ex parte maxima mansit ordinationibus episcoporum sub christianis principibus — nec enim ad vnius monarchae cognitionem deduci poterant omnes episcopi ordinandi in *Asia*, *Africa*, *Europa*. — quod autem postea in quibusdam regnis alia consuetudo obtinuit, vt consultu principis ordinatio fieret episcopalis: valet ad cumulum fraternitatis, propter pacem et concordiam mundanae potestatis, non tamen ad complendam veritatem vel auctoritatem sacrae ordinationis, quae nequaquam regio potentatu, sed solo dei nutu, fidelium consensu, cuique conferri potest (Hic homo verbis ludit; dei nutus ad priuatam emendationem facit, per priuatos; dei nutus per principes etiam publicam religionem et eius adiumenta regit;) — grauiter princeps delinquit, si hoc suo beneficio (nempe et ipse hic, dei minister, vt Paulus dicit?) largiri posse existimat, quod sola diuina gratia dispensat, (animi perfectionem gratia dat et adiuuat, non vero e. c. *publicum* munus sacrum Romae dat, sine dominorum auctoritate &c.) Parum vero rem sciuit, vt habuit, quod scribere audet: sed et in *romana ecclesia* vsque in praesentem diem cernimus *absque interrogatione principis* fidelium consensu legitime pontifices consecrari; nempe ignorauit auctoritatem graeci imperatoris? Gothorum? *Longobardorum?* Missorum francicorum? *Baluzius* pag. 152 longa illustratione hic *Florum* sic interpretatum iuit, ne veritati historicae contradicat. Sed succreuit sensim malignius ius ecclesiasticum, vetustiori tandem oppresso et mutato, per formularum varia pia simulacra; ab isto fonte tandem pestifera vis rem christianam publicam

priuatamque corrupit, quasi ecclesiastica, theologica, sacra negotia subesse possint episcopis, seu ministris ecclesiasticis, minime vero talia negotia subesse possent regi — sequuntur *notae Baluzii* ad omnes istos libros, quos recensuimus, pleraeque frugiferae atque variae eruditionis plenae. Iam pergimus in recensione *scriptorum Francicorum.*

Capitularia Ludouici pii accurate recensentur per temporis ordinem in *histoire litteraire* de France tom. 4. pag. 589-603; pauca quaedam post *Baluzium* edidit *Mabillonius* in *musco italico;* et *Goldastus* 2 formulas, examinis aquae feruentis, et aquae frigidae; de quo examine et *Cellot* in appendice 6 ad Histor. *Godeschalci* copiosius egit, *Bernardus* autem *Pezius* aliam collectionem, quae mira sedulitate constat, edidit, in anecdot. tomo 2 parte 2 p. 635 seqq. *Hilduinus*, abbas S. *Dionysii*, ab anno 814 archicapellanus pallatii ab a. 822. idem abbas S. *Germani*, prat. S. *Medardi*, suession. (vt monachos aduersus laicorum insidias patronus defenderet,) fuit inter eos, qui rebellabant aduersus Ludouicum, inde in nouam *Corbeiam* missus; idem tamen fidem datam nec *Carolo* seruauit. Post reconciliationem in ecclesia Dionysii, *Ludouicus*, vt quasi gratias agere videretur, iussit *areopagitica* colligi per hunc *Hilduinum;* nempe *Dionysium* illum areopagitam, Athenis Romam et inde in Galliam venisse creditum, auctore *Hilduino*, haud dubie fraudis huius non ignaro, vt eo maiorem honorem isti abbatiae conciliaret, licet iam antea sic soleret ista historia misceri, postquam *Michael* balbi legati a. 824 in Franciam ista graeca scripta attulerant. (v. *Launoii* iudicium de areopagiticis, vna cum variis opusculis de 2 *Dionysiis* edit. 2. 1660. 8.) *Candidi*, monachi Fuldensis, supereſt vita S. *Eigili*, abbatis, libris 2, in oratione prosa et versa. Bernard *Pez* edidit in anecdotis tomo 1. quasi alius Candidi, (discip. Alcuini) *explicationem* passionis, per 4 Euangel.; et *Epistolam*, an Christus deum videre potuerit oculis corporis? recte negat.

Duo-

Duodana, coniux *Bernardi*, ducis septimaniae, *manuale*, in vium 2 filiorum, capitum 73, non tam ipsa scripsit, quam per *Wislabertum*, aliquem e suis clericis, scribi posslit; sed nondum integrum excusum est. *Ionas*, aurelian. ep. ab a. 821. eius supereſt libris 3 *institutio laicalis*, edita (sed non primum) per *Dacherium*. lib. 1. cap. 20. *Iohannes* baptizauit non ex toto *iudaice*, nec tamen in spiritu — (est ex *Isidoro*, vt pleraque hic tantum collecta sunt e superioribus scriptoribus) — perceptio Spiritus sancti, per manus impositionem a multis negligenter appetitur — citat Actor. 19, et addit, attende, quod *post baptismatis perceptionem*, *illico* per impositionem manuum acceperunt Spir. s. cap. 8 in primordio ecclesiae non baptizabantur, *nisi primum* instructi fuissent — *nunc autem* — et paruuli de christianis parentibus nati nec dum loquentes (ergo olim non sic habuisse occupat) ad baptismatis *gratiam* percipiendam deportantur — c. 10, *poenitentiae* modus in arbitrio sacerdotum est constitutus — vt satisfaciat poenitens *ecclesiae*, quam *peccando laesit* c. 15 si quis scire velit, vbi in N. T. legatur, confitendum esse sacerdoti, audiat Marci 15, Iohanni confitebantur; Actor. 19, 18. 1 Ioh. 1, 9. Iacobi 5, 16. lib. 2, cap. 30. de coniugatis; a coitu praegnantium abstinendum; de inceſtis — c. 18 quidam vix in anno nisi sub 3 festis praeclaris sacrae coenae interſunt. 19, de decimis fidelium; contra morem *laicorum*; qui oblationes statim *distribuere* compellunt sacerdotem, vt id aut totum aut pene totum recipiant — c. 20 queritur, pauperes clericos vix procuratores rerum fieri apud laicos; eos adeo sibi seruire more laicorum compellunt, nec eos mensae conuiuas adhibere dignantur, (vt *Agobardus* etiam querebatur,) c. 21 sacerdotibus ligandi atque soluendi potestatem a deo esse collatam. 23 contra eos, qui nimium canes et venationes amant; aleatores. 25, de vitanda iuratione; quidam putant, quod ille sit periurus, qui falso super *reliquias*, altare, ad euangelia iurat; 29, hospitalitas negligitur. Liber

ber 3. cap. 20. de caritate, humilitate, patientia: ſuperbia &c. acedia, eſt *otioſitas*. c. 15 de cura mortuorum. quidam putant, quod eae tantum eleemoſynae proſint defunctis, quae dantur *ſacerdotibus*, credibile eſt, quod haec perſuaſio ex fonte *auaritiae* proceſſerit — *Ionae* eiusdem opuſculum de *inſtitutione regia*, ad *Pipinum* regem; cap. 17. quod eccleſia corpus Chriſti ſit; in ea *duae principalitates;* ex Gelaſio. 2. de poteſtate ſacerdotali — licet ſacerdotes hoc tempore in multis ſint negligentes, non ſunt tamen vituperandi. c. 3. quid ſit rex. c. 4. fere omnia exſtant in concilio aquisgranenſi a. 836. n. 1-4. c. 11. eſt in concilio paucis mutatis num. 5 &c. multa iisdem verbis hic repetuntur ex libro de *laicali inſtitutione*. Haec capitula, 2 poſtremis exceptis, etiam in concilio *pariſino* a. 829. omnia inueniuntur. *De imaginibus libri tres*, eiusdem *Ionae*, quos dicauit *Carolo* caluo, contra *Claudium*, taurinenſem, qui tamen mortuus fuit ante, quam hi libri exirent. *Ludouici* iuſſu adhuc ad ſcribendum acceſſit *Ionas*. Deſunt tamen hodie ipſa *Claudii* integra excerpta, quae operi praemiſerat *Ionas*. Eodem modo libros diuiſit, vt *Dungalus*, 1. de *imaginibus*. 2. de cultu crucis. 3. de inuocatione ſanctorum, et peregrinationibus religioſis; nec tamen vel mentionem facit *Dungali*; licet *Theodemiri*, abbatis, refutationem non ignorauerit, e qua non nulla ſeruauit, libro 3. Parum vero differt ab *Agobardi* diſciplina; *imagines* ad ornatum eccleſiarum deſtinari vult, ad memoriam virtutum iſtarum; nullum vero cultum iis tribuit. Editi ſunt hi libri inter *orthodoxographa*, et ſaepius. Operae autem eſt pretium pauca nos hic excerpere. 1. *Felix* ille vrgelit. in *diſcipulo Claudio* renatus; qui *etſi non fidei catholicae regulam*, tamen eccleſ. *traditiones* laeſit — *contra eccleſ. auctoritatem* ſcripſit — Itaque ſicut *Carolus* damnauit *Felicem*, ita eius filius *Claudii*, diſcipuli, damnat blasphemias. Haec omnino occaſio videtur non omittenda eſſe; *tres* ſcriptores in Gallia ſcribunt aduerſus Claudium.) Vidit *Claudius*

gre-

gregem suum *superstitiosae* imaginum *adorationi*, qua quam plurimi illarum partium laborant, ex inolita consuetudine deditum: iam immoderato zelo, non solum *picturas* rerum gestarum, quae tantum ad instruendas nescientium mentes in ecclesiis sunt, sed etiam *cruces materiales* dicitur a cunctis basilicis deleuisse, euertisse, et penitus abdicasse; — debebat *ratione* redarguere ignorantiam, vt Paulus Athenis non aras destruxit — dicitur etiam Claudius aduersus *reliquias* et sepulcra SS. quaedam nefanda dogmatizasse (et vsque nunc — Aduersus eum *Theodemimirus* iam scripsit, qui nunc mortuus est; sed *Claudius* varias reprehensiones et vituperationes in nostras ecclesias retorsit — fertur praeterea tam magnum librum euomuisse, vt psalterium 50 psalmorum superarit; de quo *non nisi excerptum* quoddam in manus nostras est perlatum; titulus, *Apologeticum* atque rescriptum Claudii aduersus Theodemirum abbatem. — quod *omnes* (sic haud dubie legendum, non *homines*, de quo ludit *Ionas*, asinos non fuisse;) *colebant*, ego *solus* destruere coepi. — si opera manuum dei non sunt adoranda, ergo multo minus opera hominum adoranda et colenda sunt — (sic plane et *Agobardus* arguebat.) — qui *salutem animae suae*, quae a solo deo est, ab illis sperat, de illis est, Rom. 1, qui seruierunt creaturae potius quam deo. (Resp. *Ionas:* salutem animae *dari* a solo deo, credimus; sed quia meritis nostris eam nanciscí ab eo non meremur, suffragiis spiritualium creaturarum nos compotes fore speramus — aliter si per sanctorum suffragia salus animarum non adquiritur, vt quid eorum intercessio in *missarum* celebrationibus flagitatur apud diuinam maiestatem?) Nempe! cur ad simulacra corpus incuruas? in supernis deum quaere — Haec ex *Cypriani* ad Demetrianum imitatus fuit Claudius; (Ionas respondet: cur *furaris* alterius verba) sed dicunt: *crucem* pictam aut imaginatam ob recordationem saluatoris nostri colimus. (Hic Ionas e canticis latinis *adorari* crucem reponit et colligit narrationes de *cruce.)* Nempe hoc de Christo illi

cre-

credunt, quod et impii, Iudaei et pagani, cur non intelligunt illud Apoſtoli: etſi noueramus *ſecundum carnem* Chriſtum, ſed nunc iam non nouimus. (Rectiſſime hoc *Claudius* opponit; chriſtianos non decebat iſtis hiſtoriis externis ſe totos dare, ſine mentis ad Chriſtum informatione.) Si lignum ſchemate crucis factum volunt adorare, quia Chriſtus in cruce pependit: et alia multa Chriſtus egit per carnem. Nouem menſes in vtero virginis fuit; in praeſepi; in veteribus pannis; in nauibus fuit; ſedet in aſino; adorentur ergo, virgines, praeſepia, panni, aſini &c. Arundines etiam et ſpinae ruborum, lanceae -- Iſta iam libro 2 refutatum iuit *Ionas*, ſed ſic, vt fere pigeat legere. Colligit e pluribus patribus, inde ab *Origene*, quae de *cruce* dixerunt honorifica; ſed in *mentem* volunt eam imprimi, non pingi et corporis inclinatione honorari. E *Conſtantini* hiſtoria, fabulas de cruce repetit omnes; -- *Claudi*, an ignoras, quod non per praeſepe, per pannos &c. ſed *per crucem* pacificata ſunt omnia; (eſt et haec falſa ſententia, iſto ſenſu; nam per crucem non magis, quam per pannos, praeſepe &c. hominibus inſtaurata eſt felicitas, ſed per Chriſtum, in cuius hiſtoria iſta momenta reperiuntur.) O admirandam potius, quam enarrandam virtutem crucis! -- (ſic longo ordine inepta declamatio pergit.) *Claudius: deus iuſſit nos crucem portare, non adorare*; iſti volunt adorare, quia nolunt nec ſpiritualiter nec corporaliter ſecum portare. Veriſſimam ſententiam *Claudius* dixit, quam fortius vix *Proteſtantes* eloqui poſſint. *Taliter deum colere*, ab illo recedere eſt; - Liber 3, pertinet ad ea, quae *Theodemiro* obiecit *Claudius*; inde diſcimus, quod *Claudius* improbauit, Romam itinera ſuſcipi ad impetrandam interceſſionem apoſtolorum; *Ionas* defendit, auctoritate *Gregorii* in *dialogis*; concludit, ſi populum ad *arcam* illam Moſis coire oportuit, multo magis ad locum, qui corpus apoſtoli, caeleſtis quaſi theſauri arcam, complectitur. Rogauerat Theodemirum *Claudius:* ſi ſciebas iſtos poenitentiae Romae melius dare

ope-

operam, cur monachos tuos retines in monasterio, et eos poenitentiae causa recepisti? -- Scimus; quod propter non intellecta verba euangelica (tu es Petrus, -- tibi dabo claues caelorum) imperitum hominum genus, pro acquirenda vita aeterna, postposita omni spirituali intelligentia, velint pergere Romam. *Ionas* ex *Augustino*, (qui imperitiae variae et superstitionis multae grauis patronus fuit) defendit cultum reliquiarum; qui narrat, inuentionem *Geruasii* et *Protasii*; Augustinus etiam aliquid *terrae sanctae* ex Palaestina, (vt rogauit aliquis, qui id in cubiculo suo suspenderat aliquam diu,) alicubi infodi et abscondi iussit, vbi fierent *orationum loca*. (Nempe, hunc tamen *Augustinum* putant adhuc tam multi *gratiae diuinae* esse longe optimum interpretem!) -- Haec iccirco dico, vt nemo de merito vel intercessione sanctorum confidat; quia nisi eandem fidem, iustitiam, veritatem teneat, quam illi tenuerunt, per quam placuerunt deo, saluus esse non poterit -- displicuit Theodemiro, quod dominus apostolicus *indagatus sit Claudio*, (quod *Claudius* reponere ausus est romano episcopo, atque ei censori non statim obsecutus fuit;) non ille dicendus est apostolicus, *qui in cathedra sedet apostoli*, sed, qui apostolicum implet officium; de illis enim, qui eum locum tenent, *et non implent officium* (ergo id papis non esse inusitatum statuit Claudius), dicit dominus, super cathedram Mosis sedent &c. Nisi seruasset *Ionas* vel paucas istas *Claudii* sententias, operae non esset pretium legere hos tam macros libros. Sed haud dubie monstrum alit, quod tantum *paucis excerptis* respondit *Ionas*.

Omittimus minora multa nomina; *Walafridus*, Strabo e schola monasterii *Augiae diuitis*, Fuldam translatus, discipulus fuit *Rabani Mauri*; inde rediit in *Augiense* monasterium docendi causa; eius abbas fuit ab a. 842. Scripsit *glossam ordinariam* quae postea ab aliis aucta fuit et interpolata; saepissime excusa iam seculo 15. *In psalmos* scripsit commentarium; sed *Pezius* vix operae puta-

putauit pretium, in 20 priores excudi. Celebrius eſt opuſculum, *de origine et incremento verum eccleſiaſticarum, miſſae* &c. capita 31. *Imaginibus* longe plus honoris tribuit, quam hoc tempore in Gallia ſolebat ſtatui; inter monachos vix mirum eſt hunc auctorem contraxiſſe non parum malignitatis; ingenio praeterea minus polluit. Vitam S. *Galli*, non tam ipſe auctor ſcripſit, quam vetuſtiorem auctorem emendauit; aliam verſibus latinis. Vitam etiam *Othmari*; ſuperſunt praeterea multa poetica, e. c. in viſionem *Wettini*; carmen, *Hortulus*; *hymni* &c. *Ebbonis*, aep. Rhem. vix aliquid ſupereſt, quod operae pretium ſit recenſere; *ſtatuta* pro eccleſiaſticis ſuis; epiſtola ad *Halitgarium*, camerac. vt *poenitentiale* colligat. *Confeſſio* in comitiis, in *Theodonis* villa; *apologia*, cum a *Lothario* reſtitueretur. *Haymo*, incertae gentis, poſtquam *Fuldae* litteris dederat operam, *Turonenſem* Alcuini ſcholam adiit cum *Rabano*; inde redux ipſe ſcholae cum *Lupo*, ferrarienſi, praefuit, ſiue *Fuldae* ſiue alibi; a. 839 abbas Hirsfeldenſis, inde 841 Halberſtad. epiſcopus, tertius ordine; multa ſcripſit. *Commentarius* in Pſalmos, et ſex cantica V. T. parum vero facit ad ſenſum litteralem. In *canticum* cantic. In *Ieſaiam* libris 3, vt diuiſum fuit *Trithemii* exemplar; qui et commentar. in *Ezechielem* vidit; in 12 prophetas minores; quidam etiam volunt, in *Ieremiam* et *Danielem* exſtare. *Homiliae* in *Euangelia totius anni dominicarum, ſanctorum, feriarumque omnium, tam 4 temporum, quam totius quadrageſimae, pars* hiemalis; aliquoties excuſum eſt hoc corpuſculum; ſed iſtud alterum: Homiliae diui Haymonis — in euangel. dominicalia per totius anni circulum; non eſt noſtri, ſed ſerioris *Haymonis*, monachi Hirſaug. ſub finem ſeculi XI. Minus conſtat, eum in *acta* Apoſtol. ſcripſiſſe; commentar. in Epiſtolas omnes Pauli, non eſt Haymonis, ſed *Remigii* antiſſiodor; quidam etiam in Epiſtolas *canonicas* ei tribuunt commentarium; in *Apocalypſin* eius nomine aliquoties excuſus eſt, ſed non ſatis con-

constat, eum esse huius auctoris. *De varietate* (Trithem. veritate) librorum, seu de *amore* caelestis patriae, libri 3. *Martene* vult auctorem esse seriorem *Haymonem*, seculi XI; *Mabillon* scribit *Emmonem*; alii nostro tamen cum *Trithemio* tribuunt; insunt multa de *purgatorio* eiusque poenis. *Epitome* seu *breuiarium historiae ecclesiasticae* libris 10. *Maderi* editio ceteras superat. *Dacherius* in *spicilegio* edidit *fragmentum* tomo 1 nouae edit. pag. 42; hic etiam annotatum est, quod *Dacheri* non viderat, (nec admonent auctores *historiae* litterariae Franciae), esse fragmentum *commentarii* breuis in Epistolam 1 ad Corinthios, itaque ista inscriptione, (*tractatus de corpore et sanguine domini*) non opus erat. Auctor satis duriter et crasse repetit: substantia, natura, panis et vini, substantialiter conuertuntur in aliam substantiam, per operationem diuinae virtutis, in carnem et sanguinem — commutat inuisibilis sacerdos suas visibiles creaturas in substantiam suae carnis et sanguinis; propter sumentium horrorem, in hoc corpore et sanguine Christi, sapor panis et vini remanet et figura. — Solent et alia alii tribuere *Haymoni*, quae non supersunt. *Aldradus*, senonensis *chorepiscopus*, in parisino concilio a. 849 cum ceteris *chorepiscopis* hac dignitate exutus, *visionibus*, quas prae se tulit, celebris; noluit istas fictiones et phantasias studiosas edere *Sirmondus;* partes aliquas historiae caussa in tomum 2 corporis francici inseruit *du Chesne;* similiter *Albericus trium fontium*, in chronico quaedam retulit. *Angelomus*, moderator scholae palatii per aliquod tempus, in monasterio postea *Luxouiensi*, multa scripsit; commentar. in *Genesin* edidit *Pezius;* in 4 libros regum saepius iam seculo 16 editus fuit; etiam in *canticum* canticorum; in 4 Euangelia nondum repertus est. *Aldrici*, cenoman. ep. pauca supersunt; *capitulare*, pro suis clericis; tria testamenta; adest *consensus* Ludouici et metropolitani. Idem in ecclesia cathedrali per festos dies iussit noctu accendi 190 lampades et 10 cereos. Gesta domni *Aldrici* a discipulis suis scripta, edidit

Baluzius tomo 3 miſcellaneorum p. 1-178 in quibus multa notatu digna; p. 4 presbyter, inde fit *ſenior* cantor; primicerius; Ludouici pii *ſenior ſacerdos* et confeſſor. p. 109, 12 ſigna ex metallo optimo in clocariis locauit, per horas ſingulas rèboantia. — *Chriſtianus Druthmarus*, monachus *corbeienſis*, et poſtea ſtabulenſis; e lectionibus, quas ibi monachorum erudiendorum cauſſa habuit, *commentarii* coierunt; quorum ſupereſt ille in *Matthaeum*, et fragmenta quaedam eius in *Lucam* et *Iohannem*. In *Matth.* narrat de Euangeliorum *graeco codice*, qui *Hilarii* fuiſſe dicebatur; in eo *Iohannes* ſtatim poſt *Matthaeum* ſequebatur; quod primus obſeruauit *Rich. Simon*.

Rab. Maurus, natus *Moguntiae;* eius frater *Tutinus* inter nobiles palatii fuit; ipſe *fuldenſi*, atque inde *turonenſi* in monaſterio ſtudiorum cauſa vixit; poſtea ipſe ſcholae *fuldenſi* praefuit, cum *Samuele*, poſtea epiſc. wormatienſi. Videtur ſub aſpero abbate *Ratgario*, cum aliis *Fuldam* deſeruiſſe; iter certe in *Palaeſtinam* ſuſcepit, (narrat ipſe in commentar. in Ioſuam.) A. 822 abbas in monaſterio *Fuldenſi* factus eſt; a. 847 tandem aepiſc. moguntinus. Multa ſcripſit, quae non omnia exſtant in *editione* 6 volum. fol. Ex *grammatica Priſciani*; de *vniuerſo* libri 22, ad *Haymonem*, halberſtad. quaſi corpus theologiae. De *laudibus ſ. crucis*, libri 2, verſus et proſa; ſunt 28 figurae myſticae, quae crucem conſtituunt; ambitioſa ineſt atque moleſta ſedulitas, nullius vſus. In *Geneſin* commentar. hortatu *Freculfi* lexouienſ. In *Exodum* libri 4. In *Leuiticum*, lib. 7 (*Heſychium* presbyterum hic non ignorauit.) In *Numeros* libri 4. in *Deuteronom.* In *Iudicum* lib. 2, et *Ruth.* In 4 libros regum, ad *Hilduinum* abb. Dionyſ. Hic citat *Hebraeum quendam*, *qui modernis temporibus floruit*, vt *Rich. Simon* notauit, tomo 1. contra *du Pin.* nempe *neophytum* Iudaeum, vt dicit *Nicol. Lyranus*; atque hinc originem *correctoriorum* in latina biblia deducit *Simonius*. Huius Iudaei ſcholia vel *Martianay* non diſtinxit ab *Hieronymi*

emen-

emendationibus. Commentar. in *paralipomena*. In *Iudithae* librum; dedicationem ad reginam *Iudith* edidit *Mabillonius*. In librum *Estherae*; Explicatio in *cantica* V. T. quae in Ecclesiastico officio habentur. In *prouerbia*; in librum *sapientiae*; in *ecclesiasticum*. In *Ieremiam*, libri 20. etiam in *lamentationes*, (olim *Hieronymo* falso tribuebatur.) In *Ezechielem*; iussu Lotharii; in libros 2 Maccabaeorum. In *Matthaeum* libri 8. In omnes *Pauli* epistolas, collectarium, libri 29, adhaeret *Homiliarium*, iussu *Heistulfi*, aep. mogunt. Aliud corpusculum *Homiliarum* collegit iussu *Lotharii;* ex isto priori, pars prima, sed nondum integra, lucem vidit; posterioris vero pars secunda. *Allegoriarum* in bibliis collectio. Ista omnia commentaria parum faciunt ad sensum litteralem; pleraque etiam sunt ex antiquioribus auctoribus; hic ibi vero sua multa addidit, cum in aliquot libros ad manum nihil aut parum haberet. Nuper commentar. in *Iosuam* etiam edidit *Martene* in amplissima collectione, tomo 9, quem *Dacheri* iam habuerat a *Chifletio*, sed, vt videtur, operae pretium fore non putauit; adhaeret *tractatus Rabani*, de diuersis quaestionibus, ex V. et N. T. contra Iudaeos, aliosque infideles; ad defendendam christian. religionem. De *vitiis et virtutibus*, iam Wolfg. *Lazius* ediderat, in collectione de vet. eccles. rit. 1560 Antwerp. 8; cuius scripti nec *Caue* nec *du Pin* mentionem hic faciunt. *Epistolam consolatoriam* ad *Ludouicum* pium, edidit *Baluzius* ad tomum primum. Concordiae sacerdotii et imperii; istam omnem coniurationem aduersus *Ludouicum* grauiter reprehendit. *De chorepiscopis*, ad *Drogonem* ep. metens. eorum causam defensum it. *Epistola* (hoc nomen est in antiquis codicibus, non *poenitentiale*) ad *Heribaldum*, episcop. antisiodor. qui varias quaestiones ad eum miserat; ceteris accuratior est editio *Baluzii*, (ad *Reginon.* prumiensem;) et *Basnagii* ad Canisii lect. antiq. *Harzhemius* contulit *Baluzianum* textum cum msto *colon.* tomo 2 concil. *german.* p. 191 seqq. multa sunt iam in *poenitentiali*

Rabani. c. 5 de his, qui *preces criminales* dictant; *poenitentem* non licet negotiationem exercere, c. 20 fine, qui ſponte innoxium occidunt, quod *theotiſca* lingua *morchidum* dicitur. 25, mulier ſola ſi cum ſe ipſa coitum habeat. 28, qui vxorem non habet, ſed concubinam, non repellatur a communione. c. 30 de muliere, quae ſemen viri in potu bibit; de ea, quae teſtam (teſticulum) hominis combuſſit igni, et viro dedit pro infirmitate vitanda. ex *Theodori* angli capitulis. 33 *de Euchariſtia.* vtrum euchariſtia, poſtquam conſumitur et in feceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat, in naturam priſtinem &c. De iſta quaeſtione iam excerpſimus potiora ex *Natali Alexandro*; contradixit etiam *Rabanus* in epiſtola ad *Eigilum*, ante hanc ſcripta, eorum opinioni, qui *nuper* non rite ſentientes dixerunt, hoc ipſum corpus et ſanguinem, quod de Maria natum, in quo paſſus eſt et reſurrexit, (eſſe in euchariſtia.) Hic liceat recenſere breuem *reſponſionem cuiusdam* de corpore et ſanguine domini, (quam contra Rabanum *Herigerus* excitabat, vt *Natal. Alexander* iam notauit.) Eſt fere huius temporis, atque exſtat apud *Dacherium* tomo 12. ſeu edit. recent. tomo 1. fol. 149. (*Amalarii* eſſe putabat *Baluzius.*) — in *myſterio* corporis et ſanguinis Chriſti, quod virtute caeleſtis benedictionis et verbi diuini, in id, quod non erat, *conſecratur* (non dicit transſubſtantiatur,) nihil falſum. Ioh. 6. niſi manducaueritis &c. — *ſpiritualiter* fit, (quod benedictione diuina conuertuntur,) non niſi *fide* cognoſcitur. Spiritalis alimoniae ſacramentum, quia non niſi *ſpiritu* ſumitur, ſumma eius *ad interiorem hominem* refertur, qui non digerit, quod ſumit. Si autem de *exteriori* dicimus *cibo* et homine, valet *Matth.* 15, 17. vbi *omne* dicitur, nihil excipitur; diſcernenda tamen eſt illa eſca, quae tantae excellentiae effecta eſt, vt corpus domini *dicatur.* — abſit tamen, quod dicamus, corpus Chriſti putrefieri poſſe, aut igne abſumi, ſi forte per negligentiam perit — ergo ſi in *pane iſto* (dicit panem) quod *natura* firmauit (i. e. cuius

ſub-

substantia est talis,) quaecunque corruptio corporalis, extra hominem praeualet, quid in corpore corpus agat aduerti potest, saluo *spiritali* sacramento, quod panis natura non firmauit, sed caelestis benedictio effecit. Nouit enim vis diuinae virtutis, *quid naturae* reseruauerit, quid benedictione effecerit, cuius iuris est. quod condidit, posse efficere, quod voluerit; et id ipsum, quod natura firmauit; in id mutare, quod consecratio infudit, mutatumque ordinem, *sibi soli notissimum* (ergo non transsubstantione) et in corpore et extra corpus conseruare; siue particulariter, *recepta natura* (hoc nominat Rabanus, redire in pristinam naturam, vt iam absit corpus Christi) virtutem (illam sacramenti, carnis Christi,) siue generaliter, *cum virtute* sacramenti, naturam. (idem est, ac *cum pane*, eiusque semper *seruata* natura, simul carnem Christi, virtutem sacramenti, coniungere;) atque ista sententia postea non paucis placuit iam ante *Lutherum.* Hic paucis verbis *duplex hypothesis* describitur; alii non putarunt *seruari* naturam panis, sed eam *mutari*, itaque quidam quaerebant, an *rediret* panis natura post perceptum sacramentum, ablata a pane carnis Christi societate; atque isti fere transsubstantiationem sibi finxerunt; alii *seruarunt* naturam panis et simul praesentiam corporis Christi spiritualem, inuisibilem certe, descripserunt. Haec tam clara sunt, vt obscurari vel longis dogmaticorum roman. commentariis non possint.) *Epistola* Rabani ad *Regimbaldum*, moguntin. qua respondet quaestionibus eius. e. c. quaestio 2. de eo, quem canis furens in pede morsu lacerauit, ob eius remedium quidam ei nescienti dederunt *iecur eiusdem canis* ad manducandum, quasi sanus inde fieri possit. 3. de eo qui cani feminae se miscuit; et de alio, qui cum vaccis saepius fornicatus est. — de vitulis, qui a vaccis istis nascuntur, nescio quid obsit, ne hominum vsibus — aut *paganis vendantur.* Eiusdem epistola canonica ad *Reginbaldum*, chorepiscopum; ad quaestiones varias respondet — recte scribit, non per omnia conueniunt scripta apostoli *ordinationi*,

quae nunc in ecclesia est; Eiusdem liber de *chorepiscopis, dignitate et officio* eorum. Epistola ad *Humbertum*, wurzeburgens. *quota generatione* licitum sit connubium; tractatus de consanguineorum nuptiis, et de *Magorum* praestigiis, falsisque diuinationibus; istos libellos *Harzhemius* omnes recudit. Ex *epistolis Rabani* eminent tres illae, contra *Godeschalcum*, ad *Hincmarum*, *Nothingum*, et comitem *Eberardum*. *Glossarium* latino *theodiscum* in bibliorum omnes libros, exstat in bibliotheca *Vindobonensi;* aliud, sed de quo non satis constat, an sit ex isto collectum, edidit *Pezius* in anecdotis; aliquot *sermones*, inter istos *Augustini*, etiam ad *Rabanum* referuntur; etiam sermo August. 303, quia ex *Cypriani exhortatione* compilatus, (quod tantopere, quasi furtum Ionas *Claudio* exprobrabat.) Scriptiones aliae plures solent *Rabano* tribui a superioribus auctoribus, sed minus adhuc nobis de iis constat. *Supposita* autem sunt: tres libri ad *Heribaldum*, de *quaestionibus canonum poenitentialium;* sunt enim pars *poenitentialis* Halitgarii; cuius etiam sunt isti 2 libri *de vitiis et virtutibus;* de *natiuitate, vita et moribus Antichristi*, non est Rabani; commentarius in Regulam Benedicti, est Smaragdi; tractatus de sacramento Eucharistiae Coloniae 1551 excusus, nomine *Rabani*, est *Radberti; contra Iudaeos*, *Chifletius* Rabano inscripsit, sed est *Amulonis*, aep. lugd. Aliae scriptiones, de *mysteriis Missae*, de *diuinis officiis*, et dictionarium seu index alphab. significationum mysticarum, non sunt diuersae scriptiones; istae 2 enim sunt excerpta ex libris *de institutione clericorum*, et *de disciplina ecclesiastica*, &c. *index* ille allegorias *Rabani* in ordinem alphab. e commentariis, redegit. Obseruandum est et hoc, *Rabanum* nondum vti *decretalibus* istis *falsis*. Pleraque eius opera in ista editione *colon.* 1627. 3 vol. 6 tom. *f.* habentur; ad *poemata* Rabani *Browerus* quasdam notas scripsit. *Flori*, diac. lugd. opusculum, de electione episcoporum, iam descripsimus, cum *Baluzius* post *Massonium* adiecerit *Agoberdi*

di corpusculo; non miramur *Baronio* adeo placuisse, vt in appendicem tomi 12 retulerit. *Martene* in ampliss. collectione tomo 9 edidit *auctius*, quam antea, *Flori* de canone Missae, seu de *expositione missae;* omnia ex patribus latinis, (quibus et *Auiti* nomen addendum,) hausit, pleraque ex Augustino; Eiusdem *Flori*, Magistri, est commentarius e pluribus patribus, graecis latinisque, in *Pauli* epistolas, hic tantum Mstus adhuc exstat; alium commentarium ex solo *Augustino* collegit, sed non parum fuit dubitatum, an *Florus* sit auctor, quia *Beda* eamdem operam impenderat: *Bedae* nomine excusus est; sed *Mabillonius* vtrumque corrrexit; *Bedae* verus commentar. nondum est excusus; et scripti libri, qui *Flori* nomen addunt, hunc eumdem, qui excusus est, commentarium continent. Idem *Martene* in eodem corpore edidit *Flori* scriptiones tres contra *Amalarium*; nempe ex *Agobardo* traxit *Florus* odium in Amalarium; idem *Florus* collegit *decreta* ex codice *Theodosiano* et variis conciliis; fragmentum edidit *Dacheri* tomo 12, seu nouae edit. tom. 1. fol. 597 seq. Incertum est, quantum *Florus* studii ad *Martyrologium* attulerit, ad *Bedae* certe martyrol. multa addidit, quae satis discerni non possunt. Scripsit et contra *Godescalcum* (optime edid. *Mauguin.*) *Amulonі* tribuerat *Sirmondus*; idem *Florus* contra *Ioh. Scotum* seu excerpta 19, scripsit, nomine *ecclesiae lugdunensis* (titulus variat in MSS.) edidit *Mauguinus* accuratius; multa *carmina* etiam supersunt; multa *Drepanii Flori*, quasi antiquioris, nomine olim excusa; noua quaedam edidit *Martene* in *anecdotis* tomo 5. *Prudentius*, ex Hispania in Galliam deductus et ibi educatus, ab a. 847 episc. trecensis; collegit testimonia patrum, de *duplici praedestinatione* capp. 13. fructum mortis Christi refert tantum ad electos — praedestinauit deus, i. e. praeordinauit, non vt peccarent, sed vt propter peccata poenis perpetuis interirent. Edidit *Cellot*, in histor. *Godescalc.* Contra *Ioh. Scoti*, 19 artic. quos *Wenilo*, aep. Sen. excerpserat, hu-

ius iussu, scripsit haud paulo vehementius, quam in primo libello; *Scoti* propositioni praefixit nigrum θητα, testimoniis patrum notam, Χρησιμα, cuius loco in biblioth. patrum crucis signum posuerunt. Libros *hypognosticon*, e quibus testimonia attulerat, quasi Augustini, *Scotus:* vidit iam hic *Prudentius* non esse Augustini. *Scotus Godeschalcanam* haeresin solebat praecipue crepare, *Hincmari* aliorumque auctoritati consisus; hic subtimide rem agit *Prudentius*, qui fortius defendere Godeschalcum poterat, nisi ista nomina metuebat; edid. *Mauguin;* ex alio vero codice exstat in bibliotheca *lugdunensi* maxima. *Hincmarus* hic ab inuidia et odio temperare sibi non potuit; opus ipsum ignorat; *epitomen* tantum eius, seu *recapitulationem* recenset, et sic quidem, vt videri possit *Prudentius* aliarum sententiarum esse patronus. Epistola *Prudentii*, (tractoria,) ad Wenilonem et alios *senonensis* dioec. episcopos a. 853. qui *Aencam* parisi. episc. ordinaturi erant; in qua *quatuor* ista celebria *capita* consignauit, contra 4 capitula *Hincmari*, qui nihil contra hanc epistolam proficere potuit. Sermo in obitum S. *Maurae*, virginis, quem *Camosatus* edidit (in promtuario antiquit. tricassinae dioeceseos) negabatur a *Dallaeo* esse huius auctoris, quia de confessione *omnium* peccatorum, de *vnctione extrema* quaedam videbatur habere testimonia; sed huius generis opiniones sacrae non rarae sunt hoc tempore. Certius est, eum *annales Francicos* scripsisse, e quibus *Hincmarus*, (cui *Carolus*, caluus, exemplar dederat,) descripsit, (tomo 2. ep. 24. p. 291.) narrationem istam, per *Nicolaum*, pontific. rom. confirmatam fuisse doctrinam catholicam de gratia, libero arbitrio, *duplici* praedestin. et sanguinem Christi pro *omnibus fidelibus* fusum fuisse. Haec cum inueniantur in *annalibus Bertinianis*, putarunt quidam, *Prudentium* esse horum auctorem; sed videntur potius isti periisse; hi autem, qui nobis supersunt, deberi cuidam ex partibus *Hincmari*; studium certe partium, cum loquuntur de *Godeschalco*, *Prudentio*, non est obscurum; minoris momenti

menti sunt scriptiones quaedam aliae; *poenitentiale* autem, seu *pontificale* S. *Prudentii*, quod saepius excitat *Martene* de ritibus ecclesiasticis non tam auctorem, quam posteriorem videtur designare.

Seruatus Lupus, (alii Lup. *Seruatum* dicunt,) qui iam diaconi nomine auctus iussu Aep. Senon. *Aldrici*, *Fuldae* adhuc studiis sacris incubuit, sub *Rabano*, atque *Eginhardi*, abbatis Seligenstadensis consuetudine vsus fuit, reuux in Galliam *Iuditthae* fauorem adeptus est; per *Carolum* caluum 842 factus est abbas Ferrarienſis, pulso *Odone*, qui Caroli fauorem perdiderat. Interfuit plerisque conciliis huius temporis, saepe in aula, etiam in militia versabatur, qua de re in Epistolis queritur. Eius supersunt *Epistolae*, 130, quas hodieque legi operae pretium est; tam multa insunt ad theologiam, rem publicam, litterariamque vtilia. Illae, num. 128. 129 pertinent ad causſam istam 4 quaestionum, de duplici praedestin. libero arbitrio, et pretio mortis Christi; prior est ad *Carolum*, caluum; altera ad *Hincmarum* remens. *Epistolas* optime edidit *Baluzius*, cuius notae et copiosae et frugiferae plurium in manibus esse debebant. Copiosius, quam in 2 istis epistolis, de 3 quaestionibus, contra Hincmarum et Rabanum scripsit; *analysin* diligentem dedit *Mauguin* tomo 2, parte 2; adiunxit *Lupus collectaneum* e patribus. *Editiones* opusculorum istorum recensent auctores histor. litterariae Franciae; qui et *Mauguinum* refutarunt, qui 2 auctoribus ista diuisit: *Lupi Seruati*, (moguntinénsis presbyteri) titulo de 3 quaest. B. *Lupi* abbatis apud Ferrar. *collectaneum* et epistola ad Carolum caluum; edidit ista opp. *Sirmondus*; *Baluzius* autem praeterea quaedam alia adiecit, quae *Lupo* huic tribuit; vitam S. *Maximini*, treuir. ep. initio sec. 4. (alii Lupo ab aliis tribuitur, episcopo;) vita S. *Wigberti*, abbatis fritislarienſis &c. *historiam imperatorum* etiam scripserat, vt *Carolo* caluo illustria exempla ad manum essent, vt narrat epistola 93; sed periit. Multos scriptores stilo ingenioque vincit *Lupus*. *Paschasius*

ſius Radbertus, *Adalardi* et *Walae*, fratrum, abbatum corbeiae, fere perpetuus comes, hac dignitate ipſe auctus ab a. 844; a qua poſt 7 annos ſponte abiit; multa ſcripſit; commentar. verboſus in *Matthaeum* libris 12; primas nominis litteras locis adſcripſerat, vt pateret, ex Auguſtino, &c. ſe iſta collegiſſe; immiſcet et polemica, contra *Felicem*, orgelit. *Claudium*, taurin. Ioh. Scotum &c. reprehendit auaritiam clericorum et monachorum; primus edidit *Sirmondus*. Libri 3 in pſalm. 44. eructauit cor meum verbum bonum; inepta loquacitate; libri 5 in *Lamentat.* Ieremiae; (*litteraliter*, veteris Ieruſalem; *myſtice*, et prophetiae, eccleſiae; *moraliter*, *animae* euerſio, quae eſt templum dei;) adeo vetuſta eſt *cocceianorum* quorumdam ſedulitas. Celeberrimum eſt opuſculum, *de corpore et ſanguine* domini, ad *Warinum*, abb. nouae corbei. bis edidit; 831, cum *Wala* in exilio eſſet, quem *Arſenii* et *Ieremiae* nomine deſignat; 844, ad Carolum caluum, et quidem auctius; eo conſilio, vt monachi corbeienſes inſtituerentur ad iſtam nouam myſterii, quod publicae religionis maximam partem complebat, formam. Poſt aliquot *editiones* minus ingenuas et fideles (Hagenoae 1528. Baſil. 1530 cum *Eucherii* quibusdam opuſculis. Rothomagi 1549 cum *Lanfranci* dialogo contra *Berengar.*) ſaepius recuſum fuit hoc ſcriptum (etiam *Rabani Mauri* falſo nomine 1551 colon.) vicit autem alias editiones *Martenii* et *Durandi* ampliſſima collectio tomo 9; *Sabaterii* ſtudio collati fuiſſe dicuntur ſcripti codices XX, qui *titulum* libri varium prae ſe ferunt; varius etiam eſt *capitum* numerus; in plerisque 22, in aliis 49, 62. 99, itaque *Cellotius* putabat adhuc aliud verboſius ſcriptum de *ſacramentis* fuiſſe editum. Ex epiſtola *Paſchaſii* ad *Fredugardum*, quae ſolet in plerisque editionibus libri adiecta eſſe, ſatis patet, non defuiſſe, quibus iſta explicatio, quam *Paſchaſius* primus prodebat tam ſedulam, non placebat; ipſi auctores *hiſtoriae litterariae* Franciae tomo 5. pag. 300 ſcribunt, on voit par cette reponſe de Radbert, que ſon traité

avoit

avoit deja remué quelques esprits, *qui ne pensoient pas, comme lui sur ce mystere;* tamen romani tueri solent, *Radbertum* nihil *noui praeiuisse.* Certum satis est, *Ioh. Scotum* non vnicum fuisse et solum, qui *figuram* corporis Christi faciebat eucharistiam; licet multis illis, τοις πολλοις, tam facile placuerit haec descriptio audacior, quam illa additio, *filioque*, et de partu Mariae narrationes, quas homines melioris mentis nihili solebant facere. Idem *Paschasius* scripsit vitam *Adalardi*, abb. corbei. et acta *Martyrum*, *Rufini* et *Valerii*, seculi 3 finientis. Ista, quae recensuimus, omnia vno in corpore edidit *Sirmondus* paris. 1618. fol. postea et alia lucem viderunt; vita *Walae*, abb. corbei. nomina alia auctor adhibuit, e c. Arsenius, Antonius, Iustinianus, Gratianus, Iustinus, Melania &c. loco *Walae*, *Adalardi*, *Ludouici* pii, *Ludouici* german. *Pipini*, *Iudithae*. Edidit *Mabillon* tomo 5 actor. SS. Benedictinor. hoc opusculum inusitatae indolis, ad historiam parum salubris. Tractatum *de spe*, *fide ac caritate*, edid. *Pezius* tomo 1. *anecdot.* qui per *Eccardum* habuit, ex Leibnitii scriniis; accuratior tamen hic ibi est editio, quam *corbeiensium* studiis procurauit *Martene*, in *amplissima collectione*, tomo 9. In *Spicilegio* Dacherii exstat opusculum de *partu virginis*; etiam hie *Radbertus* nouorum decretorum auctor est, vt mirum non sit, subfanaticum hominem *mysteria* noua de sacra coena reperisse; negat Christum ea via, qua homines solent, natum e Maria fuisse; ea iam in vtero matris sanctificata fuit, ideo recte eius *natiuitatis* festum colitur — ideo *pium est credere*, quod non sicut ceteri homines natus est Christus. Reposuit *Ratramnus;* respondit *Radbertus*, sed vix initium tomi secundi supereſt. *Ildefonsi* nomine falso et minus ingenue ediderat ante *Dacherium* Franc. *Feuardentius*, et bibliotheca patrum maxima Lugd. *Trithemius* narrat ex graeco etiam transtulisse quaedam *Radbertum*. *Radulfus*, bituric. aepiscopus collegit 45 *capitula*, (*Theodulfum* aurel. fere secutus) in vsum presbyterorum suorum;

ſuorum; edid. *Baluzius* tomo 6 miſcell. *Ratrammus*, monachus corbei. (minus recte *Bertram* dici ſolebat,) eruditione non minus, quam vitae integritate multos anteceſſit; a *Carolo* caluo, qui hominis eruditionem aeſtimabat, explicare iuſſus fuit, quid de *praedeſtinatione* et *euchariſtia* credere ſas ſit (tamen negant, *Radbertum* de euchariſtia nouis decretis alios offendiſſe;) in eum e recentioribus *Cellotus*, in hiſtor. *Godeſchalci* parum aequus fuit arbiter, quod vel auctores *hiſtor. litterariae* Franciae fatentur. Eius praecipui fautores vel amici iſto tempore fuerunt, epiſc. *bellovac. Odo*, Meldenſis, *Hildegarius*; *Lupus*, ille eruditus abbas, *Godeſchalcus* &c. Scripſit iuſſu *Caroli*, calui, de *corpore et ſanguine* domini; nempe, vt pateret, *Radbertum* iſtum noua decreta cudiſſe. *Myſterium* affirmat, ſine iſta transſubſtantiatione; ideo negat, eſſe *idem* corpus, quod de Maria natum, paſſum &c. Sed tam non placuit eruditi ſcriptoris moderatio lectoribus iſtis, qui miris miraculis Mariae et euchariſtiae adſueti erant, vt per tot ſecula vix *Sigebertus*, gemblac. *anonymus* ille *Mellicenſis*, et *Trithemius* huius libri faciant mentionem; quae res vel ſola oſtendit, lectores non ignoraſſe, hunc ſcriptorem abeſſe a ſententia *Paſchaſii Radberti*. Itaque et cenſores *tridentini*, et alii *romani*, *Sixtus*, Senenſis, *Eſpencaeus*, *Sanctius*, *Genebrardus*, card. *Perronius* putabant haereticum aliquem ſcriptorem eſſe, diſtinctum ab homine, quem *Sigeb.* et *Trithemius* nominarant; *Petrus de Marca* vel Iohanni *Scoto* tribuebat, alii vel *Berengario*; (tamen iam recentiores volunt inuenire in eo ipſam transſubſtantiationem?) *Iohannes* roſſenſis 1526 contra *Oecolampadium* hoc libro vſus fuerat; inde tandem *Louanienſes*, ſeu theologi *duacenſes* remedium inuenire auſi ſunt. Nos iam operae non putamus pretium, huius libri hiſtoriam omnem hic recenſere, quem *Proteſtantes* angli, galli, et germani ſolebant transſubſtantiationi opponere; *Oudini* iſta diſſertatio tomo 2. *Fabricius* in biblioth. latina tomo 2 et auctores hiſtoriae litterariae facile iſta ſugge-

runt,

runt, quibus amatoribus satisfiat. Translatus fuit hic liber *gallice*, aliquoties, *anglice*, &c. *De praedestinatione*, similiter iussu regis *Caroli*, calui, scripsit, libris 2. edid. *Mauguin*. *De partu virginis* capp. 10 edid. *Dacheri* in Spicilegio; Christum eodem modo, vt omnes infantes natum fuisse; ibidem exstant tomo 1. libri 4 *contra opposita* (*Michael* et *Basilii*, impp.) *Graecorum*, romanam ecclesiam infamantium; iussu omnino quorundam episcoporum. Dicunt, quod *chrisma* conficiamus ex aqua; quod *agnum* die paschae super altare vna cum dominico corpore ponamus sacrandum; nonne mentiuntur? quod in sabbato ieiunamus, vel quod paschale ieiunium non eadem cum illis regula celebremus; sacerdotes nostri, quia more maiorum a matrimonio abstinent, infamantur nuptias damnare. — de dogmatibus et ritibus, non imperatorum erat, sed episcoporum disputare — c. 3 *de Spiritu s.*, *filioque*. — verba quae loquor, *spiritus*, Ioh. 6, 64. sed verba procedunt mentis ab intimo; Spiritus, *qui procedit de corde* Christi. — Luc. 8, 45 virtus a me *exiit*, i. spiritum, qui est collator sanitatum, noui a me *procedere*; vt, *exii* a patre. i. natus sum; libro 1. ex SS. libro 2 ex patribus, a filio procedere Spiritum s. ex Symbolo *Athanasii*; a tempore Constantini ergo ecclesia sic docuit; — ex *Gregor. nazianz. Ambrosio; Didymo* alex. *Paschasio*, diac. romano; Liber 3. *Augustinus*; *Gregor.* M. ex *Augustino* plura. *Gennadius*, (quem *constantinopolitanum* dicit) in libro *ecclesiastic. dogmat.* (graecum *Gennadii* qui 458-471 inter *Anatolium* et *Acacium* sederit. interiisse, hic in margine notatur.) *Athanasius* de propriis personis, et de vnito nomine diuinitatis; in disputatione aduersus Arium. Lib. 4 de diuersis ecclesiae consuetudinibus; hic recte admonet, variare consuetudines salua fidei doctrina; *Eusebii* narrationem histor. eccles. lib. 2, 16 de *credentibus* alexandriae explicat; c. 4 de diuersitate in celebranda *quadragesima*. c. 6 de *caelibatu* clericorum. In *historia critica reipublicae litterariae* tomo 6 excusa est *Epistola Ra-*

Ratramni ad *Rembertum*, (quem putant esse eum, qui postea *Anschario* successit 865 in Aep. Hamburgobremensi.) de *Cynocephalis*; ex msto bibliothecae *paullinae* lipsi. Eandem *epistolam Oudinus* inseruit commentar. tomo 2. Videtur *Rembertus* in Apostolatu septentrionali forte inaudiisse de *Lapponibus* aut agrestibus aliis hominibus. Ceterum perierunt quaedam epistolae, et illud volumen non modicae quantitatis, (vt *Hincmarus* describit) ad defendendam phrasin, *trina* deitas. *Godeschalcus*, Fulgentius dictus, ob amorem in *Fulgentium* episc. afric. *Comitis* filius, *oblatus* puer a suis monasterio *Fuldensi;* iam acceptis aliquot ordinibus publice questus de ista iniuria, in *moguntino* concilio solutus ab ista obligatione, per *Rabanum* tunc abbatem *Fuldensem* vel inuitus retentus fuit, vt antea notabamus. Scripsit *Rabanus* hac in causa, de *oblatis*, seu oblatione puerorum. Facile iam intelligimus ex istis initiis, animorum eam, quae postea patuit, auersionem. In *orbacensi* inde monasterio dioec. *fuession.* diligentissime studiis dedit operam. Ex *romano* itinere redux incidit in istam calamitatem per colloquium cum *veronensi* ep. *Notbingo* &c. E scriptis nobis supereſt, *confessio* duplex, breuior et longior, quas in carcere scripsit; tam certus fuit de caussa sua, vt vel ausus fuerit *examen* quadruplex poscere, olei feruentis et aquae et picis, et validi ignis; post *Vsserium*, qui primus edidit, etiam *Mauguin* habet. Aliud scriptum, oblatum *moguntino* concil. 848, comburere coactus fuit. Epistola ad *Ratramnum*, metrica, supereſt, sed non integra, de visione dei post hanc vitam; plures perierunt; pro *trina deitate* epistolam seruauit, qui eam refutatum ibat, *Hincmarus*; (vid. *vindiciae veterum codicum* confirmatae, per *Coustant*, parte 4.) *Otfrid*, monachus weissenburg. in Alsatia, *Fuldae* sub Rabano aliquamdiu litteris operam dedit; ei primo debetur honor ille, excultae linguae *francicae* seu *theotiscae;* versibus enim reddidit 4 Euangelia libris 5, forte et symbolum Apostol. et *Athanasii* germanice translatum, ad ipsum refe-

ren-

rendum est. Istud opus est quasi *Harmonia*; adhaeret descriptio iudicii extremi; dedicationes 4 praefixae; ad *Ludouicum*, germanicum, seu vt e primis et postremis litteris coit, Ludouico orientalium regi &c. ad Aep. mogunt. *Liutbertum*, *Salomonem*, constant. ep. *Hartmut* et *Werenbert*, monachos S. *Galli*; optime exstat in *Schilteri* thesauro antiquitatum teutonicarum; *Lambecius* ei etiam paraphrasin in psalmos tribuit, sed eam alii *Notkero Labeoni* vindicant; plura *Otfridum teutonice* scribere conatum et *Trithemius* testatur, et facile creditur; vel grammaticam *theotiscam*, cui *Carolum* M. volunt iam studuisse, dicit *Trithemius* ab eo suppletam et auctam fuisse. Verbo admonemus, neminem tum vetuisse, sacros libros in linguam vulgatiorem transferri.

Omittimus scriptorum nomina multa numero, sed fere nullius hodie momenti, etiam *Wandelberti*, monach. *prum.* qui praeter recensionem aliam vitae S. *Goari*, *martyrologium* versibus latinis scripsit. *Odo*, ex abbate Fossatensi, *glanfolienſis*, recensuit vitam S. *Mauri*, per *Faustum* scriptam; sed paruam gratiam iniit ab amatoribus ingenuae historiae, vt fere solent omnes isti scriptores, qui scribendi dubia arte rudiorem vetustatem superaturos se credebant. Melioris loci est *Aeneas*, paris. episcopus, ab a. 853 postquam in palatio *Caroli* Calui officio notarii functus fuerat; scripsit et ipse, vt poscebat *Nicolai* 1 epistola a. 867, cum aliis latinis contra *Graecos;* atque eius opusculum, praeter illud *Ratramni*, solum nobis ex istis auxiliis *Francicis* supereſt. Exstat in *Spicilegio Dacherii*, et quidem accuratius in editione posteriori, addito *capitulorum* indice; sunt numero 210. Praefationi praefixit titulum: *Aeneas*, paris. *vrbis* ep. cui primus praesedit S. *Dionysius*, a Paulo consecratus athenienſium archiepiscopus. — e Graecia, non e latinis, tam multa peruersa dogmata pullularunt — *Romae* numquam praesedit Haeresiarcha; *Liberius* non fuit arianus; (nihil de *Vigilio*, *Honorio.)* — Ex *Athanasio* de vnitate S. trinitatis; et, de

vni-

vnitate trinitatis, seu dei; in eodem libro, 1 Ioh. 5, 7 — dicunt in caelo, pater, verbum et Spiritus, et *in Christo Iesu vnum sunt.* — multa alia ex falsis istis *Athanasii*, etiam ex symbolo, *quicunque.* *Ambrosius*, de Spiritu s. *Cyrillus*, in ep. ad *Nestorium*; idem in *dialogo* cum *Theodoreto*, in tripertita historia (sic) *Cyrriano* ep. habita. *Hilarius*, pictau. *Hieronymus*, in libro *Didymi*; *Augustinus* in *Homilia* in Iohannem, (sed non inuenire potuit *Dacheri* hanc Homiliam; e qua eadem *Theodulfus*, aurel. de Spiritu s. recitauit;) idem de *ciuitate* dei; de *trinitate;* in disputat. contra *Pascentium;* ex libro de *incarnatione:* (ista nullibi inueniuntur;) *Hormisdas* papa; *Leo*, papa; *Gregorius* M. *Fulgentius* libro 3 contra *Fabianum*; (nihil nobis supereſt ex talibus libris; citauit etiam *Theodulfus*, aurel.) *Isidorus*; *Prosper; Vigilius; Proclus*, constpolit. *Agnellus* ad *Menium* epistola; *Cassiodorus; Alcuinus* lib. 1. de fide trinitatis, cet. *Prudentius*, Ista ad cap. XCIV. de *Spiritu* s. agunt; atque debebant eruditi editores (Theodulfi in operibus Sirmondi et Aeneae,) annotasse, quod operae profecto pretium fuerat, ista omnia, quae in *Aeneae* hic ibi pluribus periodis ex falsis athanasianis constant, breuius excerpta iam haberi in *Theodulfi* libro de Spiritu s. Similiter *Cyrilli* loca, non opus erat bis describi; *Hilarii*; Ex *Ambrosio* multo pauciora habet *Aeneas*, quam *Theodulfus*; cetera loca similiter iam in *Theodulfo* exstant; vt parum *Aeneae* debeatur, qui e *Theodulfo* collegit. A cap. XCV testimonia patrum, contra clericorum matrimonia; *Siricii*, *Innocentii*, *Leonis*; canon. 7 app. &c. e variis conciliis — e vita *Basilii* caesar. aep. ex translatione de graeco in latinum per *Euphemium.* (idem forte, quem *Druthmarus* nominat;) Loca de ieiunio Latinorum in Sabbatis; quare *latini* non cessant octo *Hebdomadibus* ab esu carnium, et septem a caseo et ouis; Presbyter vngit non in fronte, sed in vertice, seu cerebro; quare clerici barbas radunt; c. 187 quod romanus pontifex primus omnium habeatur, docuit *Siluester* in praefatione concilii

cilii nicaeni. — *Gregorii* ep. 64 libri 7, ad *Iohan.* syracusan. (haec praecipue ad femina *eminentiae* supra *constantinopolitanam* ecclesiam pertinet; — quis dubitet Cpolitanam esse sedi apostolicae *subiectam?*) Ex his facile nos perspicimus, satis infirmas responsiones Latinos reposuisse *Graecis*; Aeneas *Photium* scribit ex *vxoris* amplexibus ad sedem patriarch. translatum, prouocat etiam ad *Constantini donationem*, latinorum forte, qui publice vsi sunt ista fabula, primus. *Herardi*, turon. aep. collectio statutorum seu capitulorum 140, e capitularibus francicis; edid. optime *Baluzius*. *Iso*, magister scholarum in S. *Galli*, et postea in monaster. *Grandiuallensi*, ei tribuitur *Glossarium* illud, seu Lexicon, quod *Salomonis* (postea episc. Constantiensis) nomen prae se ferre solet; is fuit ex *Isonis* discipulis; *scholia* in *Prudentium* simili fato vtuntur; *formulas* quasdam edid. *Goldastus* et *Baluzius*, *Grimaldus*, ex monacho *Augiae* diuitis, archicapellanus *Ludouici* german. atque regis iussu ab a. 841 abbas S. Galli, *sacramentarium* Gregorii M. aduersus aliorum additiones defendit, per obelos; exstat in *Pamelii* Liturgico ecclesiae latinae. *Ioh. Scotus*, Erigena, in aula *Caroli* calui versatus fuit, cuius iussu *Dionysii* areopagitae libros latine transtulit; eum *Hincmarus* et *Pardulus*, episcopi, causae suae, (de praedestinatione,) defensorem elegerunt. Hunc *Iohannem* iam olim multi non distinxerunt ab alio *Iohanne*, Saxone, quem rex *Elfred* in Angliam vocauit, 884, qui misera morte periit. Scripsit iste de *praedestinatione* diuina c. 19, aduersus duplicem praedestinationem; hac in re ausus est contradicere Augustini sectatoribus; *abusiue* dicit alios nonnumquam locutos fuisse, et recte id dicit; licet aduersarii non defuerint. *De diuisione naturae*, libri 5, Oxonii 1681 fol. per *Thom. Gale;* est dialogus; de natura *creante*, non creata; de creata, quae creat; de creata, quae non creat, de ea, quae nec creat, nec creata est; &c. redituraе sunt naturae creatae in increatam, post finem mundi. Sub Honorio 3 combustum fuisse hoc opusculum,

scribit *Albericus* trium fontium, in chronico ad annum 1225. De *visione dei*, nondum lucem vidit; scripsit idem aduersus *Radberti* nouam de *eucharistia* doctrinam, qui liber periit; *Adreualdus*, floriacensis monachus eum refutatum iuit; in concilio *romano* a. 1059 igni traditus fuit a *Berengario*, iussu concilii. Nempe transsubstantiationem homo a philosophiae exercitio minime alienus concoquere non potuit; *memoriam* tantum veri corporis et sanguinis Christi in s. coena instaurari statuit. *Ratramni* nomine, seu Bertramni, istum Scoti librum supersesse putauit de *Marca*, in epistola ad Dacherium 1657, quam hic in *spicilegio* edidit; eo magis de sensu, quem inuenerit de *Marca* in libro *Ratramni*, iudicare licet. Praeter translationem *Dionysii*, etiam *Maximi* scholia in *Gregor.* nazianz. (saltim partem aliquam) latine transtulit; illa pars adhaeret operi de *diuisione naturae* seu *de rerum naturis*, nec desunt alia documenta eximii studii, quod in graecam linguam impendit. *Vsuardi*, monachi S. Germani pratensis, *martyrologium* fere sub omnem occidentem solem nactum est auctoritatem praecipuam; saepissime editum fuit iam inde a seculo 15, et varia interpolatione non caruit; accuratissima est editio *Sollerii* 1714 fol. Antwerp. quae etiam tomo 6 et 7 *Iunii* Act. SS. antwerp. adiuncta fuit; *Bouillartus*, ex Benedictinis S. Germani, aliam curauit 1718. 4. paris. quae non raro *Sollerianam* tangit. *Remigius*, aep. Lugdun. 452 post Amolonem; itaque *de tribus istis epistolis Hincmari*, *Parduli*, at *Rabani*, quae missae fuerant ad Amolonem, edidit (nomine eccles. *lugdun.*) tractatum paulo post; sunt capita 47; ista scriptio est haud dubie ingenio *Remigii* et argumento dignissima, adeo frugiferae et sanae indolis, vt istas omnes in ea controuersia *Godeschalcana*, vincat; solet iungi editioni alius tractatus de damnatione generali omnium hominum per Adamum, et speciali per Christum ex eadem eruptione electorum; non plane sequitur Augustini disciplinam; eiusdem libellus *de tenenda immobiliter SS. veritate et SS. orthodoxorum patrum*

trum auctoritate, capp. 15. Solebat etiam olim *Remigii* partim nostri (*Maldonat*;) partim *rhemensis* (editio *Villalpandi* romae 1598) nomine insigniri *commentarius* in epp. Pauli, qui est *Haymonis*, aut monachus *altissiodorensis* intelligitur, non ep. rhemensis. *Canones* 6 priores concilii *valent. lingon.* et ad *Saponarias*, sunt partes doctrinae Remigii. *Ado*, viennensis aep. ab a. 860. E monasterio *prumiensi*, monachorum inuidiam vt effugeret, *Romam* abiit, vbi fere 5 annis haesit; hoc in itinere haud dubie in amicitiam *Claudii* taurin. et *Anastasii* bibliothec. venit. Cum a papa pallium acciperet, monitus simul fuit, cur in professione fidei 4 tantum concilia nominauerit, *omisso quinto et sexto; Nicolai* 1 supersunt ad eum multae epistolae. Ex eius scriptis supereſt *martyrologium* (quo *Vsuardus* etiam vsus fuit, *Flori* nomine,) eius varia MSta exempla id facile produnt, eum diuerso tempore hoc opusculum et saepius recensuisse. Id quidam ad *Vdonem*, aep. treuirens. voluerunt transferre; *Rosweydi* editio aliis accuratior. *Breuiarium* chronicorum de sex mundi aetatibus (vt iam *Beda*,) ad a. 874. (non vero ad a. 1353.) Idem scripsit *Martyrium Desiderii*, ep. vienn. et vitam *Theuderii*, abbatis viennensis. Ex epistola *Adriani* 2 apparet, *Adonem* misisse aliud opusculum ad *Nicolaum* 1; haud dubie, de caussa ista cum Graecis; *Epistolas* idem multas scripsit, vt vel apparet ex responsionibus paparum *Nicolai* et *Adriani*. *Hildegarius*, ep. *metensis*. Ei tribuitur vita S. *Faronis*, in qua rhythmi rustici insunt. *Wulfadus*, ex oeconomo eccles. rhemensis, episcopus *bituricensis;* cuius causa, quae cum *Ebbone* cohaerebat, tot turbas excitauit in Gallia; scripsit *Epistolam pastoralem* ad parochos et parochianos suae dioeceseos; edid. *Mabillon.* in analectis. *Caroli* calui, qui litterarum studiis eximie fauit, et doctos viros multos in palatio habuit, *capitularia* et alias scriptiones, quae eius nomine solent prodi, diligentissime collegerunt auctores, *histor. litterariae* Franciae, tomo 5. pag. 991 seqq. etiam recensuerunt con-

cilia Galliae a fine seculi, pag. 508 seq. superstant hic satis clara documenta *iuris sacri*, quod fuit penes *Carolum*; qui e. c. *Wulfadum* restituit in sedem bituricensem, sine *Nicolai* consensu; praecipue duae epp. ad *Adrianum*, (in supplemento concil. *Sirmondi*, per de la *Lande*, primum in lucem prodiit;) quibus papae arrogantiam eximie reprimit; altera est etiam in *Hincmari* rhem. operibus, qui haud dubie vtriusque auctor est. Contra *appellationes*, longa ep. ad Iohan. 8 Idem *Carolus* iussit plures codices bibliorum latinorum describi; *Euangelia*; ex libro precum, quem conscribi iussit suos in vsus (excusus fuit Ingolstadii 1583. 1585.) epitomen *Litaniarum* dedit *Baluzius*, in appendice ad capitularia; in quibus multitudinem Sanctorum, qui inuocantur, non mirari non possumus.

Hincmarus, aep. *Rhemens.* ab a. 845, postquam annis 10 vacauerat sedes, deiecto *Ebbone;* hic postquam praecipitem illam *Rabani* caussam aduersus *Godeschalcum* semel complexus temere fuerat, parum adiutus fuit corrogatis *Parduli*, laudun. *Amalarii*, diac. et *Ioh. Scoti*, erigenae studiis; nec *Amolo*, aep. lugdun. fecit, quod expectabat, cuius successor *Remigius*, tandem aliis fortius refutauit *Hincmarum;* hic itaque sine honore istis tam multis turbis moleste sedulam dedit operam. Nec magis placuit eruditis illa contentio, ne *trina* diceretur deitas; nec ista cauſſa *Wulfadi*, aliorumque clericorum, quos loco mouerat, vtpote ab *Ebbone* ordinatos, ex *Hincmari* sententia et consiliis successit; *Carolus*, caluus, *Nicolaus*, papa, et plerique clerici istas artes et versutias, quibus vsus fuit, parum probabant. Similiter istud dissidium, inter ipsum et *Rothadum*, suess. existimationem Hincmari non magnopere adiuuat; nec benignitate abusus est erga nepotem, Hincmarum *Laudun.* ep. Ob *Normannorum* inuasionem a. 882 *Remis* excessit, et in villa Sparnaco mortuus fuit. Multa superstant, etsi non habemus omnia, eius scripta; pleraque *Sirmondus* magno in corpore collegit, 1645 paris. 2 fol. *Posterior* (nam quaedam aliae perierunt;)

runt;) de praedestinatione dei et libero arbitrio dissertatio, contra Godeschalcum; *Collectio* ex SS. et orthodoxorum dictis, de *vna*, non *trina* deitate, contra Godeschalc. De diuortio *Lotharii* regis et reginae *Theutbergae*, (pro regina,) capitula 17 pro presbyteris suis; capitula 27, quibus de rebus magistri et decani per ecclesias inquirere et episcopo renunciare debeant; his a. 857, anno 12 episcopatus sui, tria alia addidit; capitula 5, in synodo remensi, a. 874. hoc eodem anno, (alii volunt post annos 3) addidit capitula 13, archidiaconibus et presbyteris. *Forma* coronationis *Caroli*, calui, regis; item reginae, *Hermentrudis; Ludouici*, balbi (filii); et *Iudithae*, filiae istorum, cum *Ethelwulfo*, *regi* Anglorum desponsaretur; sunt sermones, orationes, benedictiones — Finis tomi primi est explanatio in *ferculum Salomonis*, quod versibus descripserat, sed hi perierunt; est mysticum chaos de ecclesia; immiscuit de libero arbitrio &c. Tomi 2 sunt ista: ad *Carolum*, caluum, scriptiones sex, quae epistolarum nomine excusae sunt; de regis persona et regio ministerio; de vitiis et virtutibus; de natura animae, (ex Augustino; *Flodoardus* non recenset inter Hincmari scripta;) Ad *Ludouicum*, Germanic. prima epistola longa, nomine episcoporum huius dioeces. alibi excusa; hinc *capitulare* 27 Caroli calui desumtum est; inest c. 7 fabula de damnatione *Caroli Martelli;* (huius auctor ipse *Hincmarus* videri potest;) Ad Clericos palatii, (qui sunt in regis societate;) vt hominum suorum rapinas reprimant; ad presbyteros, suae parochiae, vt excommunicationem aduersus praedatores denuntient; ad episcopos et proceres suae prouinciae, articulis 42. Ad *Ludouicum*, balbum, noui regis institutio ad rectam administrationem. Ad *Carolum*, crassum, imperatorem, vt reges *Ludouicum* et *Carolomannum* bene institui curet. Ad *Ludouicum* 3, filium balbi, vt libera maneat electio episcopi bellouacensis (apud *Baluzium* tom. 7 miscell.) Ad proceres regni, de institutione *Carolomanni;* (sic rogarant proceres *Franciae* occidentalis; pleraque

raque sunt ex *Adalardi*, corbei. abbatis, de ordine palatii.) Ad episcopos regni, admonitio pro Carolomanno rege; (edidit etiam *Goldastus*, de potestate regia et pontificia.) Ad regem, communi episcoporum (Galliae et Germaniae.) nomine. Ad *Nicolaum* 1; qua respondet epistolae papae anni 863; (Flodoardus hanc etiam inseruit historiae) de coercendo *raptu* viduarum, puellarum, sanctimonialium. Ad Episcopos synodi suession. de caussa *Wulfardi* epistolae 4. Ad *Egibonem* aep. Senonensem, eius synodi legatum ad papam, epistolae 3; insunt plura memorabilia; pag. 292 de Godeschalco: noxius erit multis, si e custodia dimittatur; aut *daemoniacus* est, aut *maniacus*, et scitis, quod *mania* non solet esse *absque daemone*. Describit, quam sit pestifera Godeschalci haeresis — potius, Christus, vt repararet omnium vitam, recepit omnium caussam, inde in omnes manante iustitia, vbi est omnis humana suscepta natura, non culpa — excitat 1 Ioh. 5, 5. sq. — sed in aqua et sanguine, et spiritus est, qui iustificatur, quoniam Christus est veritas, quia tres sunt qui testimonium dant, (sine in *terra*) spiritus, aqua et sanguis, et tres vnum sunt; spiritus vtique sanctific. sanguis redemtionis, aqua baptismatis, quae tria vnum sunt. p. 314 ad monachos altouillar. vt *Godeschalco*, si ante mortem resipuerit, spiritual. et corporal. humanitatem exhibeant. p. 316 ad Carol. calv. quod in iudiciis (laicorum) publicis discuti epp. causae non debeant; est longa scriptio. — ipsi de sacerdotum capitibus iudicant, quorum iudicium vel liberi, et sani capitis *laici* in iudicio publico legaliter non reciperent, si reiicere vellent; citat ex codice *Theodos.* L. 8 de episcopis &c. L. 16. L. 26. 29. 31. omnia corradit, ad clericorum fere priuilegium; — si ab homine militari episcopus beneficium abstulerit, non abhorret a ratione, si, non accuset episcopum ad publicos iudices, *quod non licet*, sed ad vos (regem) se reclamat de beneficio militiae quasi de roga, quae antea sicut hodieque fit alibi, dabatur militibus de publico — ecclesia, causa suae defensionis ac reipublicae vectigalia, quae

quae nobiscum *annua dona* vocantur, praestat, seruans illud Rom. 13, 7, cui vectigal &c. Sequuntur epistolae in caussa *Hincmari*, laudun. Hic adiunxit multa testimonia, e falsis decretalibus; pag. 347 seqq. ex epistola *Victoris*, ad Theophil. alex. *Callisti*, ad omnes Galliarum vrbium epp. *Lucii*, de metropolit. *Iulii*; ex capitulis *Felicis*, ex nicaena synodo sumtis; — *Hincmari* ad episcopos prouinc. lugdun. de *Carolomanno* eiusque complicibus excommunicandis. p. 355 *Hincmari* laudun. altera collectio ex epistolis romanorum pontificum missa per *Venilonem* aep. ad Gundulfi villam. Ex decretis *Alexandri*, qui fuit 5 post Petrum. *Sixti*, qui fuit sextus; *Hygini*, qui fuit 10. *Aniceti*, *Victoris* &c. ex graecis et latinis canonibus atque decretis, praesulum et principum romanorum, a papa *Adriano*, *Ingilramno*, mediom. episc. prolatis. — sine ordine, vt ipse in fine fatetur. pag. 377 opusculum 55 capitulorum, aduersus *Hincmar.* laudun. — gloriatur, quod 2 mea iudicia a sede apostolica sunt cassata; cap. X de compilatione ex Epistolis apostolicae sedis; de verbo *promulgo*, i. promo vulgo, primus vulgo — quaerenda nobis est priscorum auctoritas, quibus valeamus tutius expediri *a circumposita* omnibus metropolitanis a te *muscipula*. — audis, quod contra istos canones (nicaenos &c. conciliorum) nec etiam apostolica sedes sibi licere aliquid temere cupit — scimus, vniuscuiusque synodi vniuersalis constitutum nullam *magis sedem exequi praeceteris oportere*, quam primam — de ordinibus, paternitatibus et incolatibus in caelo, ecclesia et republica; — Clemens in epistola ad *Iacobum* prima — c. 17 de rebellione minorum sacerdotum erga potentiores, et de *constantinopolitana* sede reluctante aduersus apostolicam, ex *Gregorio* M. pleraque, nihil autem occurrit, de recentiori Graecorum controuersia. c. 21 quod in concilio nicaeno tantum XX canones constituti. 22 de 4 capitulis a b. Gregorio in ep. ad *Theoctistam*, patriciam, memoratis; ista haeretica apud Graecos quidam repererunt; — sententia *synodi*

ſextae — Macedonius, cpolit. ep. ab *Anaſtaſio* imperatore legitur expulſus, quoniam Euangelia falſaſſet, et maxime illud apoſtoli dictum, 1 Tim. 3, 16 *quod apparuit* in carne, peruertiſſet, vt legeretur, vt eſſet, *Deus* apparuit per carnem; 23 — et inuenies, hoc concilii *chalcedon. nonum* capitulum, in cuius fine eſt: petat primatem dioeceſeos aut ſedem *Cpolitan.* et quod de diuiſione dioeceſis inter Antiochenum et Hieroſolymit. conuenit, ab apoſtolica *ſede non fuiſſe recepta.* Sed nec illud capitulum Cpolitani concilii, in quo Synodus ipſa conſtituit, praeferendam Cpolin ſecundae et tertiae ſedi, et *poſt romanam habere* primatum, quod et per *pragmaticam* formam imperialis poteſtatis obtinuit. c. 24 de eodem canone chalced. et canonibus apoſtolorum, deque ſententiis *Angilramno* datis, et de epiſtolis ab *Iſidoro* — canones apoſtolorum *traditione* fuerunt ſparſi et varie collecti; ex iis quaedam recipiuntur, quaedam non — *Ingilramni* capitula diſcrepant ab eccleſiaſticis iudiciis — ſicut et de libro collectarum epiſtolarum ab Iſidoro, quem de Hiſpania allatum *Riculfus* mog. ep. in huiusmodi ſtudioſus, obtinuit, et iſtas regiones ex illo repleri fecit. c. 25. de auctoritate et differentia conciliorum et epiſtolarum ſedis apoſtolicae. 26. de eadem differentia, et de conciliis *plenariis*, ſynodique nicaenae praerogatiua. Sequuntur adhuc plures ſcriptiones in hac cauſſa ſatis verboſae. Epiſtola ad 2 Aeppos, de nuptiis Stephani et filiae Regimundi, comitis; *Stephanus* ſponſa iſta non vtebatur vt coniuge, quia cum eius quadam propinqua quondam rem habuerit; nondum locum habuit *benedictio ſacerdotalis.* (nondum vis legis huius eccleſiaſticae vbique valuit.) p. 668 reſpondet ad quaeſtionem *Guntharii*, colon. aep. de vxore *Boſonis*, quae virum reliquerat; ſine conſenſu mariti, non licet ei poenitentiam imponere — confugit quidem ad aepiſcopum: ſed perpendendum eſt, ne totius mundi ſtatum et ordinem confundere et deſtruere videamur (iſto praecipiti iure *aſyli,*) — p. 674 iniquae mulieres et peruerſi homines inquient, facia-

ciamus quod volumus, *et adeamus ecclesiam*, *et erimus impuniti* — p. 676 ad *Hildegarium*, meldens. ep. *de iudicio aquae frigidae;* excerpta sunt ex alia epistola, qua respondit de hac re episcopis ex regno quondam iunioris Lotharii; — si quis frigida tantum aqua, vel igniti elementi iudicio, in auctorem elementorum, quem omnia fideliter inuocatum sentiunt clementa — credens, fieri sibi satis decreuerit, nihil differt. aqua diluuii *puniit*, ignis iudicii futuri puniet —; de igne Sodomitico iustus euasit inustus — in frigidae iudicio quibusdam non constare videtur, quod *inoxii submerguntur*, *culpabiles vero supernatant*, cum in cataclysmo contra acciderit — sed sciendum est, quod diuina operatio non est admirabilis, si ratione comprehenditur, vt dicit Gregorius, nec fides habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum. (Falsa ista lex multos decipit bona specie; si fides et operatio, dei testimonio non caret, tum valet; sed cetera vel magna credendi mirabilia consuetudo, nihil addit ad religionem praestantiae.) — secundum quemdam *modum formae* baptisinatis, in hoc iudicio dominus inuocatur a mittentibus in aquam — si fuerit super plura suspectus, iterato iudicio est examinandus, quousque inueniatur *emendationis confessione* probatus — noxius ab aqua, quia pura natura est, reiicitur vt alienus — legat aliquis *dialogorum* librum, Gregorii, et (post multa mira miracula) non mirabitur, in iudicio frigidae innocentes ab aqua recipi — hic molestissima sedulitate sanctas nugas egit *Hincmarus*. Ad *Hildebaldum*, suession. ep. qui miserat breuiculum *confessionis*; eum *absoluit;* mittens, manu mea sanctificatum oleum, secutus maiorum exempla — denique, quoniam haec te egisse non dubito, commoneo, vt *praeter istam generalem confessionem*, quaecunque ab ineunte aetate vsque ad hanc te commisisse cognoscis; *specialiter ac sigillatim deo et sacerdoti confitearis*, vnumquodque *singillatim* erroris tui inquinamentum — (ista confessio auricularis sensim succreuit.) — de *quotidiana communione* corporis et san-

guinis domini *noli te securare*, vt quotidie te illa non munias; ad *Hadrianum*, respondet ad ea, quae papa de regno *Lotharii* et *Hincm.* laudunensi mandarat. p. 694, regis proauus *Pipinus* a Stephano, ipsius auxilium petente, et pro liberatione *rom.* eccles. in Galliam veniente, in regem est vnctus, *cum adhuc degeret romana ecclesia sub nomine*, et non auxilio, defensionis *Graecorum imperatoris* — dicunt hic, petite apostolicum, vt, (quia *rex et episcopus simul esse non potest*, et sui antecessores ecclesiasticum ordinem, quod suum est, *et non rempublicam, quod regum est*, *disposuerunt*) non praecipiat nobis habere regem hunc illum — p. 697, rex comminatus est mihi, si perstarem in sententia, vt *cantare* possem ad altare ecclesiae meae, *de rebus vero et hominibus* nullam potestatem haberem — itaque domne pater reuerendissime, ita consulite, ne talia mihi mandetis, *vnde inter ecclesiam et rempublicam* tantum scandali possit oriri, quod facile postea non possit sedari &c.. Haec epistola atque illa num. 43. pag. 701 seqq. nomine *Caroli*, luculentissime ostendunt, papae *potestatem* isto tempore nondum valuisse, licet praecipua ad eam augendam studia per hoc iam seculum non rara sint. pag. 717 ad *Aduentium*, metensem ep. de consecratione metropolitani et dioecesani ep. p. 719 ad Episcopos, de iure *metropolitanorum*, cum de *Ansegisi*, primatu ageretur; multa ex historia etiam *gallicana*, a tempore *Chlodouei* — tempore Caroli propter discordiam inter eum et Ragenfredum et multa bella ciuilia, religio christiana in prouinciis *germanicis*, *belgicis* et *gallic.* pene fuit abolita, episcopia *laicis* donata, multi, in orientalibus praecipue regionibus, *idola adorabant*, sine baptismo manebant; itaque Gregorius 2. 3. *Winfrid* seu Bonifacium, legatum apostol. sedis ad reformandam religionem direxerunt, qui per 25 annos sine sede cardinali laborabat, tandem Moguntiam obtinuit metropolin, cum istis prouinciis — (Zachariae epistola 14) Ad ecclesiasticas causas etiam pertinet ep. de translationibus episcoporum, contra *Actardum*,

nam-

namnetensem; et p. 762, quae exsequi debeat episcopus et qua cura tueri res et facultates ecclesiasticas; p. 768, *Caroli* 2 imperat. nomine, ad Iohannem 8, de iudiciis et appellationibus episcoporum et presbyterorum; p. 783, de presbyteris criminosis, de quibus approbatio non est, (qui semper negant,) num. 21 refutat decretum *Silhestri*, in quodam sermone, sine exceptoris nomine, quem *Isidorus* ep. hispal. collegit cum epistolis rom. pontificum a *Clemente* vsque ad Gregorium. p. 801, de causa *Teutfridi* presbyteri, qualiter sit agitanda; (vt vltra prouinciae terminos accusandi licentia non progrediatur;) de facultatibus ecclesiasticis furtim distractis; de 3 planetis, tunica *Immae* reginae, balteo aureo cum gemmis, bursa eburnea, libra vna auri &c. p. 805 de visione *Bernoldi* presbyteri; — ad mortem aegrotans, tandem *vxori suae* et circumstantibus dixit, vt confessorem suum arcesserent; narrauit iam huic, de seculo hoc ductus in aliud seculum, veni in locum, et inueni episcopos 41, inter eos *Ebonem*, *Leopardellum*, *Aeneam*, pannosos, velut ustulatos — *Ebo* me vocauit, et dixit, precamur te, adiuua nos; dic clericis et laicis, quibus bene fecimus, vt faciant pro nobis eleemosynas, et sacras impetrent oblationes — iui igitur cum ductore quodam ad palatium proximum, et *ambasciaui*, quod mihi iussum erat. Inde redux ad eos, inueni eos iocunda facie, quasi a nouo rasi et balneati, habebant stolas, albas, sandalia, planetas non habebant. *Ebo* dixit: vides quantum nos adiuuit tuus *missaticus*? - veni in locum tenebrosum — ibi vidi iacere *domnum Karolum* nostrum regem in luto, et sanie ipsius putredinis, et vermes manducatam habebant carnem eius — dixit mihi, quare me non adiuuas? quomodo? et ait, prende illam petram, quae iuxta te est, et pone illam sub capite meo; feci et dixit, vade ad *Hincmarum* et dic ei: quia eius et aliorum fidelium bona consilia non obaudiui, ideo pro culpis meis ista sustineo; dic illi, quia semper in eo fiduciam habui, vt me adiuuet — si certamen habent, cito ero liberatus.

ratus. Et interrogaui illum, quis locus esset, vnde lux illa resplendebat, et tantus odor respirabat? dicit, Sanctorum est requies. — haec narraui *Hincmaro*, quem cum clericis inueni, missam cantaturos; et statim reueni ad locum, vbi domnus Carolus iacuerat, et inueni illum in loco lucido, sanum corpore, indutum regiis vestibus, et dicit: vides, quomodo me adiuuit tuus missaticus? — et vidi alium hominem in petra implantatum vsque ad ascellas; et dixit, ego sum *Iesse*, vade ad amicos, et dic, vt me adiuuent — et vidi puteum teterrimum, et aquam nigram, quasi picem — et subito flamma exiit vsque ad caelum — et erant 4 daemones, qui multitudinem animarum per 4 partes diuisam per puteum minabant vsque ad aquam frigidissimam — et dixit *Iesse*, hoc quotidie faciunt daemones, quia nemo laborat pro istis animabus — similia narrat de *Othario*, comite, — concludit lepidam visionem, ista admonitione: vera igitur sunt, quae in libro *dialogorum Gregorii*, historia Anglorum, in *scriptis S. Bonifacii*, in visione *Wettini*, leguntur; cogitemus igitur dum in hoc corpore sumus, remedia, vt mansiones habeamus — Stupemus, haud dubie, quotiquique tam insanas sacras nugas legimus! *Purgatorium* igitur fide et auctoritate carere non potuit. Ad *Odonem*, ep. bellouac. de *obiectionibus Graecorum*, a Nicolao papa in *Galliam* missis, vt ad eas respondeatur, p. 809. — ad *Ioannem* ep. camerac. de *Hunoldo*, et malae famae presbyteri purgatione. *Godbaldi* presbyteri, de femina conuicti, depositio; *Fulcherii* et *Hardoisae*, ob incestas nuptias *excommunicatio*. Ad virum *illustrem*, qui hominem suum iurare coegerat — mandamus, vt ab ecclesia et altario te abstineas, donec ad nos venias — licet ille tibi seruitium debeat, tamen *sub nostra cura* et tu et ille *de salute vestra* esse debetis — (hac ex inepta lege multa inepte facta sunt a clericis.) pag. 826, responsio *Hincmari*, ad quaestiones, cur scripserit *mysticam* nicaenam synodum; ex numero nominis Ιησους — multa miracula nu-

numerorum tractat; et de Abrahami seruis. p. 829, *Hincmari* consilium, de *poenitentia Pippini* regis. — vt loci conuenientia ita custodiatur, vt ad pristinum vomitum redire nequeat, etiamsi voluerit — p. 832, sequuntur gesta *Hincmari*, quomodo villam *Nouilliacum*, apud *Carolum* imperatorem, filium *Ludouici* imper. impetrauerit. p. 834, iuramentum, quod Hincmarus edere iussus est apud *Pontigonem*; addidit *Hincmarus* satis malignas animaduersiones — non debuisset aliud iuramentum, praeter professionem meam scriptam, exigi. epistola *Parduli*, laudun. ep. ad *Hincmarum*, vt sanitati magis studeat; abstineat a piscículis minutis — non eo die de volatilibus aut animalibus edere, quo occiduntur — vinum, non de summitate montium, nec de profunditate vallium, sed quod in lateribus montium nascitur — Sequuntur *fragmenta*, praecipue ex *Flodoardo* — ad Theodulf. *comitem*, qui ecclesiam quandam pretio vendere parabat — Ex huius *Hincmari* scriptis permulta ad *dogmaticae theologiae seu publicae*, historiam pertinent; eius rei pauca tantum documenta *afferemus*. De *baptismo infantum*; tomo 2. pag. 569. si quis quaerat (de baptismo puerorum) auctoritatem diuinam, quamquam quod vniuersa tenet ecclesia, non nisi apostolica auctoritate traditum *rectissime creditur*, tamen ex circumcisione *coniicere* possumus — in baptizatis infantibus praecedit regenerationis sacramentum, et si christianam tenuerint pietatem, *sequitur etiam* (si adolescant) *in corde conuersio*, cuius mysterium praecessit in corpore. — in infantibus, qui baptizati moriuntur, gratia dei implere credenda est, quod ex aetatis indigentia, *nec corde credere* ad iustitiam possunt — Hic satis patet, quod infantibus non tribuat *fidem*, sicut adultis. Varia decreta *de anima* insunt in libello, de diuersa et multiplici animae ratione, pag. 105 seq. an corporea sit, an localiter teneatur et moueatur in corpore, &c. De sacra coena pag. 89, Christus sanat nos quotidie a peccatis quotidianis, in sanguine suo, cum passionis ad altare *memoria*

ria replicatur, cum panis et vini creatura *in ſacramentum* carnis et ſanguinis eius (non dicit *in carnem*, ſed in *ſacramentum* carnis) ineffabili ſpiritus ſanctificatione, transfertur, ſicque corpus et ſanguis illius, non infidelium manibus occiditur et funditur, ſed fidelium ore ſumitur in ſalutem. — Verbum pag. 90, caro factum eſt, et habitauit *in nobis*, cum in vtero virginali ſanctificauit ſibi tabernaculum ſuum, poteſt manum ponere in ambobus; et patrem ſcil. diuinitatis aequalitate *placare* — communicatio et *participatio* (κοινωνια) corporis et ſanguinis domini — per huius ſanguinis effuſionem et *antiqui iuſti*, ſpe futurae redemtionis deuincti, ab inferni clauſtris *educti ſunt* — aliud in ſ. coena videtur, aliud *intelligitur*; quod videtur, habet ſpeciem corporalem; quod intelligitur, *fructum habet ſpiritualem* — illa panis et vini oblatio, eſt commemoratio mortis Chriſti, quae non tam verbis, quam ipſis myſteriis agitur, (per myſticas caerimonias,) per quae noſtris mentibus mors illa pretioſa altius et fortius commendatur, (nondum *transſubſtantiationis* ſtabilis fuit diſciplina;) pag. 93 Verbum, quod erat apud deum, *manducant* angeli, et ſaginantur; quis autem homo peruenire poſſet ad illum cibum? — verbum igitur illud manducauit *homo* (Chriſtus;) ſe ipſum exinaniuit, vt manducaret panem angelorum — Ioh. 6, niſi manducauerit quis carnem meam &c. *intellectus ſpiritualis* credentem alium facit; littera occidit; diſcipuli, ſermonem non intelligentes putarunt neſcio quid durum dicere dominum, quod carnem eius, quem videbant, manducaturi erant. Sed ipſe accepit in manus ſuas *et ipſe ſe portabat* quodammodo, cum diceret, *hoc eſt corpus meum.* — commendat humilitatem ſuam dominus celebrari, cum commendat corpus et ſanguinem ſuum celebrari, *quam humilitatem* pro nobis ſuſcipere dignatus eſt, cum verbum caro factum eſt. (Nondum dicit, etiam τον λογον in ſ. coena cum corpore et ſanguine, offerri, quod poſteriores dicunt.) Luc. 15, 23 *adducite vitulum*, idem eſt, ac *praedicate* occiſum et *offerte*

in

in suo mysterio immolandum et quotidie *pro vobis*, i. e. pro peccatoribus, mortuum *credite*; ut quoties ei hostiam suae passionis offertis, toties ad absolutionem vestram, *confidite reparari* illius passionem. pag. 99, ne plures horrerent, sicut discipuli, veluti quidam esset horror cruoris, ideo in *similitudine* quidem accipis sacramentum, sed verae naturae *gratiam virtutemque* consequeris; — *in spiritu confidens*, quod accipias corpus Christi, dicis Amen. — post verba consecrationis de pane fit corpus Christi; aduertimus igitur, maioris esse *gratiam*, quam naturam. — quid hic quaeris *naturae ordinem* in Christi corpore, cum *praeter naturam* natus sit. — Huius *spiritalis escae* figura praecessit in manna — De *sacerdotali* benedictione p. 228, ecclesia antiquitus solemniter custodiuit, eos, qui velut in paradiso dei coniugio copulandi essent, diuina benedictione et missarum celebratione coniungens. Ad *historiam antiquam* pertinet, *Donatus* tertio anno post Synodum nicaenam agnoscitur; *Eliberitanum* concilium eodem tempore, quo nicaenum &c. Pro his, qui in *bello fideliter bellantes* ceciderunt, oblationes eleemosynarum et sacrae hostiae debent fieri 2 Maccab. 12. Ex libro de *diuortio Lotharii et Theutbergae*, tomo 1, multa recenseri possent notatu digna; praecipue de *incantationum, sagarumque* creditis artificiis miris, cuius generis descriptiones per multa secula fidem inuenerunt inter christianos, quae est turpissima insania; legantur hic interrogatio XV. XVII. — contra abusum *confessionis* et asylorum, quaestione 22. *Hincmarus* idem defendit, clauso vtero, non aperta vulua, *Mariam* peperisse, tom. 1. pag. 631. Sed non fas est longius his immorari.

Supersunt quaedam aliae eius scriptiones minoris momenti; *Epistola de baptismo*, in concil. edit. (sicut *Caroli* M. tempore plures innotuerunt;) Epistola concil. *Duziacensis*, a. 860. Alia epist. *duziac.* concilio exhibita, seu libellus contra *Hincmar.* laudun. a. 871; licet hic papam *appellauerit*, tamen statuit sententiam ferri iam aduersus ipsum posse;

alia

alia quaedam 5 opuſcula in eadem cauſſa edidit *Cellot*, cum concil. *duziacenſi*, a. 1658. pariſ. 4. ex his *primum* eſt iam in *Sirmondi* editione n. XXIX. *quartum* ediderat iam *Dacheri*; (epiſtola ad *Carolum* caluum, de eccleſiae immunitatibus conſeruandis.) Epiſtolae 8, quas e cod. *Vaticano* eruit *Holſtenius*, habentur in edit. conciliorum; (etiam *Eccardus* edidit in *corpore* hiſtor. tomo 2. pag. 375 ſeqq.) *Hincmaro* etiam tribuebatur epiſtola ad *Carolum* caluum, de vita S. *Dionyſii*, areop. cuius auctor *Methodius* quidam, interpres autem latinus, *Anaſtaſius*, bibliothec. ferebatur; excuſa eſt per Surium (menſe Octobri) et *Mabillonium* (in *annalibus* ordin. benedict. libro 37. n. 85; (ſed parua auctoritate vtitur. Annalium *Bertinianorum* partem, ab a. 861-882 le *Boeuf* et epiſcopus quidam (de la Ravaliere, in 2 epiſtolis a. 1737. 38.) tribuerunt *Hincmaro* huic; ſed refutant auctores hiſtoriae litterariae Franciae pag. 578 ſeq. tomo 5, hi iidem auctores diligentiſſime egerunt, de *perditis* Hincmari *ſcriptis* aut nondum repertis, p. 580 ſeqq. Bene ceterum cardinal. *Bona* de *Hincmaro* iudicauit: dubium eſſe vitiorum et virtutum temperamentum; ſed iſta quidem facile virtutes ſuperant. Eruditione atque ingenio minus ipſe valuit, quam canonum et eccleſiaſticarum legum vſu facili.

Recenſuimus *Francicos* praecipue ſcriptores e *latinis*; iam et ceteros paucis adiungimus. *Oldiberti*, (*Odelperti* &c.) aep. mediolanenſis liber *de baptiſmo*, mstus ſupereſt in *augienſi* bibliotheca; epiſtolam ſeu praefat. et lemmata capitum 22 edidit *Mabillonius* in *analectis*. *Sedulius*, Scotus, (iunior,) incertum cuius ſtatus, *collectanei* in epiſtolas *Pauli* auctor eſt; quod e graecis latinisque patribus, (*Gregorio* M. etiam, licet eum non nominauerit, vt *Iuſtinianus* notauit ad 1 Cor. 6, 5.) ſatis vtile compilauit. Hoc nomine etiam *collectaneum* ſeu *catena* in Matthaeum exſtitit in bibliotheca Ieſuitarum pariſienſi, capitibus 355 diſtinctum; (*Labbe* in diſſert.) *Sedulio* cuidam etiam tribuitur, in *Priſcianum*, in variis mstis. *Gildae*, iunioris

ris (tertii vel quarti) liber de *computo*, mstus supereſt. *Claudius*, hiſpanus. a Ludouico pio a. 819, cuius in palatio presbyter fuerat, epiſcopus *taurin.* creatus, ingenio et animo praeclaro plerisque hoc ſeculo ante ferendus; ſuperſunt e ſcriptis, commentarius in *Leuiticum*, apud Benedictinos S. Germani pratenſis; *praefationem et finem* operis edidit *Mabillon* in analectis; in praefatione narrat etiam de commentario in *Geneſin*, *Exodum* (adhuc in palatio verſatus iſta conſcripſit;) itaque libros 3 in *Geneſin* qui *Eucherii* lugd. nomine aliquoties excuſi ſunt ad *Claudium* quidam retulerunt, cum *Eucherii* eſſe nequeant. In librum *Ruth* etiam ſe vidiſſe ſcribit *Oudinus*, item in *Ioſuae* et *Iudicum*, qui et commentar. in quaedam loca librorum *regum* non ſine ratione huic *Claudio* reddit, quem Benedictini monachi tribuerant cuidam abbati claſſenſi. Commentarius in *Matthaeum*, ad *Iuſtum* abbatem, ſupereſt in variis bibliothecis; in omnes *epiſtolas Pauli* commentar. ſaepius habetur; de ſex mundi aetatibus, ſeu chronologia breuis, iuxta hebraicam veritatem; *Apologeticus* aduerſus *Theodemirum* (ipſius olim amicum) a *Iona* aurel. excerptus et, ſi placet, refutatus; eadem excerpta Melch. *Goldaſtus* edidit, de *cultu imaginum*. *Vghelli* tomo 4 Italiae ſacrae narrat, *Claudium* taurinenſium acie ſtipatum aduerſus *Saracenos* dimicaſſe. E *Claudii* commentariis excuſus eſt in *Galatas* tomo 14 bibliothecae patrum maximae lugdun. ad *Drutherannum* abbatem eſt praefatio; ex Auguſtino et Hieronymo collegit. Eſt bonae frugis; Gal. 2, affert duplicem lectionem; 1) *graecorum*, quibus *nec* ad horam ceſſimus; 2) *latinorum*, quam etiam in textu ponit: *quibus ad horam ceſſimus ſubiectioni* &c. cap. 4. Chriſtus ſubiecit ſe legi, *vsque ad tempus baptiſmi*, (rectiſſime ſic explicatur;) — Habentur et *Claudii* quaedam *orationes* ſeu *ſermones;* ſatis aequum ſe iudicem praebuit *Rich. Simon*, tomo 1 aduerſus *du Pinium* pag. 214 ſeq. qui et inſigne elogium, quo *Claudius* Auguſtinum ornauit, exſcripſit, vt ſuſpicionem *Arianiſmi* ab eo amouet.

ret; atque eximia est negligentia *Sandii*, qui libro 3 enucleatae histor. eccles. pag. 369. 370, ob *Ionae* aurel. vehementem declamationem, *Claudium* Arianis adscribit, eique non vult *chronicon* istud tribui, in quo insunt sententiae *Arianis* contrariae. *Anscharii* aep. Hamburgensis *psalterium*, seu epitomen psalmorum commemorauit *Kranzius*, in Metropoli lib. 1. c. 42. *Isidori* Mercatoris seu Peccatoris, maleficium haud dubie post huius seculi initia pertinet, cum ex Synodo *parisina* a. 829 quaedam inserta sint huic operi; nec ad *Riculfum* ipsum (aep. mogunt.) videtur referenda esse ista impostura, qui a. 814. 815 iam mortuus fuit; *Benedictus*, Leuita, qui 3 posteriores libros *capitularium* adiecit, iam harum falsarum decretalium laciniis variis vsus est; forte nec vno tempore confecta est ista machina; praeter *Blondelli* eximium opusculum, (Pseudoisidorus et Turrianus, vapulantes,) *Oudinus* tomo 2 in dissertatione quadam pag. 46 seqq. potiora excerpsit. His autem infandis artibus *nouum ius*, loco sani istius et perpetui, sacrorum confictum fuit, et reges terrarumque domini vanis terriculamentis religiosis pristino pleno honore exuti fuerunt, per istam fatalem regulam: *seculares* homines nihil intelligere atque agere posse rerum diuinarum atque ecclesiasticarum; fidem habendam esse omnibus admonitionibus et descriptionibus rerum, quas *sancti patres* praeiuerunt. *Seculum fraudum* atque iniquitatis publicae designare debebat *Caue*; qui *Photii* nomine, haud scio, quo iure, insigniuit. Bene enim meruit Photius de publica re cetera. *Andreas Agnellus*, eccles. rauennat. presbyter (distinguendus ab alio archiepiscopo seculi 6.) scripsit vitas aepp. rauennatensium, seu *pontificale*, quod Bened. *Bacchini*, abbas, edidit 1708. 4. Mutinae; *Agnellus* non tacet, de clericorum vitiis; qua in re mirum non est abbati parum placere historici candorem; de αὐτοκεφαλίᾳ huius sedis multa ex hoc scriptore veterumque aliis testimoniis, colligi possunt, quam in rem ex *Sandii histor. ecclesiastica Oudinus* non pauca excerpsit. Dubia omnino

est

est subiectio huius sedis ad *rom.* vsque ad sec. 12; paucorum quorumdam priuata consilia aut vecordia iuris nihil auferre potuit. Edidit iterum *Muratorius* inter scriptores *rerum italicarum* tomo 2. *Eulogii* hisp. presbyteri, (a Saracenis, cum virginem ex iis christianorum numero addidisset, gladio interemtus,) supersest *memoriale sanctorum*, siue libri 3 de martyribus *cordubensibus*. Excusum est in bibliotheca patrum maxima, tomo 15, sed satis negligenter. Non deerant, pag. 248, qui dicerent, tales *martyres*, qui ob superbiam suam interemti sunt, et qui propria se voluntate periculis offerebant, in *sanctorum catalogo* non esse recipiendos. — de Hispanis inter *Saracenos* scribit: *lunariter* soluimus tributum — si *tinnientis metalli* clangorem audiunt Saraceni, lingua eorum in maledictionem soluitur; si stigmata sacri ordinis in nobis vident, vt fatuos et amentes derisione impetunt; tactu indumentorum suorum nos indignos putant, citat *Arnobium*, Rhetorem, in Psalmum 139, (non centesimum trecentesimum, nonum) — calumniantur etiam inimici eorum vltroneum ad mortem progressum, quos *passim liberalitas regis* suum incoli iusserat christianissimum — totus liber primus est *apologeticus*. lib. 2. c. 2 *Isaac*, peritus et doctus *lingua arabica* exceptoris reip. officio fungebatur, postea monachus factus — c. 4 *Muhammedem* dixerunt esse praeuium Antichristi; Non pauca *de Muhammede* resecuit, ex his libris, qui primus edidit, *Ambrosius Morales*, de qua re iam *Thom. Maluenda* querebatur, vt notauit *Caue* (lib 1 de antichristo c. 24 quem locum in *Romana* editione *Maluendae*, eraserunt.) Eiusdem liber *apologeticus* sanctorum martyrum; varia obiiciebantur aduersus hos martyres, etiam quod *miracula abessent;* (hoc mirum est, cum alibi mille miracula narrentur.) ex volumine *legerensis* coenobii, Pampelonae, de *Muhammede* narratio; insunt fabulae; p. 290 remittit ad *memoriale*, in quo refutauerit sectae eius errores (non exstat in excusis.) Liber documentum Martyrii, quod in carcere positus Eulogius *Mariae* et

Florae, Virg. in ergaſtulo mancipatis, dicauit. — non promit *cantor* diuinum carmen in publico; non vox *Pſalmiſtae* tinnit in choro; non *lector* concionatur in pulpito; non *leuita* euangelizat in populo; non *ſacerdos* tus infert altaribus. Epiſtola ad *Wileſindum*, ep. pampilon. cui reliquias, quas rogarat, mittit, et iter in *Galliam* deſcribit. Fratrem meum *Aluarum* et *Iſidorum* dira ſeculi fortuna *olim* in partes Galliae togatae exulare fecerat, ad regem *Baioariae Ludouicum*, (germanicum?) — peregrinos meos fratres cum *negotiatorum* cohortibus intereſſe didici; ſed ii iam *Moguntiam* abierant, *Baioariae* in ciuitatem (videtur igitur Iſidorus *Mercator* aliquam ſpeciem hinc mutuare.) Epiſtolae quaedam *Aluari* et *Eulogii* mutuae. *Hulderici*, e comitibus *Kyburgenſ.* auguſtanus epiſcopus; celeberrimum nomen ob iſtam *Epiſtolam* ad Nicolaum papam, *de continentia* clericorum, quae ſaepius edita eſt, vt teſtimonium luculentum aduerſus iniquum caelibatum; in *Orthodoxographis*, a *Wolfio* in lection. memorab. *Foxio*, *Calixto*, Edw. *Browne*, in appendice ad faſcicul. rerum expetend. aliisque. Ea ſeculo X per Gregor. 7 Romae damnata fuit, (append. ad *Hermanni* chronic. anno 1079.) Quidam codices *Voluſiani*, epiſc. carthagin. nomen prae ſe tulerunt; atque edidit *Foxus* aliam *Voluſiani* nomine epiſtolam, qua clerici, in matrimonio conſtituti, cauſſam eleganter agunt aduerſus papam. *Hadriani*, poſt Nicol. papae rom. habentur epiſtolae 26. *Anaſtaſius*, abbas rom. presbyter *cardinalis*, (ſi quidem vnus et idem) et bibliothec. Romanae eccleſiae, ſub *Adriano* 2, poſtquam antea variam fortunam, et vel anathema, perpeti auſus fuerat. Multa e graeco *latine* transtulit; acta concil. pſeudoecumenic. Cpolitani 4, ſeu ab iconomachis a. 869 habiti, quibus et de ſuo multa addidit; acta *Nicaeni* 2, a. 787 habiti; *hiſtoria eccleſiaſtica*, ſeu chronographia tripartita, ex *Nicephoro*, patriarch. *Georgio*, Syncello, *Theophane*, praecipue ſumta; (in corpore *byzantino* habetur;) *collectanea*, de iis, quae ſpectant ad hiſtoriam

Mono-

Monothelitarum, partim ab ipso scripta, partim translata, aut collecta; epistola Anastasii 2. Apologia Iohannis 4 pro Honorio ad Constantinum imperat. S. *Maximi*, epistolae 5. *Theodori*, papae epistolae 3. *Martini*, pp. epp. 4. Narratio eorum, quae *Martinus* passus est Cpoli — Relatio disputationis inter S. *Maximum* et *Theodosium*, caesar. Anastasii epistola ad Theodosium, gangrens. Hypomnesticon de gestis S. Maximi, vtriusque Anastasii, Martini; ista *Sirmondus* collegerat 1620 paris. habentur etiam in eius *operibus*, et in biblioth. patrum maxima. Vertit aliquot sanctorum vitas; non vero *Dionysii* areopagitica; *scholia* tantum latine vertit, atque praefationem, quae supereſt, ad *Carolum* Caluum, ad ea scripsit. Sed praecipue magnas lites mouit illud corpus, de *vitis pontificum* romanorum; vtrum 1) omnino ad hunc *Anastasium* auctorem referendum sit. Sunt enim eruditi viri, qui rationem iustam nullam se scire fatentur, cum nec Msta addicant. 2) an vero *per partes saltim* quasdam sit *Anastasii*, et quaenam vitae; plurium enim et seculorum et scriptorum videri istud corpus; *Anastasio* vitas tribuit *Ciampini* tantum istas, Gregor. 4. *Sergii* 2 *Leonis* 4. Benedicti 3. *Nicolai* 1. Nimis verbosa est ista disputatio, quam ex *Oudino*, *Ciampinio* (Examen libri pontificalis, Romae 1688. 4.) et noua editione illa copiosissima operis, (per *Franc. Blanchinium* et *Ioh. Vignolium*, Romae 1718 1723. ceter. fol. Prodiit etiam separatim per Ioh. Vignolium Romae 1724. 4.) facile repetere licet, si cui opus sit. Epistolae, *Hieronymi et Damasi* nomine praefixae, falsae sunt. Tandem noua controuersia superuenit, de *Iohanna papissa*; cuius omnino descriptio in quibusdam *Anastasii* codicibus inuenitur, licet ab editionibus absit; hinc quidam volunt in *Martin. Polonum* venisse, alii contra; satis multa habet *Oudinus*, quibus facile alia addere possemus, si vtilitas quaedam sperari queat. vid. p. 439. *Alfred*, Aelfred, Aluredus, rex Angliae, a rebus gestis *magnus* dictus, ab a. 871 monarcha, de re litteraria, quam

diligenter apud ſuos promouit, eximie meritus, *Iohannem*, cognom. *ſcotum*, e veteri *Saxonia*, cum aliis eruditis, in regnum vocauit; *oxonienſem* aliasque ſcholas in regno inſtituit; de cuius rebus *Henric. Spelmannus*, pluribus videndus, qui vitam eius edidit. Multa dicitur in linguam *ſaxonicam* e latina transtuliſſe; e. c. *Bedae* hiſtoriam *eccleſiaſticam*, quam edidit *Abrah. Wheloc* cantabrig. 1664 fol. leges quam plurimas, tam ciuiles, quam eccleſiaſticas, apud *Whelocum* (et *Wilkinſium* in concil. magnae britan.) *Oroſii* hiſtoriam, (in Msto ſupereſt; praefat. edidit *Spelmannus* ibid.) *Pſalterium Dauidis*, ſaltim ex parte; edidit Iohannes, Spelmanni fil. cum latino textu, 1640. Londini 4. *Parabolae* Alfridi; *Auguſtini* ſolilo-quia, libri 2; *Gregorii* M. paſtorale; eiusdem *dialogorum* libri 4, (iſta Msta adhuc ſuperſunt; ſed in fine dialogorum notatur: *Werefreth*, epiſcop. vigornienſis, iuſſu Alfredi transtulit; idem etiam de aliis libris valebit, e. g. per aep. *Plegmundum* quaedam; licet ipſe Rex auctor feratur translationum, vt *Carolus*, *Ludouicus* &c.) *Teſtamentum* regis ſupereſt apud *Aſſerium*, meneuenſem. *Iohannes*, rom. eccleſ. diac. ſcripſit vitam *Gregorii* M. libris 4, ex eius praecipue libris collectam; ſolet editionibus *Gregorii* M. praefixa haberi; *Epiſtolam* de variis ritibus ad baptiſmum pertinentibus, edidit *Mabillon*, in *itinere italico*; in ea multa alibi inuſitata, e. c. de 7 altaribus ſabbato ſancto in eccleſia romana erigi et conſecrari ſolitis de immiſſione lactis et mellis *in calicem*, eodem die &c. Huius *Ioh. Eclogas*, ſeu commentarios breues in *Heptateuchum* in bibliotheca S. *Germani* pratenſis ſe vidiſſe ſcribit *Oudinus*, e patribus variis collectos; nominantur etiam *Graeci*, Origen. *Diodorus* tarſenſis, &c. ſed vix ipſe videtur graece ſciuiſſe, cum idem *Anaſtaſium* bibliothecarium rogarit, vt e Graecis colligeret et latine transferret, quae ad hiſtoriam eccleſ. pertinebant; huic certe dicauit *Anaſtaſius* ex Nicephoro, Syncello et Theophane collectam hiſtoriam ſuam, quia voluerit hiſtoriam eccleſiaſticam ip-

ſcr

scribere. Ad Iohannem hunc etiam quidam *historiam miscellam* retulerunt, (quasi hoc opus, quod eum moliri dicebat Anastasius;) quam alii tamen *Paulo* Warnefridi, casinensi monacho et diac. tribuunt. *Formosus*, ab a. 891 romanus pontifex, ex episcopo portuensi, *Damaso*; eius 2 *Epistolas*, seculo demum XI confictas contendit *Papebrochius*; multas eum olim ad *Fulconem*, rhem. ad *Carolum*, *Othonem*, reges scripsisse, auctor locuples est *Flodoardus* in histor. rhem. libro 4, post initium. *Oudinus* dissertationem peculiarem scripsit, de vita, moribus et scriptis *Damasi* portuensis, tomo 2 commentar. pag. 345 seqq. Hic et *Baronio* perpetuam censuram opponit, qui laudauerat *Formosum* eximie; et contendit, librum illum pontificalem, (cui ab *Anastasio* postea, contra plerorumque mstorum fidem, nomen indiderit *Ioh. Busaeus* 1602 in Anastasii editione *moguntina*,) per hunc auctorem hoc demum seculo collectum (forte ex vetustis etiam libris;) ipsumque eius *Damasi* vetusti nomen vsurpasse. *Damasi* certe, non *Anastasii* nomine, excusum fuit olim hoc opusculum, a. 1547 et 1600. Venet. fol. ad 2 codices vaticanos, cum soloecismis et omni barbarie genuina. Ex isto *Damasiano* opere id compendium, quod *Luitprandi* nomen falso gerit, desumtum est, atque rebus quibusdam serioribus forte a *Franco* quodam auctum. Cap. 7 *Oudinus* agit studiose: *Damasum*, portuens. ep. esse scriptorem libri, de vitis pontificum; et de aliis operibus huic *Damaso* tribuendis; nempe ista *Hieronymiana*, *Eusebii*, (cremonensis monachi.) de morte *Hieronymi* ad Damasum; Augustini ad Cyrillum, hieros. de mirabilibus Hieronymi; *Cyrilli*, hieros ad Augustinum, de miraculis Hier. Cap. 8 scopum huius scriptoris fuisse, monarchiam pontificis romani erigere atque defendere, contra pontificale *Agnelli*, qui rauennatensium iura defenderit; ideo et fabulam de Constantini baptismo per Siluestrum, et variis donationibus inseruit; (sed ea fabula est vtique hoc seculo multum antiquior.) Ceterum, etsi *Oudinus*

rem nondum omnem confecerit, satis tamen patet, multis vtilibus quaestionibus diligentius habendis locum sic factum fuisse. Admonemus breuiter, *Auxilium* aliquem edidisse sub finem huius seculi aut initium sequentis, libros 2 de ordinationibus *Formosi* papae, seu, vt *Sigebertus* scribit, de ordinationibus, Exordination. superordinationibus rom. pontific. edidit eos *Ioh. Morinus* in append. operis, (bis editi, Paris. et Antwerp.) de ordinationibus, inde etiam in bibliotheca patrum tom. 17. Librum alium, seu *dialogum*, de eadem causa *Mabillon* edidit in Analectis edit. nouae parisin. 1723. pag. 28.

Paucis adhuc recensebimus scriptores potiores *historicos*, sed omissis iis, qui *sanctorum* istas *vitas*, *translatt.* et *miracula* scripserunt, quorum ingens est numerus, hodie vero exigua, quae dei est in meliorem aetatem gratia, vtilitas. Plerique *historici* scriptores sunt e *francicis* monachis, quod non miramur, alii fere e clericis: nempe scimus, ex isto monastico ordine et clericali desumtos fuisse, qui essent a *palatino* scribendi ministerio. Edidit *Lambecius* ex antiquissimo codice, qui hic ibi vix oculis adhuc patebat, annales ab anno 768 (potius 794) - 803. Annales *Tiliani*, *Loiseliani*, et quaedam aliae scriptiones habentur in *du Chesnii* corpore; chronicon *Fontanellense* edidit *Dacheri*, pergit ad annum 833. minus frugifera vero est continuatio. *Ermoldus* (*Ermenaldus* etiam, abbas anian. vt vult *Muratorius*,) poema historicum scripsit, quod ad a. 826 pertingit, historiam *Ludouici* pii complexum; id primus tandem integrum in lucem, ex bibliotheca vindob. dedit *Muratorius* in corpore maiori Italicarum rerum. *Eginhard*, isto cum *Emma* coniugio iam olim celebris, *Caroli* M. et *Ludouici* pii fauore eximio vsus, monasterii tandem Seligenstadensis primus abbas; scripsit *vitam Caroli M.* (priuatam praecipue libro 2. vt in Mstis diuiditur.) post plures editiones, etiam in *du Chesnii*, et Bollandistarum (Ianuar. 28.) corpore exstat; vicit alias *Schminckii* editio 1711. 4 vltraj. *Heerkens* 1755. 12; eiusetiam habentur annales *Francici*, quos

alii

alii *Ademaro* cuidam, *Adhelmo* (edit. Pithoei et *Freheri*) aut ignoto, sine ratione, dederunt; elogium istud ad a. 827 non fuit in prima editione, itaque est ab alia manu. Pergunt ab a. 741 ad a. 829. Ex istis annalibus poeta ille *paderbrunnensis* anonymus, (de Carolo M.) pleraque desumsit. *Epistolas* 62 edidit du Chesne; illis vna addenda ex *Lupi* serrar. (tertia.) Ei etiam tribuitur historia inuentionis et translationis (in Franciam) martyrum *Marcellini* et S. *Petri*, libris 4. (in actis Bollandist. Iunii 2); fertur etiam poema, seu *rhythmus Einhardi* nomine de passione horum martyrum. *Chronicon* minus a mundo condito ad an. 809 eidem tribut *Lambecius;* ediderat iam *du Chesne*, tomo 3; est fere ex *Beda*; quaedam alia perierunt; e. c. *Adam* bremensis c. 130 loquitur de *historia Saxonum*, quam Eginhardus scripserit; (si quidem sic intelligendum sit.) *Theganus*, *Deganus*, chorep. treuir. forte *Hettii* aep. scripsit historiam *Ludouici pii*, qui adhuc viuebat; in prauos quosdam episcopos satis asper; eam iam *Walafridus*, Strabo, diuisit in 58 ista capitula; aliquoties post *Pithoei* (12 scriptores Franc.) edita est; additionem *Lambecius* protulit. Ille historicus, quem *astronomum* dicere solent; nomen enim eius ignoratur, atque *astronomicas* varias obseruationes immiscet. *Aimoini* interpolator ex hoc *Astronomo* multa in suam historiam transscripsit, vt hic ea, quae antecedunt ipsum *Ludouicum*, post Carolum M. demum, desumsit, vt fatetur ex *Adhemaro*, seu *Eginhardo*. Edidit optime *du Chesne* in corpore francico; in *vindobon.* bibliotheca est codex Mstus, qui sine distinctione, Eginhardi et *Astronomi* librum exhibet vna in serie; videtur esse adeo huius adhuc seculi. *Freculfi*, lexouiensis episcopi, supersunt *chronicon* a mundo condito ad finem seculi 6, partibus 2, saepius excusum est; etiam in *bibliotheca* patrum maxima *lugdun.* tomo 4. *Nithardus*, *Angilberti*, abbatis centul. seu Richerii, filius ex *Bertha*, *Caroli* M. filia (diuersus a *Nithardo* prumiensi monacho, de quo in *Lupi* epistolis;) scripsit iussu

Caroli calui *historiam* dissidii inter filios *Ludouici* pii, quas lites ipse componere tentauit; libri, quos 4 scripsit, quarti pars periit; ei debemus *formulam* foederis a. 842 inter *Carolum*, caluum, et *Ludouicum* germanicum; melior est editio *du Chesnii*. *Anonymus* monachus S. Galli, (sine iusta ratione eum *Notkerum*, balbulum, quidam se reperisse putabant in auctoris illa phrasi, *ego balbus et dentulus.*) Ei puero *Adalbertus* quidam, cuius fuerant multae partes in *Caroli* bellis cum *Saxonibus*, *Hunis*, Slauis, narrare res istas solebat; istius etiam filius *Werembert* in monasterio S. *Galli* alia suggessit, scripturo; scripsit iussu *Caroli* crassi; libris 2. De *religiositate et ecclesiastica* Caroli cura; de bellicis rebus; caremus adhuc diligentiori editione, quam *Lambecius* ad Mstum parabat. *Ratpertus* scripsit de origine et diuersis casibus monasterii S. Galli, ab origine vsque ad 883, continuauit *Ekkehartus*; *Ratperto* etiam tribuuntur varii *hymni*, et *litaniae* versibus scriptae, (apud *Canisium.*) Ignotus *Poeta Saxo*, auctor poematis historici librorum 5, in laudem *Caroli*, ad Arnulfum imperatorem. E *Fulconis*, aep. rhemensis epistolis multa habet *Flodoardus*. Auctor anonymus chronici *Fontanellensis*, iam pag. 440 a nobis indicatus fuit. *Alfonso*, 3, magno, Ordoini *legionensis* regis fil. tribuit et vindicatum it *Antonius* (in bibliotheca hispan. veteri) chronicon Hispaniae ab a. 672-866, quod *Sandoual* nomine *Sebastiani*, episcopi salmantic. edidit in collectione chronicorum Hispan. *Pampilonae* 1615 fol. (Nempe regis iussu forte episcopus scripsit.) *Annales Bertiniani* (quia isto in monasterio inuenti,) sunt plurium auctorum, (v. abbatis *le Boeuf* examen criticum, et episcopi de la *Ravalliere* 2 epistolas, a. 1737. 1738; qui partem istam ab a. 836-861 *Prudentio*, trecensi, tribuunt;) post *du Chesne* edidit *Muratorius*, cum additione ad annum 900, inter scriptores *rerum italicarum*; magno vsui sunt isti annales, qui e. c. *Carolum* caluum, non adeo male pingunt, ac solent *Fuldenses*. Annales isti, ful-

fuldenses, sic dicuntur, quia a *Fuldensi* monacho haud dubie collecti fuerunt; ab a. 714 ad a. 887; pars posterior est melior priori; ea additio, ad annum vsque 900, quam *Freherus* adiecit, pertinebat ad *bertinianos;* meliorem edidit additionem ad a. 887 *Lambecius.* Annales *Metenses*, quorum auctor videtur monachus S. *Arnulfi* metensis, pertingunt ab initio francicae monarchiae vsque ad a. 903; ab a. 814, (hoc ex *Eginhardo* obitum Caroli describit) vsque ad a. 837 fere est ex *Bertinianis;* porro saepe ex *Reginone*, *prumiensi;* alia sunt in *corporibus* historicis maioribus *Martenii et Durandi*, *Labbei* bibliotheca nova &c. (Attigimus quaedam scitu necessaria in Versuch über die Quellen der mittlern Zeit.) *Erchampertus*, Herempertus, Longobardus, monachus cassin. scripsit chronicon seu *historiam Longobardorum* ad a. 888. cuius tantum *epitome* excusa est, post Caracciolum, ab *Eccardo* in corpore histor. medii aeui, *Burmanno* in thesauro antiquit. Italiae &c. *Muratorio* inter scriptores italic. rerum. *Asserii* meneuensis, historia de rebus gestis *Alfredi* regis, aliquoties edita; *annales* a Iul. Caesare, (a *Thom. Gale* editi inter scriptores rerum anglic.) ex his *Marianus Scotus* non raro descripsit. *Guilielmo* eccles. rom. bibliothecario tribuunt quidam vitas aliquot pontificum romanorum, in Anastasii opere. *Regino*, prumiensis ab a. 892 abbas, monachorum inuidia post septennium deiectus; eius chronicon, ad a. 907 pertingens libris 2; appendix ad a. 972 est recentioris. scripsit et *de disciplina ecclesiastica* et religione christiana, libros 2, quos *Baluzius* optime edidit, post *Hildebrandum;* aucta huius appendice. Auctor anonymus *gestorum Normanorum*, ab a. 837-896 inter scriptores rerum normannicarum editus est a *du Chesnio.*

Addimus de *Dungalo;* incertum est, e qua gente ortus fuerit; quidam e Scotia eum in Galliam migrasse putant; nec diaconi nec episcopi nomen ei iure tribuitur; *reclusi* nomine vtitur; non videtur longo locorum interuallo vixisse

vixiſſe a monaſterio *Dionyſii*, cuius abbatem *Waldonem* Carolus a. 811 iuſſit a *Dungalo* requirere explicationem duarum ſolis eclipſium, anni 810, qua de re *Dungali* ſatis verboſa *epiſtola a Dacherio* in ſpicilegio ſeruata eſt, per *Mabillonium* reperta. Maioris momenti eſt opuſculum ſeu *Reſponſa* aduerſus *Claudii*, taurinenſis apologeticum; inſcripſit *Ludouico* pio, et filio *Lothario*. Exſtat in bibliotheca patrum lugdun. tomo 14 pag. 199 ſeqq. — de hac *imaginum* pictarum ratione, diligentius *ante biennium*, vt reor, apud principes habita eſt quaeſtio *in palatio* — definitum eſt: vt nemo angelis, aut ſanctis, aut eorum imaginibus diuinum poſſit honorem deferre; neque etiam *deſtruere*, *delere*, *deſpicere*, abominari praeſumat. Iocus *Gregorii* ad *Serenum*, maſſil ep. e libro 9, ep. 9. Alia teſtimonia e patribus, e quibus pateat, quod picturas ſacras amarint; exempla *translatarum reliquiarum*. Non vnum et eumdem eſſe ſignificatum ſemper verborum *adorare*, *colere*. De *cruce*, ſimiliter multa collegit; vetus diſtichon: *reſpice diſtinctis quadratum partibus orbem; vt ſignum fidei cuncta tenere probet*. De *memoriis* SS. et praecipue *Petri*. Multa carmina ex *Paulino*, *Prudentio* &c. — *Claudius* in *letaniis* et caeteris eccleſiae officiis nullum ſanctorum vult nominare, vel eorum celebrare anniuerſariorum feſta, ſed velut vanam obſeruationem et inutilem conſuetudinem *omnia praetermittit*. — *renuit ad conuentum* recurrere *epiſcoporum*, *vocans illorum ſynodum* congregationem aſinorum. Finis: haec pauca de ſanctis libris adſumens collegi, ſi neceſſe fuerit, ad reſiſtendum diabolo, his alia, Chriſto opitulante, prout ipſe dederit, adiuncturus.

2. Sub orientem ſolem.

Eruditionis conditionem *inter Graecos* non fuiſſe omnino abiectam aut impeditam, facile eruditorum virorum praeclaris exemplis, et litterarum monumentis patet, quae

ita

ita sunt comparata, vt cum Graecorum scribendi genere, atque ingenio culto, vix e tot *latinis* scriptoribus vnus comparari suo iure possit; licet varia opportunitate externa, monasteriorum ditissimorum multitudine certe, superiores fere essent latini. Narrat *Ioh. Zonaras* annal. libro 16. n. 4. *Bardae*, qui Michaelem regebat, hoc fuisse meritum, quod studiorum promouendorum diligentem curam haberit; antea enim *philosophiam* fere omnino extinctam fuisse, ἀλογια των κρατουντων. *Bardam* vero disciplinae vnicuique scholas (apud *Magnauram*, addit Constantin. porphyrog.) distribuisse, magistros designasse, publicis stipendiis; cunctis praefecisse celeberrimum Philosophum *Leonem*, qui iam sub *Theophilo* in magno honore fuit, ab alio (discipulo), *Geometriae* perito, qui inter *Saracenos* captiuus mathematicam docuerat, Saracenorum principi commendatus, atque ab hoc humanissime inuitatus; inde *Thessalonicae* episcopus factus, sed cum aliis iconomachis fede sua post *Theophili* mortem, priuatus. Nomina doctorum recensuit *Constantin.* porphyrog. *geometriae*, praefuit Theodorus; *Astronomiae*, Theodegius; graecae linguae alius. *Bardus* ipse scholas inuisit, et discipulorum animos confirmauit. Similia *Cedrenus* habet. Idem *Zonar.* libro XV, cum de *Theophili* nuptiis narraret, scribit, n. 25, multas conquisitas fuisse virgines, atque eas inter et *Icasiam*, quae monasterium condiderit, et litterarum studiis ita dederit operam, vt etiam συγγραμματα eius, tam ob εὐπαιδευσιαν, quam ob χαριτας in honore fuerint. Sed, quantum bonae litterae floruerint, licet multo luculentius ex *Photii* vel vnius scriptis colligere. Nec vero *poeseos* nihil floruit, licet non accedat ad veterum laudem.

E *scriptoribus Graecis* potiores tantum recensebimus; nec enim operae est, *Fabricii bibliothecam*, *Hankium* (de byzantin. rerum scriptoribus) *Oudinum* &c. exscribere. De *Nicephori* patriarchae Cpolitani, scriptis tam editis quam excusis, dissertationem dedit *Oudin.* tom. 2 p. 2 seq.

p. 2 seq. A Sede patriarchali, ob imaginum defensionem, quas imperator *Leo*, Armenus, prohibebat, per imper. deiectus fuit 815. Scripsit ἱστορίαν συντομον, a *Mauritii* caede ad a. 769. *Chronologiam* eius edidit *Goar* (exstat in corpore *byzantino*,) Codices msti solent varie continuati esse. Στιχομετρια seu indiculus librorum canonicorum, ecclesiasticorum, apocryphorum, addito στιχων numero, solet annexa esse chronographiae, sed *sine nomine Nicephori*; itaque multi tribuebant alii auctori eius temporis; sed satis iam videtur constare, quod huius sit. Opuscula 4 aduersus iconomachos edidit ex *Turriani* translatione *Canisius*; διαλεξιν, seu disputationem cum *Leone*, Armeno, edidit *Combefisius* in origin. Cpolit. *Epistola* verbosa ad papam *Leonem*, est ex more, (quem *Nicephorus* imperator, quoad vixit, valere non passus est,) cum sedem patriarch. adiisset; *Canones* breues 17, (in iure graeco romano, et in concil.) canones alios 37 edidit in *monum.* eccles. graecae *Cotelerius*, tomo 3; ibidem etiam *epistola* habetur, qua respondet ad quaestiones 12 de re canonica; (tribuitur rectius *Theodoro* studitae.) *Vita Ioh.* ieiunatoris nondum excusa. Sed longe plura peti possunt, tum de hoc auctore, tum ad rem et caussam iconomachorum pertinentia, *e conspectu* operum S. *Nicephori*, cum notis et dissertatt. 8. Anselmi *Bandurii*, parisi. 1705. 12 (est in bibliotheca graecae, *Fabricii* recusus, tomo 6, pag. 640-683. Vita *Nicephori* exstat in *Bolland.* opere, ad d. 13 Martii. *Theodorus*, studites dictus, (frater *Iosephi*, qui ep. Thessalon. sed vix per annum fuit, ob studia atrocia in imagines;) monachorum insanorum quasi stator et heros maximus; post edita sacrae insaniae et malitiae multa documenta erro et exul mortuus a. 826. Eius supersunt *sermones catechetici* 134, latine editi per Liuineium; eos recenset *Fabricius* volum. 12 p. 375 seqq. *testamentum*, ad discipulos edidit *Tollius* inter insignia itineris italici; antea aliquoties *latine* excusum; ineptum atque fatuum hominem prodit, insanientem in imagines. aliquot *sermones*,

pro

pro imaginibus, in S. crucem, de vita S. *Platonis*, (praeceptoris,) *epistolas* plures, mediocris omnes ingenii, *Baronius* annalibus inseruit; e *bibliotheca coisliniana* catalogus longior peti potest; *Sirmondus* vix-partem epistolarum dimidiam edidit, (vid. tomum 5 operum *Sirmondi* edit. venetae;) et multas laceras. Praefixa est huic tomo 5 longa praefatio in laudem *Theodori*, atque in quaedam eius ex epistolis loca memorabilia. Negat Iconomachorum eucharistiam veram esse; esse haereticum panem, non corpus Christi; professionem monasticam sacramentis annumerat; *sex* recenset; (de quo numero *Allatius* pluribus, lib. 3. de eccles. or. et occid. perpetua consensione, c. 16.) Annuit, e coniugio in monasterium secedere licere, vel sine venia alterius partis; synodum πενθεκτην eximie laudat; contra synodum *nicaenam* 2, quia indulgebat, exhaereticos in gradum restitui, vehementissime scribit, lib. 1. ep. 38. ad Arsenium, hanc ob rem eum iam *Baronius* notabat, ad a. 787 n. 63, atque vel confictam putabat epistolam; hic plura narrantur, quae ad historiam auctoritatis huius concilii pertinent. De *absolutione* per epistolam (ad Lucianum monachum) missa, admonetur: non esse sacramentalem illam, a peccatis, sed a poenis; (vidimus tamen *epistolarem* absolutionem inter *Hincmari* excerpta, p.) *Baptismum*, si aqua deesset, etiam *per arenam* olim, atque alio etiam modo, impertitum fuisse, lib. 2. ep. 157. de *arenae* baptismo narratur in *prato* spirituali c. 176. Obscura est eius disciplina de phrasium ambiguarum, et *mentis restrictionum*, usu; lib. 2. ep. 39; *Augustinus* ei contraria decreuit, de *mendacio* c. 6 et 7. (ne quidem ob vitae aut pudicitiae periculum licere.) Sequitur praefationem *chronica synopsis*, ordine annorum digerens acta, scripta, epistolas *Theodori*; porro *testimonia* de Theodoro; *Elenchus* omnium operum eius, quorum mentionem faciunt siue *Michael*, monachus in eius vita, siue ipse *Theodorus*, siue alii, etiam *canones* seu cantica insunt; multa sunt inedita; in hoc volumine habentur: vita Theodori per discipulum

Mi-

Michaelem; teſtamentum; *Antirrhetici* contra Iconomachos tres. Confutatio *poematum* iconomachorum. *Quaeſtiones* iis propoſitae; capita 7 aduerſus iconomach. Epiſtola ad *Platonem*, de cultu imaginum SS. Epiſtolarum libri 2. verſus iambici. Ex teſtamento, de ſtatu rei monaſticae licet accuratius arbitrari. *Antirrhetici* conſtant (libro 1) dialogo, inter orthod. et Haereticum. Vnum eſt quod adoratur, natura diuinitatis, licet ſint *tria*, quae hypoſtat. proprietatibus intelliguntur. — Chriſtus non ſuſcepit τινὰ ἀνθρωπον, ſed τον καθ' ὁλȣ, ὁλην φυσιν, in indiuiduo tamen ſpectatam. (in codice regio male *plane contrarium* exſtat;) Chriſtus factus eſt ὑλη aut caro — In ſacra coena quomodo appellas, quae a ſacerdote tractantur, *imaginem?* blasphemas; ergo ἀληθιαν, ipſum corpus &c. — patres iubent, κρατεισθαι προς την λογικην ΑΠΟΔΕΙΣΙΝ — ſi quis anagogen, quae fit per imagines, dicat tantum conuenire imperitis, et humi repentibus, haereticus eſt — multa, quae explicite non exſtant in ſcriptura ſ. a patribus vſurpata ſunt, quia ἰσοδυναμȣσι τοις γεγραμμενοις, e. c. conſubſtantialis, quod Spiritus ſ. *deus*, deipara; ergo, etiamſi ſcriptum non ſit, Chriſtum eſſe archetypon ſuae imaginis — Citat ex *apocalypſi* multa. — Liber 2 conſtat variis *ſyllogiſmis*, quibus reſpondet. — multa de Chriſto, quod non (hic) adſumſerit τον καθ' ὁλȣ hominem — τα ὁμοειδη ἑν ἐςι κατ' ȣσιαν, hypoſtatice autem diſcernuntur. Multa maxime ſubtiliter reperta. Inter *carmina* etiam tales *figurae*, vt apud *Rabanum*, de laudibus crucis, mirae ineptiae occurrunt. — pag. 172 *Cyrillus* ὑποςασιν alibi pro *natura*, alibi pro perſona ſumſit. Epiſtola 13, de cura *inſepultorum*; vt fratres eos ſepeliant in ſuis conditoriis, et quotannis in indictionis initio, *memoriam omnium ſepultorum* in commune celebrent, cum *agape* corporeae refectionis — fratrem delinquentem praepoſitus puniat, aut abſtinentia *a vino* per triduum, aut mulctet eum vno argenteo. pag. 206 ad aliquem κιονιτην: narrant, te *pinxiſſe angelos crucifixos* in feneſtris, (φεγγιοις,) Chri-

Christum vero ipsum et angelos γηραλεος. p. 209 ad Nicephor. imperat. dixit aliquis, te sacram *Demetrii* martyris imaginem in filii tui baptismo loco *susceptoris* adhibuisse, *o fidem magnam! talem non inueni in Israel;* tu certas cum centurione illo. Martyr ille imagini suae spiritu praesens fuit, infantem suscipiens. (Ex talibus demum perspicimus iconodulon insana studia!) *Leoni* ἰσαγγελῳ, romano episcopo — *Basilio*, praep. et archimandr. *Romae*, vt apud papam *adiuuet* ecclesiam orientalem (nempe, vt iam olim fiebat, ἀποσχισαι *Romae* auctoritatem praecipuam tribuebant,) p. 262 exstat *clauis* ad reperienda nomina eorum, de quibus in epistolis scribitur; ordine alphab. α, patris nostri; β, aepiscopi. γ Calogeri &c. ω, meum nomen; ergo arcano modo scripsit. Sed ista specimina sufficiunt, vt de indole auctoris et scriptionum arbitrari quis possit. E discipulis *Theodori* celebris fuit *Naucratius*, imaginibus non minus deuotus, atque ideo saepe in carcerem missus, itaque et istius variis epistolis confirmatus. Scripsit ipse *epistolam*, seu satis longum libellum ad fratres, eiusdem ingenii ignaui homines; eam *latine* post *Combefisium* in bibliotheca patrum legere licet; *graece* exstat in *lipsiensi Paulina* bibliotheca, sed est eius indolis, vt *Caue*, qui eam inde descriptam habuit, operae vix pretium putarit, vel exordium edere; tam abiecte homo scribit, et *Theodori* obitum misere dolet. Ad huius caussae turpes fautores et heroes etiam pertinet *Theodorus*, γεραπτος, (eodem fato et elogio frater eius vtitur) a *Thoma*, patriarcha Hieros. imaginum defendendarum causa Cpolin missus sub 810, *Leonem* armen. satis impudenter reprehendit, flagellis et exilio ideo traditus. Idem, fortuna non dissimili, apud Michaelem egit; et cum nondum ineptire (*Cauei* est oratio) desisteret, a *Theophilo* in insulam Aphusiam deportatus fuit; post biennium, nouis flagris non emendatus, aliorsum missus fuit. Scripsit ipse de ista sua et fratris historia, quam sub *Theophilo* experti sunt, *Epistolam* ad *Iohannem*, *Cyzicenum* ep. edidit

eam *Combefiſius* et *Allatius* (contra *Creyghtonum*), mstus etiam ſupereſt libellus de fide orthodoxa, contra iconomachos, (niſi eſt *ſtuditae*.) *Theophanes*, eius frater, poſt multas aerumnas, rebus mutatis, tandem nicaenus aep. a. 845, ſcripſit *canonem* ſeu hymnum, in fratrem, qui *Menaeo* graeco d. 27 Decemb. inſertus eſt. *Sergius* (ob imaginum ſtudia a *Photio* confeſſor dictus,) ſcripſerat hiſtoriam σηλιτευτικην aduerſus Iconomachos, ab a. 821, de qua *Photii* biblioth. cod. 67 narrat; ſed nihil ſupereſt. *Theoſterictus*, ſcripſit *Nicetae*, magiſtri, vitam, qui imaginum amore et ipſe meruit *confeſſoris* nomen; habetur in actis SS. *Bollandiſtarum* ad calcem April. tomi 1. *Michael*, presbyter, et patriarch. Hieroſol. Syncellus, poſtea praefectus monaſterii Cpoli, fuit et ipſe ex hereibus iconodulis; ſcripſit encomium S. *Dionyſii* areopag. encomium in angelos et archangelos; vitam *Theodori*, ſtuditae; alia quaedam adhuc msta recenſet *Lambecius* in bibl. vindobon. *Chriſtophorus*, patriarcha alex. cum *Iobo*, antioch. et *Baſilio*, hieroſ. ſcripſit celebrem iſtam epiſtolam pro imaginibus ad imp. *Theophilum*, quae in *Combefiſii* manip. Cpolit. et *Damaſceni* (cui alicubi tribuitur) noua editione eſt; *paraeneſin* de vita humana, quam edidit *Fabricius* in bibl. graeca volum. 12. p. 656. *Caue* ſcribit iam ſub *Theophili* alex. nomine excuſam fuiſſe. *Methodius* poſt varia fata ob imaginum ſtudium, tandem patriarcha Cpolit. 842, reſtituit omnem ſuperſtitionem; eius fertur *Encomium Dionyſii* areop. Auctorem pleraque ſua ex *Hilduini*. areopagiticis ſumſiſſe putant *Launoius*, *Sirmondus* &c. quaedam orationes, homiliae, quae antiquiori *Methodio* falſo tribuuntur, huius potius ſunt iunioris; huius etiam omnino ſunt iſtae *reuelationes* (ſeu *Homilia* verius,) in orthodoxographis, quia multa de Turcis inſunt; hic autor cum ex *Sicilia* fuerit, et Romae aliquamdiu vixerit, *latinam* et *graecam* linguam calluit. Iſtae reuelationes forte a *Mich. Pſello* graece translatae et continuatae ad finem ſeculi XI. (itaque quidam ſolent *chronicon* Methodii nomi-

nominare;) *canones* poenitentiales, de iis, qui *abnegarunt*, edid. *Goar* in Euchologio; quaedam alia in mstis habentur; minoris adhuc momenti. *Ignatii*, qui post *Methodium*, patr. constantin. factus fuit a. 847, vix supersunt *epistolae* quaedam, latine; ad *Nicolaum* papam, vna; altera ad *Hadrianum*. *Photius* ille et genere et doctrina et magnis rebus aduersus romanos, *Nicolaum* praecipue, susceptis, prae aliis patriarch. Cpolit. celeberrimus, a. 858 *Ignatio* deiecto successor electus fuit; in eamdem sedem, post mortuum *Ignatium*, honorifice restitutus 878, a. 886 iterum in monasterium relegatus. Eius scripta, e quibus hominis et eruditio et summa diligentia luculenter patet, longo ordine recensuit *Fabricius* in bibl. graeca volum. 9. p. 375 seqq. Nos potiora tantum hic *designabimus*. Μυριοβιβλον; 280 codices complexum, pars tamen tantum maioris haud dubie corporis; in his plurima nobis seruauit, quae interciderunt. *Epistolas* 248 edidit *Montacutius*, et 5, de rebus in iure canonico orientali dubiis; quaedam aliae desunt huic collectioni. *Nomocanon*, seu e legibus imperial. et ecclesiasticis tituli 14; optime exstat in *Iustelli* iun. *bibliotheca* iuris canonici, tomo 2. *Epistola* de *officio principis* continet simul *libellum de synodis*, saepe editum; *latine* habentur in *Canisii* lectionibus antiquis tomo 2 edit. noua parte 2, de voluntatibus, quae in Christo dicuntur *gnomicae*, de diuinitate et incarnatione, ex *Turriani* translatione; *graeca* habentur in bibliotheca *Vindobon*. *Quaestiones* ac dubia ad *Amphilochium*, cyzici metrop. edidit *Wolfius*, in append. ad *curas;* idem *Wolfius* in anecdotis edidit *Photii* libros 4 contra Manichaeos, quos olim quidam *Metrophani*, aep. smyrnensi tribuerant. *Commentarius* in Pauli epistolas supereſt Mstus in Anglia, sed mutilus; ex hoc multa *Oecumenius* desumsit. Inter Msta etiam exstat *de processione Spiritus s.* de *Episcopis et metropolitis*, quaestiones 10, contra *Latinos; Epitome* actorum concil. 7 generalium. *Synopsis* κατηγοριων Aristotelis; *Symbolum*

fidei pro iis, qui ordinantur Episcopi; Historica synopsis ad *Leonem* imperat. *Lexicon* seu *Etymologicon* et quaedam alia; plures *homiliae* etiam, nondum editae. Apud *Armenos* habetur *Photii* Epistola ad *Zachariam* armen. patriarcham; e qua *Galanus* quaedam descripsit. Videtur hic, cum quaestionum *Photii* ad *Amphilochium* facta fuit mentio, commode adiungi, quod *Oudinus* tomo 2 commentar. pag. 216 seqq. inseruit *dissertationem* de operibus *Amphilochii*, iconiensis episcopi (seculi 4) nomine impressis, *quae omnia* ad hunc iuniorem Amphilochium, *Photii* aequalem, spectare videntur. Ad Epistolam synodicam, quam inter monumeta eccles. graecae ediderat tomo 2, iam *Cotelerius* scripserat, forte *vnicum hanc genuinum* supereſſe opusculum; hic *Oudinus* plura pag. 228 attulit, de consuetudine *Eucharistiam* cum mortuis sepeliendi. *Theognostus*, qui pro caussa *Ignatii* Romae aliquot annis haesit, contra imperatorem *Michaelem* a papa defensus; supereſt mediocris scriptio historica, *de causa Ignatii*, in conciliis edita. *Metrophanes*, cuius mater olim *Methodium* patr. stupri accusauerat, *Smyrnae* metropolita, *Ignatium* strenue defendit; supereſt eius *Epistola* ad *Manuelem* Patricium, de rebus *Photii* ab a. 858-870. Eius nomine olim falso quaedam inscripta, quae *Photii* haud dubie sunt. *Basilii*, (qui a patria *Macedo* dictus fuit, inter principes bonos referendus, modo a caede Michaelis abstinuerat;) supersunt *capita exhortatoria* 66 ad *Leonem* fil. aliquot *orationes* et *allocutiones* ad synodum. *Menologium* istud celeberrimum, quod solebat ad hunc *Basilium*, ad iuniorem seculi XI. alii meliori iure, retulerunt; vid. *Fabricium* volum. 12. *Oudin* tomo 2. pag. 533. *Theodorus* Abucara, (aep. Cariae,) a *Photio* a. 867 cum *Zacharia*, chalced. ad *Ludouicum* imper. missus, vt contra *Nicolaum* papam rem ageret, sed a Basilio maced. ex itinere reuocatus, in concilio 869 libello supplici edito, ab *Ignatio* in communionem receptus fuit. Eius *opuscula* pleraque edidit *Iac. Gretser* cum *Anastasii* ὁδηγῷ, 1606. 4.

Ingolst.

Ingolst. De filio ὁμοσιω contra *Saracenos* graece dedit *Cotelerius* in notis ad constitut. apost. libro 5. tractatum de vnione et incarnatione, *Andr. Arnoldus* cum Athanasii syntagmate, aliae partes etiam ab aliis editae. *Gretserus* edidit opuscula 42, quae tomo operum eiusdem XV. pag. 343 seqq. habentur, edition. *ratisbon.* 1741. fol. *Gretserus* eximie laudabat; *dialogus* de 5 inimicis, a quibus nos Christus homo factus liberauit — homo, qui liber erat, *vendidit se* inimico — eum Christus ἐδελεασεν, quem iniuste occidebat; sic nos liberauit Christi iustitia; (quod illustrat ficta quadam similitudine — dominus quasi dicit, nolui *ius immutare*; sed cum filium meum occideris, iure optimo te et tuos seruos capio, sed nec sic το πολλοστον τε χρεως recupero; quid enim tu efficias ἀνταξιον μιας ρανιδος regii sanguinis? Haec idea *redemtionis* est antiquissima et longo tempore durauit.) Quinque inimici, mors, diabolus, legis maledictum, peccatum, infernus. — Christus mortuus est, *vt liceret Deo*, ινα ἐξη, nobis fauere — Peccatum est ἀποτυχια, ἀσοχια τε σκοπε. — Fieri non poterat, vt Christus *cum carne* peregrinaretur ἐν Ἀδε, anima eius ad istas animas profecta lumen diuinitatis eis intulit, atque eas, quae crediderunt, in paradisum transtulit. *Explicatio vocum*, quibus vtuntur philosophi; et confutatio *Acephalorum Seuerianorum*, seu *Iacobitarum*. Necessaria est harum vocum expositio; *philosophicae*, ὐσια, ζωον, homo, Petrus; λογικον, genus, species, natura, substantia, indiuiduum, hypostasis, persona — nomen θεος, ἀνθρωπος, non significat hypostasin — subtilissimae disputationes, vt in *scholasticis* postea latinis, hic occurrunt — nos orthodoxi dicimus, την ὐσιαν patris esse ἀυτον τον πατερα. (*Gretserus:* pater et substantia patris sunt vna simpliciss. res; sed propter infinitatem suam duabus realiter distinctis aequiualens; quae aequiualentia fundans virtualem distinctionem, facit, vt aliquid de paternitate, seu actu notionali patris affirmari queat, quod non potest affirmari de substantia seu essentia

patris, et vice versa. Liceat fateri, parum interesse ista intelligendi exercitia ad christianam religionem; liberum tamen est, si quis vel amare ista velit; modo non dicat, esse summa mysteria, ne risui rem nostram christianam exponat.) — κοινον πραγμα, quod est ἀσωματον, humanam substantiam, assumsit: tamen non negamus, filium aeternum σωματοθηναι et ἐνανθρωπησαι. necesse est, vt dicamus φυσιν nec κοινην nec μερικην, sicut Seueriani volunt: sed κοινον πραγμα, ne dicant Christum ergo esse omnes hypostases diuinas, aut duas esse in Christo hypostases; sed spectatur et reperitur ὁλικως in vnaquaque των ἑαυτῳ (πραγματος κοινῳ) ὑποστασεων. de *composita* hypostasi, quo sensu dicendum sit; tam ex diuinit. et humanitate, quam ex anima et corpore. Ad praefectum τῳ δρομῳ Εμεσης, demonstratio, quod deus exsistat; dialogus. Numerus (hominum) occupat initium; est ergo creator hominis. Terra non desineret deorsum ferri, nisi obstaret vis quaedam — Quod deus habeat filium. Aliud est videns, cognoscens, aliud, quod cognoscitur. Deus est ex toto simplex; quod ex partibus compositum est, potest ex parte videre, ex alia videri; hoc in deum non cadit; sed nec se ipsum ignorat. Manens igitur in ἁπλοτητι quomodo se ipsum cognoscit? E *quinque* modis omnis cognitionis, (ex propria ὑπαρξει, ex simili, vestigio, imagine, contrario;) deo tantum conuenit, ex simili; necesse est esse aliquem κατα παντα ὁμοιον. Sed, esse *filium*? ea, quae apud nos sunt nobiliora, deo tribuimus, remotis sequioribus; (via negationis, &c.) *gignere* est nobilius, quam sterilem esse. Sed cur non *multos* genuit? quia si vnus perfectus est, aliis non opus est. — υἱος μεσιτευει, nihil enim per se facit rex, sed iubendo; per filium igitur dat regni thesaurum, *spiritum sanctum*; ergo et hoc opus est; filius non est *dator et datum*. Sic est regnum perfectum; atque oportebat esse *aeternum* hoc regnum. Epistola *fidem* orthodoxam continens, missa a *Thoma*, Hieros. ad Haereticos in Armenia; *arabice* dictata a *Theodoro*, ep. Ca-

rum

rum, a *Michaele* vero presbytero et syncello Hieros. graece μεταφραθεισα. copiose ad 2 naturas Christi declarandas; — natura ea, qua pater et filius aequales sunt, vtrum est κοινη, an ἰδικη? — φυσις semper stetit in eadem ἑνοδι. — vere dicimus, pag. 377, aeternum filium esuriisse, *eius faciem* percussam, *eius manus* confixas (nempe, *dicimus*, sic loquimur, si quidem volumus et vtile putamus;) — quando *voluit* aeternus hic fil. esurire (ἠθελεν, falso in versione, *noluit)* sinebat carnem suam excipere vim aeris — voluntate enim libera, non necessitate naturali esuriuit — Adam, post lapsum, *cogebatur* esurire, sitire, (quasi antea non; quae est satis incerta descriptio.) — corpus Christi, statim ab initio vnionis hypost. perfectissime ἐθεωθη, καὶ γεγονεν ἀτρεπτως ὡσπερ το χρισαν, atque audeo dicere, ἐμοθεον; sed filius dei concessit ei volens, degere vitam more hominum, *vt diabolum lateret* pag. 382, quomodo καθαρσις ad omnes peruenit per incarnat. Christi? Si semen peponis, tinctum melle, seras, transire dulcedinem in fructus; sic Christus natura purgata a peccato per *sanctum baptisma*, (legendum omnino πνευματος, loco βαπτισματος) eam resumsit, eaque tincta melle diuinitatis nos etiam participes mellis fecit, quasi per traducem; κατα διαδοχην. — p. 385, Interrogatio *Arabum* contra Christianum — dissertatio cum *Iudaeo;* — cum *Nestoriano;* p. 393 per *aquam* ex latere Christi, quae in elementa resoluta est, baptizauit Christus omnes fideles, qui iam diu mortui et in elementa soluti erant, quorum animae crediderunt Christo in inferno; p. 395 dicit Barbarus, *sarac.* in Euangeliis exstitit de *Mohammede* testimonium, sed christiani expunxistis. p. 396, legatur συγγνωμη της Σαισα, (i. *Surata)* p. 401. Spiritus s. ἐπικλησεα sacerdotis descendit, et diuinitate sua *mutat panem et vinum* in corpus et sanguinem Christi, non minus, quam hepar cibum in corpus hominis. an non *potest* Spiritus s. quod hepar tuum potest? *Vnam vxorem* melius conducere ad multos liberos, quam multas simul. p. 604 quod

pater semper generat, filius semper generatur, (tribuitur etiam *Theodoro Raithu;*) sequuntur similia opuscula seu scriptiones paruae; p. 425 θεος cum articulo, est *pater*; sine articulo θεος est filius, nisi oratio, quae praecessit, sit de filio; tunc enim articulus refertur ad filium, tamquam ad prius cognitam personam, vt Rom. 9, 5. *Petrus*, Siculus, quo *Basilius* imperator legato ad Armenos vsus fuit, scripsit *historiam de ortu, progressu et occasu Manichaeorum*, a *Radero* graec. lat. editam 1604 Ingolst. 4. sed ea poterat non parum emendari ex codice Msto, vt notauit *Lambecius;* cum ea etiam confer. *formula recipiendorum Manichaeorum*, quam edidit *Tollius* inter insignia itinerarii italici pag. 126-177. Multa in *Petri* hac historia conueniunt omnino cum *Photii* libris contra Manichaeos; multa etiam in hac *Tollii* formula occurrunt istis simillima; non pauca fabulis et fictionibus propiora, quam historiae; lux non exigua ad varias res ecclesiasticas hinc peti potest. *Michael Psellus*, doctiss. philosophus hoc seculo floruit; sed scripta quae isto nomine habentur, fere iunioris sunt auctoris, seculi XI. e. c. paraphrasis in multos libros *Aristotelis;* dial. de operationibus daemonum &c. vid. *Allatius* in diatribe de *Psellis*, quam *Fabricius* recudit volum. 5 biblioth. graecae. *Stylianus*, neoc. in Euphratesia metropolita, supersunt eius 2 epistolae ad papam *Stephanum;* eodem nomine insignitur *de proprietatibus S. Trinitatis*, quam edidit *Montfauc.* in biblioth. *Coislin.* pag. 88. In ea similiter, vt olim *Cyrillus* scribit: *quid noui* atque *admirandi* esset, (παραδοξον) si diuinae personae perinde ac nostrae ἑνωσιν et χωρισμον admitterent? si enim soli *naturae* daremus το ἑι, hypostasibus autem τα τρια, res similiter haberet ac voluntas et consensio trium hominum. *Montfaucon* eumdem esse putat. *Michael*, monachus, presbyter, syncellus *Ignatii* Cpol. (alius ab antiquiori, qui post seculi initium vixit, auctor vitae *Theodori* studitae) auctor *encomii* in *Ignatium*, patriarcham, qui 878 mortuus est; item in apost. Philippum. *Ignatii* huius vitam

tam etiam scripsit *Nicetas* Dauid, Paphlago, cuius nomine et oratio in Archang. *Michael* et *Gabriel* edita est a *Possino* 1637. 8 vt *Oudin* narrat; qualem orationem etiam *Michael* monachus scripsisse fertur, initium: το σωμα μου &c. In omnes apostolos, Marcum, *Theclam* &c. laudationes, a *Niceta* isto scriptas, edidit *Combefisius* in auctario nouiss. alias *orationes* recenset *Lambecius*. Commentarius in *Gregorii* nazianz. tetrasticha et monosticha est *Nicetae* alius, seculi XI. Huius seculi est etiam *libellus Synodicus*, qui breuem historiam conciliorum general. et minorum complectitur; aliquoties editus, (post *Ioh. Pappum* argentor. 1601. 4) in conciliis *Labbei*, *Harduini*, in biblioth. graeca *Fabricii* vol. XI. *Elias*, Hierosolym. patriarch. *Theodosii* syncellus, scripsit *Epistolam* ad Carol. caluum, episcopos principes et nobiles Galliae 881, in qua patriarchae nomen sibi tribuit: queritur de calamitatibus, quas sub *Saracenis* patiantur — diuina prouidentia gestum est, vt *princeps huius climatis christianus factus*, ecclesias reaedificari iusserit — desunt nobis sumtus, licet vineam, oliueta et vasa sacra oppignerauerimus — rogat itaque largas eleemosynas. Missi nominantur *Gispertus* et *Rainardus*, monachi (haud dubie *Franci*.) Ista epistola videtur subleste esse fidei. Eam edidit *Dacheri*; alia, non dissimilis, pro *Malaceno* episcopo, est ap. *Mabillonium* in analectis; alia ad *Photium* apud Harduin. *Leo*, Basilii ex Eudocia filius, (alii e furtiuo concubitu Michaelis dicunt ex Eudocia genitum,) ab a. 886 imperator, *Philosophi* nomine ornatus, eius scripta copiosius recenset *Fabricius* volum. 6. p. 362 seqq. Excusi sunt quidam λογοι, orationes, in varias festos dies, sed plures in Mstis supersunt; nam 33 in vno *vatic.* codice vidit *Baronius*. Epistola ad *Omarum*, Sarac. regem, de fidei christianae mysteriis et veritate, (in biblioth. patrum habetur.) Epistola ad omnes fideles Christi, vt recte viuant, ap. *Baronium* ad a. 911. n. 5. Oracula et vaticinia 17 de futuro statu Cpoleos, (inter *Byzantinos* ad calcem *Codini*;) ordo

thronorum, qui patriarchatui Cpolitano subsunt, (in *Leunclauii* iure graecorom. lib. 2.) Opus βασιλικων, ἑξηκονταβιβλος, omnes leges imper. graec. (edid. *Fabrotus* 1647 fol.) complexum titulis 60; προχειρον νομικον, compendium legum; titulos 28 habet *Leunclauius* ibidem. Ecloge Nouellarum Leonis, capitibus 55 exstat in bibliotheca *vindobon.* tres *Nouellae* Leonis et fratris Constantini, apud *Leunclauium;* non pauca poemata, *matutina* &c. canon catanyctícus s. compunctorius, alphabeticus; *Tactica*, seu de re militari, saepius edita. Ex orationibus pauca speciminis loco dabimus, ex *Gretseri* editione, tomo operum XV, habentur 1. in sepulturam Christi. 2. in resurrectionem Christi; 3. in adscensionem. Pentecosten; in festum palmarum; in adsumtionem Virginis; in decollationem Iohannis; 9. in omnes sanctos. Sequitur fere continuam declamationem; p. 288 recurrit ista sententia, mortem iuste damnatam, quia *iniuste* Christum aggrediebatur. p. 291 educit eos, qui in inferno fuerunt; πυλωροι ἅιδ tremunt (vt seculo 4 saepe solebant rhetoricari,) 292, mulieres propter primam parentem non velantur amplius. 295, adscendens Christus patri primitias et διαλλακτηριον offert, carnem; sic et 297; patri κομισων nostram καταλλαγην — In *Mariam* est inuenustissima rhapsodia, p. 314 *Aue* arca — mons pinguis — virga, forceps, Iesai. 6, 6. — mensa porta, palatium — ἐπισασης της ἐυλογημενης non amplius homines vinculis mortis tenentur, sed vtuntur morte quasi transitu ad vitam — arca testamenti inter Israelitas gloriae tuae imago — homines a mortis supplíciis eripis, δυσωπητα enim deus te, arcam suam — candelabrum, vrna, in qua manna, et virga, praeconium tuae virginitatis — nihil commodorum, quod te volente non suppetat — o perfugium, ancora, totum mundum in te κρατουσα et περιζωσουσα, Talia etiam in oratione in Annunciationem, atque adhuc peiora occurrunt. Ista iam peci minis loco sufficiant. *Andream*, caesareae cappadoc. aep. in hoc seculum nonum transtulit *Oudinus*, to-

mo 2.

mo 2. pag. 94 sequentibus; rationibus tamen non omnino satis luculentis vsus; licet certa aetas nondum effecta sit, in quam ille commentarius in Apocalypsin pertineat; rectius omnino videtur in serius tempus reuocari, quam in sec. 5 aut 6. In hoc idem Oudinus seculum retulit *Antipatrum* iun. bostrensem, ob homilias in Virginis solemnitates. In medium seculum similiter potius pertinet *Ignatius*, metrop. nicaenus, qui vitam *Tarasii* et *Nicephori* patriarcharum, scripsit, quam ad initium. *Iosephus* (alius a fratre *Theodori* studitae) Sceuophylax magnae ecclesiae, *hymnographus* dictus, quia multos hymnos seu *canones* scripsit; habentur in codice quodam vindobon. 48; huius vita, quam scripsit Iohannes eiusdem ecclesiae diac. ediderunt *Bollandistae* d. 3 April. *Sabas* monachus scripsit vitam S. *Ioannicii*, abbatis et anachoretae, qui in *Meneis* etiam designatur d. 4 Nouembr. De *Andrea*, hierosolymit. monacho, cretensi aep. dissertationem scripsit *Oudinus* tomo 2 pag. 176 seqq. quem *Caue* in seculum 7 retulerat, *triodii* incertam secutus auctoritatem; *Combefisius*, qui eius opera edidit paris. 1644 in seculum 8; *Oudinus* autem in hoc nonum seculum, ob *homilias*, quae seculum imaginibus deditum redolent; in Mariae natalem, annuntiationem; dormitionem &c. quibus Nicaena synodus, si exstitissent, haud dubie vsura fuerat. In auctario Combefisii 1648 quaedam aliae scriptiones huic Andreae tribuuntur, et carmina quaedam. In Homilia in circumcisionem et S. Basilium putauit se reperire indicia, ablatarum e Creta per *Theophil.* imperatorem imaginum; sententias ex Homilia in *Titum* apostolum, intelligit de Michaele porphyrog. et Theodora, non de Iustiniano 2 et Philippico; *Lambecius* diligenter collegit homilias Andreae, quae habentur in bibliotheca *vindobonensi*. *Ioannem*, aep. thessalonic. iuniorem, in hoc seculum idem *Oudinus* rerulit, qui et homilias scripsit et hymnos aliquot; quod nulla sit dissensio inter euangelistas de resurrectione domini; de dormitione et assumtione (vt *Latini* nominant,) Mariae, quam

quam ſcriptionem, ob fabularum ineptias, *Combefiſius* edere noluit; Andreas μεταξασιν cum κοιμησει coniunxit. *Epiphanii*, ſub finem ſeculi, aep. Conſtantiae in Cypro, eſt epiſtola gratulatoria ad *Ignatium* reſtitutum; et plures homiliae, quae de diuerſis argumentis ſolebant inter opera ſenioris Epiphanii ferri. *Procopii*, diaconi et chartophylacis magnae eccleſiae, recenſentur λογος in feſtum orthodoxias; encomium in Archangelos Michael et Gabriel (cuius generis iam p. 457. auctore *Michaele* presbyt. occurrebat;) in Apoſtol. Ioannem, Marcum. *Georgio*, qui e magnae eccleſiae chartophylace poſtea nicomediae aep. fuit, ad quem *Photii* illa epiſtola 24 directa eſt, plures Homilias non ſine ratione tribuit *Oudinus*, quas *Combefiſius* dederat *Georgio* Piſidae, ſeculi 7. auctori, in feſtos dies Mariae, conceptionis, praeſentationis in templo anno aetatis 3 &c. *Baſilius* aliquis ex Armeniae regione 12, ſcripſit ταξιν πρωκαθεδριας patriarcharum ſub *Baſilio*, a. 883, quae Leoni a quibusdam tributa fuit imperatori; edita eſt illa ταξις a *Beueregio* ad calcem tomi 2 concil. et canonum ab eccleſia. &c. In finem ſeculi pertinet *Nicolaus* Βεστιτωρ, qui encomia ſcripſit in ſanctos plures; in Ioachim et Annam; *Zachariam*; de reliquiis Chryſoſtomi Cpolin reportatis. *Nicephorus*, philoſ. et orator, ſcripſit encomium *Antonii*, Cauleae, patriarchae, qui 891 mortuus eſt. *Gregorius*, monachus, diſcipulus *Baſilii*, iunioris, aſcetae, ſcripſit huius vitam, quae graeca habetur in appendice tomi 3 Aprilis Bollandiſtarum; alia eius vitae recenſio ſupereſt in biblioth. *vindobonenſi*; *Nicolaus*, e myſtico, ipſe patriarcha cpolit. poſt Antonium, 895, ob *Leonis* quartas, quas pati nolebat, nuptias, ſede deiectus, poſtea reſtitutus; vixit adhuc ſeculo decimo; ſuperſunt epiſtolae 2 ad papam *Anaſtaſium* et *Iohannem* 10; decretum de litteris patriarchalibus gratis concedendis, (in iure graecorom. lib. 4. Epiſtola ad *Simeonem*, Bulgariae regem, apud *Baronium* a. 917. et aliae ad regulum *Armenorum*, Saracen. &c. *Poſſeuinus* etiam excitat explicationem in SS. loca &c.

Ta-

Tabula seculi noni.

A. Christi 801. Hegirae 185. d. 20 Ianuar. Terrae motus ingens per totam *Italiam*; itaque *Leo litanias* 3 dies, ante Adscens. instituit. *Carolus* adiicit *Longobardicis* legibns cap. 8, in praefatione vtitur formula: *consulatus nostri* primo, scil. *imperatores* graeci eodem die, quo imperium, *consulatum* perpetuum capessebant. Ludouicus *Barcinonam* eripit Mauris.

802. Hegirae 186. d. 10. Ian 187. d. 30 Decemb. Legati *Caroli* et Leonis versantur Cpoli, de matrimonio Caroli cum *Irene* acturi; rem *Aetius*, patricius, nouis rebus ipse pro fratre studens, impediit. *Irene* in monasterium detrusa, *Nicephorus* fit imperator. *Paulinus*, patriarch. aquileg. *concilium Altini* celebrat, ob interfectum a duce Veneto *gradensem* patriarcham. Fragmentum synodalis apud *Baronium*. Moritur *Paulinus*, cuius ministerio Carolus multum fuerat vsus; eius elogium histor. exstat apud *Bollandum* d. XI. Ianuar. et enumeratio epistolarum *Alcuini*, quae ad Paulinum pertinent. Hoc anno refutat *Pagi* eos, qui parisiensis *vniuersitatis* initia ad *Carolum* referunt, quae seculo demum 12 tribuenda; hoc adhuc tempore *schola* tantum ecclesiae cathedralis floruit. Synodus Caroli *aquisgranensis*, de confirmandis legibus eccles. et politicis. Hoc aut superiori anno *Ludger*, primus fit episc. monasterienſis. *Brithricus*, occid. sax. rex veneno perit; vxor in galliam fugit cum thesauris; a *Carolo* in monasterium trusa. Succedit *Egbertus*, Inae abnepos, qui in Gallia interea vixerat. *Leo* 3 omnes eccles. britannicas tandem subiicit *cantuar.* aep. *Ethelardo*. (*Primas* Angliae fit.)

803. Hegir. 188. d. 19 Dec. Moritur *Irene*, quam *Graeci* inter Sanctos colunt d. 13 Augusti. *Fortunatus*, patr. gradensis, (de *Graecis*, annal. metens. non vero Hierosolymitanus,) ad Carolum venit in *Salz*. Synodus *Ratisponensis* aduersus *Chorepiscopos*, postquam *Arno* cum Leone egerat. Moritur *Anselmus*, primus abbas *Nonantulanus*. In Synodo *Clouesshoensi* Ethelardus primatum suum exponit; paulo post mortuus; succesit ei *Wilfred*.

Leo

A. Christi
804. Hegir. 189. d. 8. Dec. Leo 3 venit in Franciam; Aquisgrani de episcopis *Istriae* actum, vt ad Gradensem prouinciam redirent, a qua ab aliquo tempore seiuncti fuerant, cum Francis Istria subiiceretur. Falsam epistolam *Liudgeri*, de multarum eccles. consecratione, indulgentiisque, per Leonem 3, atque de *canonizatione Suidberti* (ap. Baron.) refutauit *Morinus* de administrat. poenit. libro X. c. 20; inde et *Henschenius*, *Cointius*, aliique. Finis belli *saxonici*; transtulit Carolus Saxones; annal. *metenses*. *Caroli* praeceptum de scholis *Osnabrug*. graecis et latinis. Moritur *Alcuinus*. In hoc tempus pertinent *capitula* 33, de *partibus Saxoniae* constituta, edita ab *Holstenio*. Hoc anno in carta *Hartwichi*, tomo 1. Histor. treuir. diplomat. p. 154 nominantur, *libri Theodosiani* et *Hermogeniani*, seu *Papiniani*. Sed etiam sec. superiori lex *Romana* citabatur. Hoc anno moritur *Richbod*, aep. treuir. successit *Wiso*; huic post 6 annos *Amalarius*.

805. Hegir. 190. d. 17 Nou. *Aron Reschid*, hoc aut sequenti anno premit graecas ditiones; *Nicephorus* 30000 capitatos numos annuos spondet. Carolus *Slauis* bohemis bellum infert, qui *Hunos* christianos e sedibus pellebant. annal. *metenses*.

806. Hegir. 191. d. 16 Nou. *Tarasio*, Cpolit. patriarchae successit *Nicephorus*, a secretis antea; post monachus; ergo laicus, ab eius itaque communione *Plato*, *Theodorus*, (vt antea a *Tarasii*,) cum 700 fere monachis suis abstinebant. *Synodus* particularis Cpoli, in qua receptus *Iosephus*, oeconom. magnae ecclesiae, quem *Tarasius* ob conciliatnm matrimonium Constantini et Theodorae a presbyteratu deiecerat. Hanc *oeconomiam* exagitat *Theodorus* studites (*moechianos* dicit istos,) in epistolis suis saepe, adde *Goari* notas ad *Theophanem*. Carolus regnum diuidit inter 3 filios, accessit et papae subscriptio; *filiabus* liberum manet, sub cuius fratris ditione malint viuere, atque aut *in monasterio honorifice* viuere aut nubere. De hac charta *Pithoeus* sine ratione dubitabat. In *Balutio* sex capitularia ad hunc annum referuntur. Inter dissidia *Venetorum*, et Dalmatarum, expulsi duces *Ioh.* et

Mau-

A. Christi 806. *Mauricius Nicephorum* imp. auxilia rogant; aduersarii vero *Carolum*, qui Venetos in amicitiam suscepit; maritimas ciuitates Dalmatiae *Graecos* habere permisit. Redeunt legati Caroli a rege Persarum; varias *reliquias Cypriani* &c. dicuntur attulisse (*Ado*, in chronico.) *Aglabitarum* principatus in *Africa* et *Mauritania* sub hoc tempus incepit, sub finem *Aaron Reschid. Gellonense* monasterium a *Wilhelmo*, comite, fundatur, qui in eo est monachus.

807. Hegir. 192. d. 6. Nou. Eustathio alex. patr. succedit *Christophorus*, per annos 32, cuius vicem, paralysi laborantis *Petrus* aliquis suppleuit; *Eutych.* huius Epistolam seu homiliam, (*cui vita hominis similis*) edidit *Fabricius* in bibl. graeca. Eius autem tempore *Iacobitarum* patriarchae, Simon, et *Ioseph*, qui *Nubiae* regi vsum altaris portatilis concessit, *le Quien.* Saraceni *Rhodum* inuadunt; apud Corsicam a *Burchardo*, comite, superati. Venit legatus ab *Aarone* cum 2 monachis de Ierusalem, (a *Thoma*, patriarcha) ad *Carolum*, cum muneribus multis; *horologio* &c. *Eginhard* in annal. *Leo* 3 queritur (epistol. 12. 13) apud *Carolum*, de *missis* eius, quod magis damnum quam profectum ipsi faciant. *Synodus salisburg.* de *decima* fidelium, in 4 partes diuidenda. Moritur *Suibertus*, episc. verdensis.

808. Hegir. 193. d. 25. Oct. *Thomas*, patr. Hierosolym. post *Georgium*; non *Fortunatus*, vid. *le Quien* oriens christian. tom. 3. pag. 325 seqq. Succreuit porro schisma *studitarum.* Caroli filius Carolus aduersus *Godefridum*, regem Danorum, et slauos Wilzos missus; *Eardulfus*, rex Nordanhumbr. regno pulsus venit in Galliam, inde Romam; per legatos papae et *Caroli* in regnum restituitur; hanc caussam legati quidam papae non satis in Carolum reuerentes egerant, cui papa istorum *stultitiam* excusat, et a Carolo per infusionem sancti spiritus *misericordiam* sperat. Epistola Leonis 10 et 7 multa historica (sed obscurius,) ad hanc caussam anglicam continent.

Mo-

A. Chriſti 809. Hegir. 194. d. 15. Oct. Moritur *Aaron Reſchid*, eruditionis fautor eximius. Succeſſit fil. *Alamin*, *Muhammed* Abi *Muſa*; cui cum fratre bellum gerendum fuit; diuiſa tandem vis imperii muhammedici. Synodus Cpolitana aduerſus *ſtuditas* monachos; *Ioſephus*, aep. theſſalonic. *Theodorus*, ſtudita, aliique in exilium, non ſine cauſa, miſſi; de *Nicephori* exactionibus queritur *Theophanes*; Concil. *aquisgranenſe*, de ipſa proceſſione Spiritus ſ. quam quaeſtionem, mouit *Iohannes*, monach. Hieroſolym. 2 legati a Carolo ad papam miſſi; ſupereſt *epiſtola* Caroli. Moritur *Luidgerus*, ep. monaſter. eius vitam ſcripſit *Altfridus*, d. 26 Martii apud *Bollandiſtas*, et *Mabillon.* ſec. 4. parte 1; triplex ſupereſt vita. Supereſt *Luidgeri* liber de vita *Gregorii*, vltraj. in qua et de *Albrico*, *Bonifacio*. Mauri *Corſicam* inuadunt; Carolus aduerſus *Danos* meditatur ciuitatem aedificare; *Eginhardi* annal. Redit *Ludouicus* ex Hiſpania, re infecta, quod ad *Tortoſae* expugnationem attinet. (vid. hiſtoire de *Languedoc* tom. 1. p. 470 ſeqq.) *Nauigia* Carolus parare iubet contra *Normannorum* conatus.

810. Hegir. 195. d. 4. Oct. *Pippinus Venetiam* occupat; *Dalmatiam* vero claſſis graeca defendit; paulo poſt *Pippinus* moritur. *Aquisgrani Carolus* pacem cum *Saracc.* Hiſpaniae, et imper. graeco ſanxit, reddita Venetia. Danorum regi *Godefrido* ſuccedit *Hemmingus*, qui pacem cum Carolo fecit. *Ecbert*, rex Weſtſaxonum britannos aquilonares facit tributarios.

811. Hegir. 196. d. 23 Sept. *Nicephorus* imp. in praelio aduerſus Bulgaros occiſus; *Crumus* eius caput oſtentauit; ſucceſſ. *Michael*, Rhangabe, *Procopiae* Niceph. maritus. Ab huius imperio *Ioh. Scylizes*, *Curopalates*, incipit ſuam hiſtoriam. *Hatto* baſil. et alii legati Conſtpolin miſſi. Saxones e Gallia in *Nordalbingorum* terras reducti, ne locus a Barbaris inuaderetur; *Amalarius* (treuir.) ei parochiae a Carolo praepoſitus. Turbae et diſſidia inter abbatem, *Ratgarium*, et monachos *Fuldenſes*; monachorum *libellus ſupplex* apud *Browerum*, et *Mabillon.* in *annalibus* tom. 2 pag. 394 ſeqq.

Ni-

A. Christi, 812. Hegir. 197. d. 12 Sept. *Nicephorus* patr. libello oblato imperatorem excitat aduersus *Manichaeos*, *Iudaeos*, *Phrygas*; aegre tamen ei persuadet, vt occidat. Legati graeci redeunt cum Francis et pactum pacis afferunt; in quo titulus βασιλευς (Francor.) Carolo tribuitur; *Eginhard. Hariald* et *Ragenfred*, danorum reges, legatos mittunt. Hoc circiter anno Carolus encyclicas litteras ad Episcopos suos misit, de caerimoniis baptismi. Libellus seu Epistola de caerimoniis baptismi *Amalarii* treuir. exstat ap. *Honthemium* in histor. treuir. tom. 1. pag. 158 seqq. Priuilegia iis data, qui ex *Hispania* in Septimaniam concedebant; nominantur *octo comites*. Histoire de *Languedoc* tom. 1. p. 474. eadem *Ludouicus* postea confirmauit, ibid.

813. Hegir. 198. d. 1. Sept. *Michael* rebus aduersus Bulgaros male gestis throno deiectus; electo *Leone*, armeno. Hic desinit *Theophanis* chronographia, quam contin. *Leo*, grammat. *auctor* incertus; *Constantinus*, porphyrog. *Simeon*; logotheta; *Georgius*, monachus. Michael cum familia in monasterium; e filiis vnus Nicetas, in monachatu iam *Ignatii* nomen sumsit; postea patriarcha. Bulgari late omnia diripiunt; *Adrianopoli* capta aep. Manuelem captiuum abducunt. *Amalarius* treuir, et *Petrus*, abbas nonantulan. Cpolin missi a *Carolo*; qui *Ludouicum* in imperii societatem adsciuit. *Concilia* pro statu eccleſiastico, Caroli iussu, *Moguntiae*, *Remis*, *Cabillone*, *Turonis*, *Arelati*, habita; singulorum statuta in conuentu *Aquisgrani* lecta atque ex eis capitulare 46 capitum collectum. *Richardus*, aep. mog. mortuus, quem volunt attulisse ex Hispania *Isidori* Mercatoris corpusculum; ei *Heistulfus* succesſit. *Leonis* epistola 4 et 3 historicae, de rebus gestis Saracenorum, et pace, quam Patricius Siciliae cum eis fecit in annos 10. *Alamin* occisus; apud Saracenos dominium *Damasci*, *Aegypti*, *Africae* diuisum; succesſit Alamino frater Almamun. Sub hoc tempus moritur *Wilhelmus*, e duce monachus gellonensis; cuius durissima vitae consuetudo laudatur; vid. acta SS. 28 Maii et seculo 4 benedictino parte 1.

A. Christi 814. Hegir. 199. d. 21 Aug. Synodus Cpoli episcoporum 270, contra *Antonium*, metropol. *Sylaei*, qui (consentiente imperatore) imaginibus obstabat. Imperator ipse *Festo luminum* (Epiphan.) publice intermittit honorem imaginum; inde anno sequenti ipse publice adversus imagines legem tulit. Obitus *Caroli* M. qui postea etiam *sanctis* adscriptus est, vid. doctiss. *Walchii* historia canonisationis Car. magni; Ienae 1750. 8. *Legati* graeci a Francis auxilium petunt adversus *Bulgaros* (sic addit annal. *Lambecii*, licet taceat Eginhart.) *Lotharius* rex *Baioariae*, *Pippinus* Aquitaniae, renunciatus. *Adalardus* (quasi vnus ex *ignobilibus*, in *Hevi* insulam; *Paschasius*) cum propinquis aliis in exilium missus; *Wala* pulsus ex Aula in *Corbeiae* monasterio fit, ipse monachus. Floret *Elisachar*, abbas S. *Maximini*, cancellarius imperatoris. *Waltoni* abbati S. Dionysii succedit *Hilduinus*.

815. Hegir. 200. d. 11 Aug. *Romani* aduersus *Leonem* 3 tumultuantur (*Leonem* quidam interfecturi erant, annal. *Lambecii*;) nullo iudice exspectato praedia diripiunt. Cpoli *Nicephoro* patriarcha, in exilium misso, creatur *Theodotus*, Cassitera; *synodus* habita, qua Constantini copronymi synodus confirmata fuit; postea pictae ex Euangeliis et Martyriis historiae calce obductae &c. Relegantur *Nicolaus*, et *Theodorus*, studitae; (vita *Nicolai* per anonym. edita a *Combefisio* tomo 1 supplem. biblioth. patrum graecol.) *Ludouicus* bellum contra *Abulaz*, (Alhacem) suscipit. *Claudius* presbyter, floret in palatio; postea ep. turin. *Agobardus* ex chorepiscopo *Leidradi* fit aepiscopus Lugdun. de duplici genere *Chorepiscoporum* hic *Pagi* quaedam collegit.

816. Hegir. 201. d. 30. Iul Moritur *Leo* 3 sanctis etiam additus; ara certe honoratus; ei diac. successit *Stephanus* 4, qui duo menses post in *Franciam* venit ad *Ludouicum*; tribuit pallium *Theodulfo* aurelian. Sub finem anni conuentus *Aquisgrani*; libelli pro *canonicis* cap. 145, et pro *sanctimonialibus* cap. 28 hic editi. Iste libellus est *Amalarii* diac. cuius capitibus 113, hic 32 alia addita. vid. pluribus *Mabillon.* annales ad a. 817. Falso alii (P. *Damiani* et alii *Romani*)

A. Chriſti 816. *mani*) fingebant, *Ludouicum* ſic venenum addidiſſe eccleſiae, quos refutat *Pagi*; et *Mabillon* ibidem, p. 429 ſeqq. Siaui *Sorabi* repreſſi; concil. in *Catchut*, ſub Vulfredo aep. doruern. *Werdo*, abbas S. Galli obit; ſuccedit *Gozbertus*, cui conſtant. ep. *Wolfleoz* vix decani dignitatem relinquit. *Eginhard* praefectus *Fontanellae*, trium abbatiarum aliarum rector.

817. Hegirae 202. d. 20. Iul. *Stephanus* 4 romam redux moritur; cuius decretum iſtud, (romanum pontificem non ordinandum niſi coram legatis imperatoris,) celeberrimum euaſit; id *Papebroch.* Nat. *Alexander* aliique confictum putabant; *Pagi* papae *Stephano* 6 ſeu 7, tribuit. Succeſſit *Paſchalis*, qui legatione miſſa excuſauit, *ordinationem* iam peractam, apud Ludouicum, atque *precibus impetrauit* idem pactum, quod cum praedeceſſoribus factum fuerat; Eginhard. In conuentu *aquisgranenſi* capitula monachis omnibus 72 (ſic *Leo* oſtienſis), alii 80, edita, ad explicandam regulam Benedicti. *Conſtitutum* de 3 *claſſibus* monaſteriorum; quaedam debent militiam et dona; alia, dona; alia, preces. recenſet iſtas omnes claſſes per prouincias *Mabillon* annal. pag. 436 ſeqq. *Lotharius* in imperii conſortium adſumtus; ideo *Bernardus*, rex Italiae, rebellat. *Ratgar*, abbas *fuldenſis*, depoſitus. Eius ſchema, per *Modeſtum* depictum, exhibet *Mabill.* in annalibus bened. pag. 417. tomo 2. *Ludouicus* fratres tres ſuos in clericorum monaſteria mittit, ad diſcordiam mitigandam. Imaginum amatores varia et agunt et patiuntur; *Theodori* ſtuditae epiſtolae ad patriarchas ceteros; *Ioſephus*, hymnographus Romam miſſus a monachis, pro imaginibus. Sub hoc tempus *Leo* illam pacem 30 annorum cum *Hunis*, ſeu *Bulgaris* iniit, et quidem vſus ipſe caerimoniis illorum: libans aquam in terram, verſans equorum clitellas manibus; tangens terna lora, foenumque in altum tollens; gentes vero iſtae noſtris ſymbolis (pane et vino ſumtis?) ſe obſtrinxerunt. (ſic *Ignatius* diac. in vita *Nicephori* patriarch. et Conſtantin. porphyrog.)

A. Chriſti 818. Hegiræ 203. d. 9. Iul. Continuae narrationes de heroibus imaginum. *Studitus* Scotus, floret; ſub hoc tempus *Vrolphus*, laureac. aep. creatus, inter *Morauos* et *Auares* praedicauit, vt patet ex litteris *Eugenii* 2, Pagi a. 824. *Egil*, Ludouico annuente, ſit abbas *Fuldenſis* quartus; cuius vitam ſcripſit Candidus. *Magno* ep. Senonenſi, ſucced. *Hieremias*. Monachi S. Martini turonen. iam ſunt *canonici*, ſeu ſeculares; Mabillon. annales p. 450.

819. Hegiræ 204. d. 28. Iun. *Ludouicus*, amiſſa ſuper. anno coniuge, ducit *Iuditham*, filiam comitis *Welfonis* Baioarii. *Eginhard* cellam *Michlenſtad* tradit monaſterio *Lauresheim*. *Hiltibaldus*, aep. colon. et archicap. palatii moritur. *Bardas*, Leonis conſobrinus *Smyrnae* grauiter aegrotat; de hac punitione non conſentiunt illae narrationes *Ignatii*, et *Michaelis*, qui vitam *Theodori* ſtuditae ſcripſit.

820. Hegiræ 205. d. 17. Iun. *Leo* armenus ipſo natali Chriſti a coniuratis occiditur; eius cadauer crudeliter tractatum. *Michael*, balbus, ex Amorio, ſit imperator. Peſtilentia hominum et boum per Franciam graſſatur.

821. Hegiræ 206. d. 6. Iun. In conuentu *Noniomagi* Ludouicus partitionem regni inter filios ſuos confirmat. In conuentu alio, in *Theodonis* villa, *Lotharius* ducit *Irmingardam*, Hagiconis comitis filiam. *Adalardus* Corbeiam abbas remiſſus (monachi 150 erant; breuiculum, quem *Adalhardus* fieri iuſſit, edidit *Dacheri* in Spicilegio, inde de hominibus et miniſteriis conſtat,) alii etiam exules reuocati. *Michael* imp. ſancit, vt obliuione inuoluantur diſſidia de imaginibus; liberum vnicuique, quid ſentiat. *Conſtantin.* porphyrog. multa de eo narrat; eruditionem et graecanicam et theologicam eum contemſiſſe; iuramentis (non ſanctos, reliquias,) *ſolum, qui eſt ſuper omnia deum* (i. e. patrem) adhibendum eſſe, Moritur *Arno*, aep. Salisburg. etiam *Benedictus*, abbas *anian.* (vitam ſcripſit *Ardo Smaragdus*; d. 12 Febr. Bolland.) item *Kenulf*, Cynulf, rex Merciorum.

822. Hegiræ 207. d. 26 Mai. *Ludouici* pii publica confeſſio et poenitentia *Attiniaci*; quicquid ſimilium rerum vel a ſe *vel a patre* factum inuenit, ſumma deuotione emendare curauit, *Eginhard*. Multa dedit pauperibus, propter

A. Christi 822. ter purgationem animae suae, T*hegan*. *Lotharius* in Italiam rex missus; cuius *Epocha* hinc saepe pendet. *Nova Corbeia* ad Visurgim fundata; (*Libellus de origine novae Corbeiae*, a Mabillon. editus, adde *annales* Mabillon. ad h. annum. n. 20 seqq.) T*homas* aliquis, qui se *Irenes* fil. Constantinum dixit, Cpolin fere per annum obsidet. *Creta* a Saracenis hoc aut seq anno capta. *Eigili* fuld. mortuo succed. *Rabanus* Maurus. *Winnegisus*, dux Spolet. induit monachum.

823. Hegirae 208. d. 16. Mai. *Lothario* papa coronam longob. et imper. nomen imponit. Superfunt numi *Ludouici* et *Lotharii* nomine; in monogrammate *Roma*, Quaestio in *Paschalem* habita a legatis Ludouici, ob occisos aliquos. *Drogo*, Ludouici frater succedit *metensi* Gundulfo, in conuentu *francofurtensi* ordinatus presbyter. *Compendiensis* conuentus; actum de illicito vsu sacrarum rerum; *Agobardus*. *Ebbo* aep. Remorum *Nordmannis* euangelizat. *Egbertus* rex *Cantii* regnum euertit. Pensio vini remissa monasterio S. Dionysii; diploma ex authentico apud *Mabill*. lib. 6. de re diplom.

824. Hegirae 209. d. 4. Maii. *Paschali* papae sufficitur, victo aduersario quodam, *Eugenius* 2. *Lothario* praesente praefulum viuentium, mortuorumque direptiones correctae. Romani profiteri iussi, *qua lege* viuere velint &c. *constitutio* haec ab *Holstenio* auctior, quam a *Baronio* edita. *Michael* imper. et Theophil. scribunt ad *Ludouicum*, de imaginibus; epistola apud *Baronium*, titulus est, imperatori *Francorum*. *Vrolphus*, laureacensis, papae expositi res in Morauia a se gestas; illustrat *Pagius* papae diploma. *Visio Wettini*, augiensis monachi hoc anno d. 30 Octobr. contigit. adde *Mabill*, annales ad h. a. n. 66-67.

825. Hegirae 210. d. 23 Apr. Conuentus *parisiensis* in causa imaginum; eam Synodum 1596 editam *Baronius* putauit falsam; *Sirmondus* et *Labbeus* taciti praeterierunt; illustrauit *Mabillonius* parte 1 sec. 4 benedictini in praefatione. Imagines non colendas, etsi retinendas; post synodum *Claudius*, taurin. imagines et cruces amouit. (*Mabillonius* iam viuo *Paschali* Claudium scripsisse vult, annal. a. 824. n. 60.)

A. Chriſti 825. ſententiam eccleſ. *gallic.* et *german.* pluribus illuſtratum iuit *Pagius* ex *Mabillonio*. *Iuramentum* pro fidelitate in imperatorem, epiſcopis et papae impoſitum, hic recitat *Pagi*, atque a Stephano 6 et Ioh. 9 confirmatum docet. *Michael* imperator *Euphroſynam*, e monaſterio, ducit. Prima mentio *Cluniaci*, Mabill. annales h. a. n. 70.

826. Hegiræ 211. d. 23. Apr. Concil. *romanum*, per Holſtenium in collectione romana accuratius editum, quam a Baronio. Canones 38; magiſtri inſtituantur et doctores in omnibus epiſcopiis et plebibus. *Herialdus*, cum vxore et *Danorum* multitudine *Moguntiae* baptizatus; cum eo *Anſcharius* ex *Corbeia*, miſſus in Daniam euangelii cauſſa. Moritur *Theodorus*, ſtudita, d. XI Nouembr. cuius nomen *Vrbanus* 8 romano martyrologio inſcripſit. *Dalmatia* a Graecis deficit, ſui porro fit iuris. *Adalhardus*, ſenior, abbas veteris *corbeiae*, moritur; eius vita d. 2 Ianuar. *Georgius*, venetricus, in aquenſi palatio *organum*, graece hydraulica, mira arte compoſuit, *Eginhard.*

827. Hegiræ 212. d. 2 April. *Sicilia* a Saracenis ſub hoc tempus occupata. *Eugenius* 2 moritur; ſucceſſit *Valentinus*, 40 dies; huic *Gregorius* 4. *Legati* graeci afferunt *Dionyſii* Areopag. libros in Franciam; hoc tempore floret abbas *Smaragdus*, S. Michael. *Ecbertus*, omni Angliae monarchia potitur. *Dungalus* ſcribit aduerſus Claudium taurin. *Anſegiſus* abbas fontanell. et luxouienſis, edit libros 4 capitularium.

828. Hegiræ 213. d 22 Martii. Hic deſinunt annales *Eginhardi*. Conuentus *Aquisgrani*; bonis multati legati in *Marca Hiſpanica*, et dux *foroiul.* cuius propter ignauiam *Bulgari* fines *Pannoniae* ſuper. anno 827 vaſtarant. Ad placandum deum 4 conuentus, in *moguntina*, *colonienſi*, *treuirenſi* et *Veſontina*, dioeceſi indicti. *Hatitgar.* ep. camerac. et *Anſfrid*, abbas nonantul. Cpolin miſſi, redeunt. Mortuus in exilio *Nicephorus*, patr. Cpolitan. eius vita d. 13 Martii apud Bollandum; *Fridericus*, ep. Traiecti ad Moſam, in *Valacria* praedicat. *Agobardus* ſcribit de *praecepto* ob baptiſmum mancipiorum iudai-

A. Christi 828. daicorum. *Ecbertus* monarchiam anglicam confirmat. Monasterium *Stradense* conditum; eius inter *reliquias* recensetur Mabillon *pallam* Gregorii M. *meritis* cruentatam; annal. p. 513.

829. Hegiræ 214. d. 11 Martii. *Rabanus* appellauit ad Ludouicum, et scribit de *oblatione* puerorum; quia *Godeschalcus* in *moguntina synodo* absolutus fuerat; interfuerant synodo 29 episc. 4 chorep. 6 abbates; vid. *centur.* magdeb. IX. c. X. Moritur *Michael*, balbus, imaginum perpetuus aduersarius; succedit fil. *Theophilus*, ipse iconomachus; qui Theodoram ducit vxorem; de *Icasia* virgine erudita, plura *Pagi*. Floret *Basilius*, patriarcha Hierosolym. vide *le Quien* tomo 3 p. 363 sqq. *Iohus*, antioch. ibid. tom. 2 p. 747. Capitulare *Wormatiense*, inaudiuit *Ludouicus* in hoc conuentu de machinationibus quorumdam, ob Carolum filium ex *Iuditha*, cui partem Burgundiae cum Alamannia tradiderat; *Nithardus*; *Theganus*. *Parisiense* concil. cap. 94. In praefatione episcopi loquuntur: ecclesiam suam Christus *Ludouico* et *Lothario regendam*, tuendamque commisit. - Hoc aut sequenti anno, legati *Sueonum*, seu *Suecorum* veniunt ad *Ludouicum*, expetentes magistros aliorum sacrorum; missus *Anscharius*.

830. Hegiræ 215. d. 28 Febr. Filii *Ludouici* aduersus patrem insurgunt; *Iudithan* in monasterium mittunt; sine lege ac iudicio. *Germania* Ludouico fidelis. *Hilduinus*, qui hostiliter, (i. e. cum multo satellitio, quasi in hostem, non simplici commeatu) venerat, contra mandatum imper. e palatio exire iussus est; etiam *Wala* Corbeiam. Iusto leuior et mitior Ludouicus in coniuratos; *Theganus* eos nominat c. 36. *Hirsaugiense* monast. conditur; *annal. Mabillon.* p. 530. *Rabanus* scribit commentarios varios; ibid.

831. Hegiræ 216. d. 18 Febr. *Michael* filius Theophilo natus. *Amalarius*, metensis, auctor Antiphonarii, mittitur a Ludouico Romam, rogauit papam, de ordine responsoriorum a *Pentecoste* ad *aduentum*. In conuentu *Aquisgranensi* Iuditha, cui velum nuper impositum fuerat, episcoporum et papae communi auctoritate restituta dignitas augusta. Alius con-

A. Chriſti

831. uentus in *Ingelheim*, et *Theodonis* villa. *Anſegiſi*, (abbatis) multae donationes ad 53 monaſteria vid. annales Mabillon. *Paſchaſius* ſcribit de ſacramento altaris; vid. *Mabillon.* praefat ad partem 2 ſecul. 4 et *annales* p. 537 ſeq. *Anſcharius* fit aep. *Hamburgenſis*. *Pagi* hanc Epocham confirmat; eſt ſimul *legatus* ſeptentrionis; *Gautbertus* fit eius in *Suecia* adiutor.

832. Hegirae 217. d. 6. Febr. *Iannes*, Iohannes, λεκανομαντις, fit patr. Cpolit. menſe Aprili poſt *Antonium* ſylaei. *le Quien* tom. 1 p. 243 *Methodius*, quem imperator belli contra Saracenos comitem ſumſerat, in ſpelunca cum 2 latronibus ponitur, per annos 7. Nouae turbae Ludouici, *Baioariae*, aduerſus Carolum et Ludouicum patrem; *Pippinus* ſub cuſtodia *Treueros* ductus. *Dani* in Northumbriam irruunt. Reformatio monachorum S. *Dionyſii* per Ludouicum annal. Mabillon. *Sabarieſus* 2, *catholicus* chaldaeorum ſuccedit Georgio 2, a *Califa* honoratus; *le Quien* tom. 2 pag. 1129.

833. Hegirae 218. d. 26. Ian. *Theodorus*, et *Theophanes* fratres, ob nimia in imagines ſtudia, in exilium miſſi ſub hoc tempus; filii *Ludouici* in apertum bellum aduerſus patrem prorumpunt. In *campo mendacii* cum acies ſtarent, *Gregor.* 4 venit, a *Ludouico* vix mediocriter ſuſceptus, quia ſine venia venerat, et *Walam* euocarat. Tragoedia exauctorationis *Ludouici* in conuentu *compendienſi*; *Lotharius* arripit nomen imperatoris. Mortuus Abul abbas *Almamun*, cuius iuſſu *Ptolemaei* Almageſtum arabice translatum fuit; idem *Dionyſio*, iacobit. patriarchae antiocheno tradidit antipatriarcham, eique eximie fauit, *le Quien* tom. 2 pag. 1373. ſucceſſit Muhamed *Mutaſim* frater.

834. Hegirae 219. d. 15. Ian. *Ludouicus*, Baioar. audet patrem vindicare in libertatem et regnum. *Ebbo*, aep. rhemenſ. e fuga retractus in cuſtodiam. Ludouicus gratus in S. *Dionyſium* iubet *Hilduinum* colligere corpus dionyſianum; is miſſum a *Clemente* Dionyſium, (vt traditio habet gallicana) confundit cum areopagita. Rex occid. ſax. *Egbert* vincit Danos et Britones cum iis iunctos. Moritur *Eanbaldus*, iunior, aep. eborac. *Alcuini* diſcipulus.

In

A. Chriſti
835. Hegiræ 220. die 4 Ian. In conuentu ap. Theodonis villam dant epiſcopi libellos reſtitutionis Ludouici; placitum ſeu concil. *Lugduni* hoc anno, non ſequenti, vid. *Pagi* 836. n. 8. 9. *Theodulfus* aurel. non attigit hunc annum, vt *Pagi* contra Baronium oſtendit.

221. die 25 Dec. Feſtum *omnium ſanctorum*, cal. Nouembr. quod *Bonifac.* 4 Romae iam inſtituerat, quod *Beda* iam ſuperiori ſeculo in Anglia commemorat, hoc fere tempore a *Ludouico* imperat. etiam in Gallia et Germania receptum. *Sigebertus* hoc anno ſignat. *Mabillonius* delineationem monaſterii S. Galli ex antiquiſſimo prototypo hic exhibet in *annalibus* pag. 570, quam videre eſt operae pretium.

836. Hegiræ 222. die 14 Dec. Legatio Ludouici ad Lotharium, et huius ad illum; per *Otgarium* mogunt. ſimul reliquiae Moguntiam allatae; moriuntur praecipui fautores *Lotharii*, *Ieſſe*, ambian. *Elias*, trecaſſ. *Wala*, corbeienſis abbas (Caroli *Martelli* nepos,) *Normanni Dani* Friſiam invadunt; alii ad a. 837 referunt. Lotharius legatos papae ad patrem, retinet. *Synodus Aquisgrani* de diſciplina eccleſ. inſtauranda. *Translatio* S. *Liborii*, paderbrunnam; et S. *Viti* in Corbeiam nouam qui in ditione *Hilduini* fuerat; tempeſtates et fulgura auertit; libellus translat. apud *Mabill.* acta ſeculi 4 parte 1. *Lupi Seruati* primordia, Mabill. annales; is *Probum*, Albani monachum per iocum carpit, ob nimium in *Ciceronem*, Virgil. ſtudium, annales, pag. 582. *Theophilus* imperator quartum in *Saracenos* ducit.

837. Hegiræ 223. die 2 Dec. Appendix ad *Theganum*, 2 annorum finit hic, narratione de clade, quam *Dani* Friſiae intulerunt. Conuentus *carliſiaci*; quinta expeditio *Theophili* in Saracenos. *Ecbertus*, Angliae monarcha moritur; ſucc. *Athulf*, filius, qui *Etheliſtano* filio partem regni dimiſit. *Agobardus* ſcribit contra *Amalarium*; etiam *Florus*. Sed contra accidit, ac Florus putabat, in honore manent *Amalarii* libri, Mabill. annal. p. 594.

838. Hegiræ 224. die 23 Nou. *Pippinus* rex Aquitan. moritur. Conuentus *Wormatienſis*, in quo *Lotharius* in gratiam ſuſceptus, regnumque diuidere iuſſus eſt, ſic, vt electio

A. Chriſti 838. eſſet Caroli; aliam diuiſionem ante annos 3 illuſtrat hic Pagi. *Hirſaugia* dedicata; *Samuel*, ex abbate Lauresham. factus ep. *Wormatienſis*. *Fridericus*, epiſc. vltrai. martyr, ſed falſum, eum *Iudithae* inſidiis occiſum fuiſſe, vid. Pagi. *Amorium* in Phrygia, captum per *Mutaſimum* califam. Occident ſax. rex *Ethuulfus*, per *Aſtanum*, ep. Schireburn. in politico regimine adiuuatur; epiſcopus exercitum aduerſus *Danos* compoſuit &c. *Bodo*, palatinus diac. in Iudaiſmum lapſus, accepto *Eleazari* nomine, Caeſaraugustam ſe contulit. De *Lindauienſi* diplomate, quo nobiles canonicae ius in Lindauienſes oppidanos ſibi tribuebant, vid. *annales* Mabill. p. 604 ſeqq.

839. Hegirae 225. die 12 Nou. Veniunt legati graeci a Theophilo imper. ad Ludouicum, *Theodoſius* non metropol. chalced. vt falſo annal. bertin. ſed patricius, et alius Theophanes. *Michael* fil. natus Theophilo. Sub hoc tempus *Claudius* taur. ep. mortuus; *Ionas*, aurelian. ſcribit poſt eius mortem. Horum ſcriptis proteſtantes non amplius abuti poſſe putat *Pagius*; quia *Nat. Alexander* ſecul. 8. differt. 6 eos ſolide refutarit. *Wittafio*, Merciae regi, ſuccedit frater *Bertulfus*, qui monaſteriorum bonis aduerſus Danos vſus eſt. *Eginhardi* obitus forte hoc tempore. *Wandalbertus* vitam S. Goaris expolit.

840. Hegirae 226. die 31 Oct. Moritur *Ludouicus* imperator; monumentum ad S. Arnulfum, exhibet Mabillon. annal. p. 612. Poſt patris mortem 2 Epochis vſus *Lotharius*; *Indictionum* apud Ludouicum, baioar. et *Carolum* caluum, varius vſus; *Pagi* n. 3. 4 Turbae multae inter fratres poſt patris mortem. *Ebo* a Lothario reſtitutus in ſedem rhemenſ. Moritur *Agobardus*, lugd. aep. et *Hilduinus*, abbas S. Dionyſii. Sede ſua eiectus *Aldricus*, cenom. ep. ob fidem in *Carolum*, filium Iudithae. *Kenethi*, regis Scotorum, leges variae hoc anno editae. De *Hildemari*, monachi, commentario in regulam Benedicti, (qui tribuebatur Paulo diac.) hic agit Mabill. *annal.* p. 619 in eo *indiculus feſtorum*.

Ludo-

A. Christi 841. Hegirae 227. die 21 Oct. *Ludouicus* vincit Lotharii copias, et *Carolo* fratri fert suppetias. Praelium inter fratres ad *Fontanetum*, cui *Nithardus* interfuit; non incruenta cessit victoria Carolo et Ludouico. Hic omnino vires pristinae vtriusque partis fractae. Ludouicus remouet S. Galli abbatem *Engelbert*, suffecto *Grimaldo*, archicapellano suo. *Lotharius* saxonibus antiquum ritum permittit. *Normanni* per Sequanam irruunt; varias vrbes et monasteria incendunt; *fontanellense* redemtum 6 libris Al*dricus* senon. aep moritur. *Haymo*, abbas Hersfeld. fit episcop. Halberstad. post Thiatgrimum.

842. Hegirae 228. die 10 Oct. *Ludouicus* et *Carolus* iuramento se aduersus *Lotharium* iungunt: pax inter 3 fratres. Moritur *Theophilus* imper. succeßit *Michael*, triennis, sub matre; 5 filiae a Theophilo relictae. Legati *Theodorae* et Michaelis fil. a *Lothario* Treuiris auditi; *Lotharii* partibus fauens *Rabanus Maurus* Fulda, siue volens, siue expulsus, excedit; annales Mabill. p. 632. Ei Hatto, *Bonosus*, succeßit, pictoria arte superbus. *Lupus*, fit abbas *Ferrar.* nec docere desinit. *Walafrid* Strabo fit abbas augiensis; qui de *imaginibus* mediocriter sensit. *Gozbaldus*, ep. Wurzeb. *Mauri* piratae per Rhodanum Galliam populantur; pars alia *Beneuentum*. Imagines inter Graecos restitutae, opera *studianorum* monachorum; Ianne deiecto *Methodius* fit patriarcha; Theophilo mortuo veniam procurat Theodora. Dominica *orthodoxiae*; omnes reuocati ex exilio, qui ob imagines expulsi. *Mutasimo*, califae, succedit filius Aron Wazic Billa.

843. Hegirae 229. die 29 Sept. Pax inter tres reges Francorum confecta; diuisio regni inter eos, annal. *bertin.* et metens. *Normanni* Namnetum occupant, occisis multis cum Episcopo. *Ionas*, aurel. ep. mortuus; obiit et *Iudith*. *Alfonsus*, castus, rex Legionis et Asturiarum moritur; *Ramirus* succeßit. Cassinensis thesaurus a Siconulfo, duce beneuent. expilatus.

844. Hegirae 230. die 18 Sept. *Gregor.* 4 moritur d. 25 Ianuar. succedit *Sergius* 2, quem falso dicebant nomen primum mutasse; ad hunc peruenit *Rabani* liber de cruce, Gregorio dicatus, in quo panegyricum Publii Optatiani

Por-

A. Christi 844. *Porphyrii* imitatus fuit; Mabillon. annales pag. 647. *Lotharius* misit filium Ludouicum, regem Italiae, cum exercitu et episcopis in Italiam, ne posthac papa sine legatis imperat. ordinaretur. Fidelitatem iurarunt Romani Lothario. Variae Epochae *Ludouici* huius, *Pagi*. Papa Drogonem, qui fuit inter hos legatos, facit Legatum, seu Vicarium suum in Galliis. *Bernardus*, Marcae hispan. comes, iussu *Caroli* capite plexus; eius fil. *Wilhelmus* cum cordubensi regulo sarac. foedus init. Concil. in *Theodonis* villa; aliud in *verno palatio*, cuius canones scripsit *Lupus* (epistola 42) canon XI aduersus *Legationem* Drogonis. *Paschasius Radbertus*, abbas corbeiae francicae, succedit Isaaco.

845. Hegiræ 231. die 7 Sept. *Bulgari* per graeca ministeria sensim ad christiana sacra traducti; vt *Constantin.* porphyrog. narrat; Pagi in annum 861 reiicit. *Druthmarus* tamen c. 56: Bulgari quotidie baptizantur. *Pauliciani* vehementer oppressi, variis suppliciis ad CM sublati; *Carbeias* cum 5000 aliis manichaeis ad Saracenos defecit. Concil. *bellouacense*, in quo *Hincmarus*, S. Dionysii monachus, aepiscopus remensis electus, X post Ebonem annis. *Normanni* Parisiis; refutat Pagius sententiam, qua etiam *Turonum* hoc anno dicitur ab iis obsessa, et defensa per S. Martinum; haec enim res a. 838 iam accidit; de *Hastingo* duce Norman. Concil. *Meldense*, in eo Capitularia Caroli M. et *Ludouici* pii, confirmata; c. 40, de restituendis hospitalibus Scotorum. Translatio *S. Mauri*, vid. Pagi; et Mabill. annales p. 665. Occisi XLII proceres, Amorii captorum, a Saracenis, quia fidem christianam noluerint abiicere; acta SS. d. 6 Martii. Normanni, seu *Dani* porro Galliam adfligunt; etiam *Hamburgum* vastant, licet Anscharius resistere auderet; *Gauzbertus* a Suecis electus; Rembertus; annal. fuld.

846. Hegiræ 232. die 28 Aug. Saraceni *Romam* oppugnant; ecclesiam S. Petri vastant. *Ludouicus*, german. parum feliciter aduersus *Slauos* rem gerit. Concilium *parisiense* vid. *Pagi*, conuentus *Sparnacensis*, sed parum canones curarunt ii, qui abbatias et monasteria tene-

A. Christi 846. tenebant. De *partu virginis* di ceptatum in Germania; inde in Francia; contraria scripta *Ratramni* et *Paschasii*. *Normanni* late victores, in Frisia, inferiori Gallia; Scotia. *Ludouicus* germ. behemanos duces 14 ad fidem conuersos baptizari fecit; *Marabensibus* constituit ducem *Rastiscen*, seu Rastilaum. *Methodii*, patr. constantinop. mortem huic anno adsignat Pagi. Successit *Ignatius*.

847. Hegiræ 233. die 17 Aug. Moritur *Sergius* 2, cui falso *indulgentias* definitas quidam tribuebant; vide Pagi; successit *Leo* 4, *vt consuetudo prisca expoſcit*, ad Augustos re delata; *Anastasius*; promisit et Papa se *iura imperialia* conseruaturum. *Otgario*, mogunt. aep. mortuo succedit *Rabanus Maurus*; concil. *Moguntinum* iubente rege, canon. 31. Hic et de pseudoprophetissa *Thiota* actum; quae finem mundi instare portenderat; Hic Mabillon. in annal. p. 673 scribit: falso ergo credi, ex talibus vaticiniis monachorum opes venisse; seuere enim punitam! Scilicet. *Ethelwulf*, occid. sax. rex Romam proficiscitur, voti causa. Legati Abderamanis hisp. foedus cum Carolo faciunt. *Lothar. Ludou.* et *Carolus* legatos ad *Oricum* regem Daniae mittunt, vt suos cohiberet ab infestationibus christianorum Califae babyl. Vacic Billa successit *Almontasen*.

848. Hegiræ 234. die 1 Aug. *Godeschalcus* a synodo moguntina damnatus mittitur ad *Hincmarum* rem. aep. Conuentus ecclesiasticus in minori Britannia, aduersus *Simoniacos* episcopos. Dux *Nomenoius* non contentus papae *Leonis* responso, ipse aliquot episcopos sede mouet; nouam *metropolin* erigit, *dolensem*; cum antea Britannia haec sub *turonensi* metrop. fuisset. De abbate *Conuoione*, cuius non fuit nulla pars in hac causa, annal. Mabill. p. 678. *Aquitani* a *Pippino* ad Carolum se conferunt dominum; *Scotorum* rex, victis Danis, petit viam per *Caroli* ditiones, *Romam* profecturus; Dani *Burdegalam* Iudaeis prodentibus incendunt.

Sy-

A. Chriſti 849. Hegiræ 235. die 26 Iul. Synodus *pariſienſis* (non turonenſis) in cauſa epiſcoporum Britonum; ſed nihil mutauit *Nomenoius*. *S. Helenae* corpus, per monachum furto Roma elatum, in monaſter. *altumuiliar.* illatum. Synodus *Cariſiacenſis* prior aduerſus *Godeſchaicum*, qui in ea crudeliter flagellatus fuit, vid. annal. Mabill. Eccleſia gallicana in partes duas ſciſſa. *Carolus*, Pippini fil. in monaſterium truſus. *Ludouicus* 2 a Lothario in ſocietatem imperii adſcitus. Mortuus *Walafridus Strabus*, abbas Augiae. *Normanni* porro Aquitaniam, *Saraceni* Italiam inuadunt. *Carolus* caluus in Hiſpaniam profectus. *Boemani* aduerſus Ludouicum germ. rebellant. Annales metenſes. Hamburg. et *Bremenſis* epiſcopatus iunctus.

850. Hegiræ 236. die 15 Iul. *Abderraman*, ſarac. in Hiſpania rex, in chriſtianos grauis; *Eulogius*, aep. tolet. martyres deſcripſit. *Ordonius* patri Ramiro ſucceſſit in regno Nauarrae, et Legionis. *Lotharius* Orico, dano, *doreſtadium* &c. concedit; *Carolus*, caluus, *Godefridum*, Danum, in regni ſocietatem admittit. Synodus *ticinenſis*, can. 25. *Ludouicus* 2 a papa Romae coronatus; eius itaque duplex habetur Epocha. *Lupus*, ferrar. abbas, ſcribit epiſtolam 128 et libellum *de 3 quaeſtionibus*; et *Ratramnus*, corbei. de *praedeſtinatione*, libros 2, vterque iuſſu Caroli calui. *Saraceni* vsque ad *Arelatum* veniunt; legati e regno Nauarrae (duces, non reges nominant Franci) ad Carolum caluum cum donis miſſi. *Rabanus* 300 pauperes quotidie alit, ob famen; dedicat *Hersfeldenſem* baſilic.

851. Hegiræ 237. die 4 Iul. *Ludouicus* 2 imper. *Beneuentanam* prouinciam diuidit; *Dani* Cantium, Londinum depopulantur; eos *Aethelwulf* et Adelſtan, fil. magna clade afficiunt. *Normanni* ſeu Dani Friſiam et Batauos 250 nauibus aggrediuntur; per Moſam late vagati, *Aquisgrani* palatium incendunt, etiam *Treuiros*, *Coloniam*, agrippin. *Nomenoius*, dux Britan. minoris, moritur; eius filio *Eriſpoio* Carolus regalia indumenta et ditionem patris donat. Conuentus ad *Marsnam*. Moritur *Lotharii* coniux, *Irmingardis*. *Amalarius* et *Ioh. Scotus* aduerſus *Godeſchaicum* ſcribunt. *Paſchaſius Radbertus*

A. Chriſti

tus abit a regimine corbei. *Thiotgaud* aep. treuer. poſt *Hetti*.

852. Hegiræ 238. die 23 Iun. *Leonina* ciuitas a Leone papa dedicata, *Corſorum* refugium. Abdearrmano ſucc. filius *Muhammed*. *Moguntina* ſynodus ſub Rabano tertia. *Pippinus*, filius Pippini, nepos Lud. pii, tonderur ad S. Medardum fueſſ. in Synodo fueſſionenſi. *Florus*, lugd. diac. et *Prudentius* trec. ep. ſcribunt contra *Scottum*. *Remigius* lugd. aep. poſt *Amolonem*. *Alfrid*, ep. Hildesh. poſt Ebonem; ille *Gandersheim* dedicauit; *Luetulfus* dux Saxonum, cum coniuge *Oda* Romam profectus, attulerat reliquias.

853. Hegiræ 239. die 12 Ian. Synod. *ſueſſion.* 2 contra ordinatos ab *Ebone*; quam ſynodum papae noluerunt confirmare. *Nannetum* denuo a Normannis deuaſtatum; etiam *turonum*. Synodus *romana*, epp. 67 can. 42 de diſciplina eccleſ. *Anaſtaſius* cardinalis depoſitus in ea. Pagi hic multa de *Iohanna* papiſſa. Moritur *Haymo*, halberſt. ep. *Remigius*, aep. lugd. defendit Godeſchalcum. *Quatuor capitula* in ſynodo *cariſiaca* 2 edita (ita Pagi, et *Mabillon*, annal. p. 24 tomo 3; non prima iam in ſynodo fuiſſe edita.) *Romani* queruntur apud *Lotharium* imper. quod Saracenis obiiciantur. *Aethelwulf*, occid. ſax. rex, adiuuat *Burrhedum* mercionum regem aduerſus Britones mediterraneos; idem filium *Alfredum* cum nobilium magno numero Romam mittit; eum *Leo* vngis et adoptat. *Heribaldus* altiſſiod. ep. quaerit de variis dubiis *Rabanum*. *Reuelationes* ſcribit apud Senones *Andradus* Modicus; annal. Mabill. tomo 3 p. 29. *Ludouicus* rex conſtruit Tigurinum coenob. cuius abbatiſſa filia eius Hildegardis.

854. Hegiræ 240. die 1 Iun. *Oricus* Daniae rex, qui Anſchario praecipue fauebat, cum aliis multis inteſtino in tumultu occiſus; is etiam *vloccae* ius conceſſerat et eccleſiam in *Sleaswich*. vita Anſcharii. *Dani* porro Galliam premunt, per Ligerin. Initium *ſchiſmatis graeci*, cum *Ignatius* Cpolit. *Gregorium*. Syracuſ. in Sicilia, fede deiiceret; hanc ſententiam confirma-

uit

A. Chriſti

uit *Benedictus* 3. Siciliae epiſcopi a tempore *Leonis* Iſauri parebant Cpolitano. *Bardas*, frater Theodorae auguſtae, male regit Michaelem.

855. Hegiræ 241. die 22 Maii. Concil. *Valentinum*, e regno Lotharii; canones 6 priores contra Ioh. Scotum. *Ludouicus* 2 imper. Romae quaeſtionem habet de *Gratiano*, ſuperiſta (noua dignitas,) qui dicebatur conſultaſſe de Graecorum auxilio aduocando, quia *Franci* Romanis deeſſent. *Leo* 4 paulo poſt moritur; cui *Benedictus* 3 ſufficitur, cum venia imperat. *Ethelwulf*, occid. Sax. rex, decimat regnum ſuum, deo et b. mariae, pro redemtione animae ſuae et anteceſſorum; ducit Caroli calui fil. Iuditham, Roma redux. *Lotharius*, monachum induit in *prumienſi* monaſterio, menſe ſeptembri exeunte. *Carolus*, Caroli calui filius, fit rex Aquitaniae. Magna fames per Franciam, Burgund. Aquitan. ita vt homines ſe manducarint. *Normanni* per varias turmas Galliam vexant.

856. Hegiræ 242. die 10 Maii. Aquitani, ſpreto Carolo, *Pippinum*, ex monaſterio regem ſibi conſtituunt; paulo poſt Carolum recipiunt. Synodus *cariſiacenſis*, pro componendis diſſidiis internis. *Rabanus*, aep. mogunt. moritur; ſucceſſit *Carolus*, fil. *Pippini* regis Aquitaniae, monachus Corbeiae gallicae. Moritur *Cenoman.* epiſcopus *Aldricus*; acta SS. d. 8 Ian. *Saraceni* Neapolin. diripiunt.

857. Hegiræ 243. die 30 Apr. *Pippinus* Danorum piratis ſociatur; *Lotharius Theutbergam* abiicit. Foedus *Caroli* calui cum *Lothario*, nepote; et Lotharii cum Ludouico. *Dani* Lutetiam, Galliam et Britanniam, porro vaſtant. *Eriſpoio* duci britanniae minor. occiſo ſuccedit Salomo. *Benedicti* 3 priuilegium monaſterio *Sandionyſiano*, quod varia bona *in Anglia* poſſidebat, conceſſum. *Photii* inſidiae in imperitum Ignatium (de 2 animabus hominis); *Photium Conſtantinus* dicitur repreſſiſſe philoſophus; is poſtea *Cyrillus* dictus, et cum *Methodio* Slauis praedicauit; moritur *Drogo* aep. metenſis; renun-

A. Chriſti 857. nuntiandum ei fuerat honori, legati ſedis apoſtolicae; ſucceſſit ei *Aduentius*. In conuentu *wormatienſi* actum de vnione Bremenſ. et Hamburgenſis Epiſcopat. item *Moguntiae*. *Ignatius* depoſitus Cpoli, ei *Photius* ſuffectus. *Theodora* ex aula eiecta

858. Hegiræ 244. die 19 Apr. *Benedicto* 3 ſufficitur *Nicolaus* 1, praeſente *Ludouico* 2. Papae priuilegium pro confirmatione coniunctionis bremenſ. et Hamburg. Ad *Ludouicum* germ. ſe conuertunt proceres e regno *Caroli* calui, ob eius tyrannidem. *Caroli* ſacramenta in ſynodo *cariſiacenſi*. Fabula de *Carolo Martello*, quod in inferno eum viderit *Eucherius*, aurel. ep. ob res eccleſiaſticas perditas. *Synodus Photii*; *Ignatius* in *Mitylenen* inſulam deportatus. *Nicolaus*, inter ſtuditas floret archimandrita. *Bardas* fit Curopalates per Michaelem. *Toletani* ſarac. rebellant, et a chriſtianis adiumenta aduerſus Muhammedem poſtulant; vano conatu. *Normanni* abbatem S. *Dionyſii* et *Germani* abducunt; pro redemtione 685 librae auri, 3250 argenti datae; annal. Mabillon. hoc a.

859. Hegiræ 245. die 8 Apr. Chriſtiani in Hiſpania plures martyres; *Eulogius* inter eos, cordub. presbyter. Normannorum facinora multa; *Mabillon.* annales; idem hic p. 76 de *rotulo* ſeu encyclica mortuorum exponit. *Carolus* caluus expellit *Ludouicum* hoſtem; hic mittit abbatem fuldenſ. ad Ludouicum imper. et papam. *Synodus metenſis*, pro indulgentia in Ludouic. german. *ſynodus lingonenſis*, et *tullenſis* ad Saponar. (de pace inter Carol. caluum et Ludou. germ. *Caroli* libellus aduerſus *Wenilonem* ſenon.) ſex canones priores ſunt *valentinae* ſynodi; contra Godeſchalcum; etiam de cauſſa Britannicorum epp. vt redirent ad *turonenſem* metropolitam. *Epternacenſes* monachi in canonicos ſe deformant; Mabill. *annal.* Synodus Cpolitana aduerſus *Ignatianos*; legatio *Photii* ad Nicolaum.

860. Hegiræ 246. d. 28 Mart. Nicolaus Cpolitanis mandat, vt cauſam imaginum ad ſynodum 7 definiant, et *Ignatianam* ipſi remittant. *Confluentiae Ludouicus*, *Carolus* et *Lotharius* pacem inter ſe confirmant. Synodus *tullenſis* 2, 14 prouinciarum. *Ado* ſuccedit *Agil-*

A. Chriſti 860. *mauo*, aep. viennenſi. *Anſcharius* ſcribit de miraculis S. Willehadi. *Normanni* in Galliis a *Carolo* multum auri extorquent; *Sithiuenſe* monaſterium inuadunt. *Saraceni* a Petrona, Theodorae fratre, magna clade affecti, vt *Ioh.* ſolitarius promiſerat. *Aethelbald*, rex occid. Sax. moritur; ſuccedit frater *Aethelbert*, per annos 5. *Bardas* fit Caeſar. *Lotharius* imper. filius, *Teutbergam* in monaſterium mittit, amore Waltradae. Synodi 2 aquisgranenſes in hac cauſa. Poſt eas edit *Hincmar.* librum de diuortio hoc.

861. Hegiræ 247. d. 17 Mart. *Romani* legati carcere et minis traducti ad partem *Photii*; *Ignatius* exauctoratur, in ſynodo Cpolitana. *Ordonio*, galliciae regi, ſucced. *Alfonſus* M. ſeu 3. *Normanni* pariſios, eccleſ. S. *Vincentii* et *Germani*, incendunt; pagum *tarnanenſem* vaſtant. Conuentus *Ratiſponae* a Ludouico germ. habetur, *Ernuſtus*, *Vdo*, aliique honoribus priuati. *Ruſſorum* ad chriſtiana ſacra tranſitum ſolent quidam ab hoc anno repetere, et paulo poſt ad paganiſmum eos rediiſſe ſtatuunt. *Bulgaros* hoc anno ad chriſtiana ſacra translatos ſcribit *Nicetas*. *Prudentius*, ep. tricaſſinus, non modica inter ſe diuerſa et fidei aduerſa ſcriptitans, (annal. *Bertin.*) moritur. *Meginrad*, Eremita, (in Eremo deiparae matris,) apud Heluetios, a praedonibus occiſus, martyr.

862. Hegiræ 248. d. 6. Mart. Romam redeunt legati romani; paulo poſt graecus legatus *Leo* ſecretar. venit, cum *Photii* litteris; huic papa alias epiſtolas Cpolin ferendas dedit. *Tertia* ſynodus in cauſſa *Theutbergae*; in qua *Lotharius* libellum proclamationis obtulit. Diſcordia noua inter tres Franciae reges, Ludouic. Carolum et Lothar.; pax inter eos reſtituta in villa ad *Sabionarias*. Synodus *piſtenſis* a Carolo habetur; capitula 5 edita; Synodus in vrbem *Sueſſionem* euocata, in cauſſa Dionyſianorum monachorum (numero 150 erant.) *Rothadus* ep. Sueſſ. depoſitus, quem annal. *Bertin.* nouum *Pharaonem* nominant. *Almontaſer*, califa babyl. moritur; ſucceſſit *Almodad Billah*.

Con-

A. Chriſti 862. Hegir. 249. d 24 Febr. Concil. *romanum* aduerſus *Photium* et legatorum rom. fraudem. Synodus *mettenſis* in cauſa *Theutbergae*, praeſentibus legatis romanis, qui muneribus corrumpuntur. Errorem annal. *metenſ.* et *Reginonis* corrigit *Pagi*. Lites inter *Rothadum* ſueſſion. ep. et *Hincmarum*, continuantur, remenſem aepiſcopum; hic *Odonem* epiſc. bellou. Romam miſit, ſed papa defendit *Rothadum*. *Dani* per *Rhenum* verſus *Coloniam* adſcendunt. *Carolus*, Lotharii imp. filius rex *Prouinciae*, moritur. *Iuditha*, Caroli calui filia, legitime iungitur *Balduino*, comiti Flandriae. *Conſtantinus* philoſ. qui, a *Chazaris*, Cpolin redierat, *Raſtilai* Morau. precibus; ad Morauos proficiſcitur, cum *Methodio*; ſtipendiis vſus imperatoris.

864. Hegir. 250. d. 12 Febr. *Rothadus* ipſe Romam venit; *Carolus* abbatiam *Carileſi* ſuper epiſcopum Cenom. euindicat, licet papa ſecundum hunc ſententiam tuliſſet. Imper. Ludouicus legatis Caroli, et Romanis negat tranſitum; ipſe cum *Gunthario* colon. et *Theutgado* treuir. aepp. quos papa degradauit, Romam ſubiratus venit; cruciferi et vexilliferi ſacri fugati, &c. annal. *Bertin.* capitula atrocia contra papam ſuper corpus Petri a Gunthario proiecta; *Lotharius* aufert a Gunthario epiſcopatum, et eum confert *Hugoni*, Caroli regis filio. Carolus rex *Theutbergae* dat monaſterium Auenniacum; papa in ſynodo romana confirmat depoſitionem 2 aepporum. *Rothlandus*, arelat. Ep. fruſtra quaerit *Vicarii* ſedis apoſt. honorem ipſi continuari, quo vſus fuerat *Virgilius*. *Pippinus* ex monaſterio apoſtata *Normannis* ſe adiungit, et ritum illorum ſeruat. Lotharius rex de omni regno ſuo 4 denarios ex omni manſo colligens, cum multa penſione vini, farinae, *Rodolfo*, regi Normannorum, Herialdi filio, locarii loco tribuit. *Carolus* generale placitum *Piſtis* habet; capitula 37 ſuperſunt.

865. Hegirae 251. die 1. Febr. In Synodo *romana Rothndi* reſtitutio confirmata; haec ſynodus ex ſuperiori anno durauit in hunc; falſo alii 2 fecerunt. *Nicolaus* vtitur *decretalibus* iſtis, et depoſitiones epporum ad *cauſas maiores* refert; initia noui iuris ecclesiaſtici; con-

A. Chriſti 865. trouerſia de his *decretalibus*, quae demum fine ſequentis ſeculi auctoritatem in Gallia nactae ſunt. Idem papae legatus Arſenius *Theuthergam* Lothario reſtituit. *Anſcharius* moritur; vide acta SS. d. 3 Febr. ei ſucceſſit *Rembertus*. *Normanni Aureliam*, monaſter. *Floriacus*, et alia incendunt.

866. Hegiræ 252. die 22 Ian. Legati regis *Bulgarorum*, (*Bogoris*, qui a. 861 baptizatus fuerat,) *Romam* veniunt; per romanos legatos nouum chriſma impertitum. Idem rex mittit ad *Ludouic.* german. (*Ratisbonam*,) et poſtulat epiſcopum atque presbyteros. Ludouicus a *Carolo* fratre petit vaſa, libros, veſtes, et hic ab epiſcopis ſuis argenti ſummam, pro Bulgaris; a Ludouico miſſus in Bulgariam *Ermenricus* cum presbyteris et diaconis, paulo poſt remittitur, quia iam papae plures miniſtri ibi erant. *Nicolaus* ad imper. et caeſarem Cpolit. ſcribit. *Waldrada* a Nicolao excommunicatur. *Synodus* 3 ſueſſionenſis, in cauſſa *Wulfadi* et aliorum clericorum Ebonis; *Hincmarus* in varias partes ſe verſabat. Normanni porro Gallias adfligunt. *Carolus*, rex Aquit. Caroli calui fil. moritur. *Ethelberto*, occid. ſax. regi, ſuccedit *Ethelred*, frater. Normanni Angliam vaſtant. *Muſtan billah*, calipha babyl. deiicitur; ſuffecto *Almotaz* Billah. *Bardas* occiſus; *Baſilius* Macedo ab imperatore Mich. in ſocietatem adſcitus.

867. Hegiræ 253. die 11. Ian. 254. die 31 Dec. Synodus *tricaſſina*, in iſta cauſa clericorum Ebonis; in ſynodica ius metropolitanorum mediocriter tuentur. *Nicolaus* excitat *Gallos*, vt *contra Graecos* ſcribant; *Photius* ediderat encyclicam illam ad thronos patriarchales; praecipua odia oriebantur ex cauſſa *bulgarica*. Legati romani redire coacti, non admiſſi Cpolin. *Synodus* Cpolitana aduerſus *Nicolaum*; anathema in papam; *Michael* imper. occiſus; *Baſilius* reſtituit *Ignatium*, *Photio* deiecto; legati graeci Romam miſſi. Reſtituta imperii Graeci auctoritas apud *Chrobatos*. *Methodius* et *Conſtantinus* e Morauia Romam euocantur ad papam; adducturi *diſcipulos*, epiſcopatu dignos. (Vita Cyrilli et Methodii prior.) *Methodius* ipſe ab Hadriano ordina-

A. Christi 867. dinatus et in Moraviam remissus; vid. Epistola 94 Iohannis 8. Moritur *Nicolaus* papa; cum eo desinit *Anastasii* biblioth. historia Pontific. succedit *Hadrianus* 2. *Northumbri* rege suo *Osbricht* expulso, e Normannis *Ellam* sibi imponunt; iidem Normanni Gallias affligunt.

868. Hegiræ 255. die 20 Dec. Legati romani 2 episcopi in Bulgariam missi. Epistolae *Hadriani* 2 in Galliam, in caussa *Lotharii*; *Waltradae* absolutionem a papa impetrauit. *Concil. romanum* contra *Photium*, omnia eius acta rescissa; vid. concil. *octauum* actione 7. Hic *Pagi* illustrat illam Epistolam inter *Photianas* apud *Montacutium* 49. et ostendit, *Ioh. Sacellarium* satyrice tantum scribere, non vero *Photium* ipsum eunuchum fuisse, licet id *Baronius*, *Combefis*, aliique dicant. *Lotharius* rex in montem *Cassinum* profectus, sacram communionem a papa sub conditione accipit. *Anastasius*, presbyter cardin. iterum ob alia crimina damnatus; annales *bertiniani*. Concil. *Wormatiense*, iussu *Ludouici germ.* canones 45, quos inter ille 15, ad inueniendum furti auctorem *missam* habendam, atque a singulis eucharistiam sumendam. *Nicolaus*, Studii praepositus, moritur; eius vita die 4 Februar. *Normanni* Burgundiam vastant. *Ludouicus* 2 imperator in obsidione *Barii* versatur iam ab anno 866; *Basilius* contra Saracenos, in Italia, foedus ambit cum *Ludouico* 2 et papa; Constant. porphyr. lib. 2. themat. XI. *Hincmarus*, iunior. regis gratia excidit.

869. Hegiræ 256. die 9 Dec. Synodus generalis *octaua* Cpoli coacta; legati *romani* libellum adferebant, cui omnes graeci episcopi subscriberent. Episcopi CIX; actiones X, Sed graeci (Zonaras, Balsamon) solent synodum *Photii*, sub Iohanne 8 nominare *octauam* generalem, non hanc; alii tantum 7 numerant, itaque *florentina* synodus a quibusdam dicebatur *octaua*, etiam in papae priuilegio; vid. *Pagi* n. 16. 17. Hoc tempore *Anastasius bibliothecarius* fuit Cpoli. Post synodum statim controuersia agitata de *Bulgaria*. *Lothario* rege mortuo *Carolus*, eius regnum sibi vindicat, *Metis* coronatus; hinc a *successione* in regno *Lotharii* Epocham adhibet.

A. Christi 869. Moritur *Irmintrud*, Caroli vxor. In pugna quorumdam abbatum cum *Normannis* ad *Ligerim*, *monachus*, qui *relicta christianitate* ad gentes transierat, captus, et decollatus. *Rotlandus*, aep. arelat. a Saracenis captus, et eorum fraude vel mortuus redemtus. Deiecto califae succedit *Almotamed* Billah.

870. Hegir. 257. d. 29 Nou. Diuisio Lotharingiae ditionis inter Carolum et Ludouicum; papa pro imperatore agit, contra Carolum anathema intentat &c. *Rastizes*, seu Rastilaus in monasterium Ludouici iussu trusus; ei nepos succeſſit *Zuentibald*, qui in auum haec ipse per dolum ausus fuerat. Carolomannus in Carolum patrem rebellat; ad papam legatos mittit, qui eius defensionem suscipit, qua in re praeiuit improbus *Hincmarus*, laudun. qui ad papam scripsit, licet *Hincmar.* rhemensis iam *Carolum* regem variis scriptis, (quibus clericorum immunitatem a foro eccles. defendit,) eo adduxisset, vt redderet ea, quae Laudunensi abstulerat. Synodus *attiniaca*, ex X prouinciis, in causa *Hincmari* Laudunensis. *Normanni* orientalem Angliam sibi subiiciunt; facinora multa narrantur; *nonnae* caludenses sibi omnes nasum et labia succidunt. annales *Mabillonii*. *Bernardi*, monachi franci, iter ad loca sancta; *Hospitale* romanum Hierosolymis; *ignis paschalis* per angelum accensus, ibid. annales pag. 165 tom. 3. *Theophylactus* ab Ignatio Cpolit. primus acpiscopus *Bulgariae* creatus, (non ille, cuius superstant multa scripta.) *Suentibald* male in *Methodium* animatus eum eiecerat; hoc fere anno eum iterum admittit. *Barium* in graecorum potestatem venit volente imper. Ludouico. *Leo* a patre Basilio in societatem imperii adscitus.

871. Hegir. 258. d. 18 Nou. *Theognostus*, magnae eccles. Sceuophyl. Romam missus, ob receptionem episcoporum photianorum. Legatio *Petri Siculi* ad *Chrysocherum*, principem Manich. in Armenia. *Tephrica* euersa per graecum exercitum. *Ludouicus* imperator captus a Beneuentano duce; ille a papa absolutionem ab extorto iuramento quaerit. *Synodus duziacensis* (cui interfuit *Ingelwin* paris. ep. post *Aeneam*)

Hinc-

A Christi 871. Hincmarum laudun. sede monet; *Caroli* libellus contra eum; ille *appellat* romanum pontificem. *Aedelredo*, angliae regi, succedit frater *Alfred*, qui monarchiam confirmauit. *Grimoal ius* episc. deserit officium praedic. in Bulgaria, non sine fraude. *Iso*, magister, moritur ap. S. Gallum; eius discipuli *Notker*, *Ratpertus*, *Tutilo*, et *Salomo*, tandem episc. *constantin.*

872. Hegir. 259. d. 6 Nou. Moritur *Hadrianus* 2; succedit archidiac. rom. *Iohannes* octauus. De *diuisione* rerum inter abbatem et monachos, hoc seculo vsitata, ob rapacitatem abbatum; *Pagi* n. 5. 6. Synodus *romana*, pro *Ludouico* imp. praesente, aduersus ducem beneuentanum. *Adagisius* beneuent. ad Saracenos deficit. Dedicatio eccles. s. Mariae, cathedralis in *Hildesheim.*

873. Hegirae 260 die 27 Oct. Conuentus episcop. siluanectensis iussu *Caroli*; contra rebellem fil. Carolomannum; in eum mortis sententia lata; oculi tantum eruuntur. Concil. *colonienſe* confirmat acta *Guntharii* aep. *Anastasius* translationem synodi 7 dicat *Iohanni* 8. a *Mero is* Dani tributum annuum extorquent.

874. Hegirae 261. die 16 Oct. Merciorum rex *Beorred*, relicto regno, Romam petit, in *schola* Anglorum ibi sepultus; (de aliis *scholis Anastasius*) *Ingulfus* in histor. *Synodus duziacensis* 2, contra incestum &c. poena in *Dudam*, nonnam, et *Huntbertum*, presbyterum, ob stuprum. *Salomon* dux seu regulus *Britan.* minor. occisus. *Basilius* iubet *Iudaeos* interesse disputationibus theologicis; praemiis, honoribusque propositis.

875. Hegirae 262. d. 5 Oct. *Ludouicus* 2 imper. moritur; supersunt numi eius in quibus *manus* excusa, et *Ro*; signum potestatis in Romam. Augusta *Angilberga* in monasterium secedit. *Carolus* caluus diligenter egit, (annal. *fuldens.*) vt *imperatoris* nomine ornaretur; hic papae quaedam auctoritas incipit ingeri. Imitatus dicitur *Carolus* graecorum habitum, *dalmaticam* &c. fuldenses ann. a. 876. Petrus de *Marca* lib. 3. de concordia c. 11 putat, renuntiasse Carolum pristino iuri imperatorum; *Pagi* aliter sentit, atque locum *Constantini* porphyrog. rectius explicat. Moritur *Ado*, viennens. et *Adventius*

A. Chriſti

875. *uentius*, metenſ. epiſc. quem *Wala* excepit, cui papa *pallium* dedit, poſt 2 annos; ſed effecit aepiſc. *treuirenſis Bertulfus*, vt a pallio ei abſtinendum fuerit. *Dani* 4 principatus in Anglia inſtituunt; *Mercios* rex *Aelfred* ſibi ſubiicit. *Ioh.* diac. ſcribit libros 4 de vita *Gregorii* M., ad Ioh. 8. Moritur *Altfrid*, Hildeshemenſis ep. ſuffectus *Liudulfus*, ex corbeia, et huic mortuo *Marcwardus*. Ex Corbeia noua monachi in *Slauos* proficiſcuntur.

876. Hegiræ 263. d. 24 Sept. *Normanni* in Friſia caeſi ſuper 100000, Adam bremenſis ex *Bouone*, (Puppone,) corbeienſi. Synodus *ticinenſis*, et *pontigonenſis* in Gallia, quibus imperator Carolus agnoſcitur et confirmatur; in *pontig.* etiam de *Formoſi*, portuenſis epiſc. damnatione actum; lecta *epiſtola* papae; dicebatur ſe *Bulgaris* perpetuum epiſcopum ingerere voluiſſe &c. Diuiſio inter filios Ludouici germ. *Ludouicus* Franconiam, Thuring. Saxon. Friſiam, partem Lotharing. *Carolomannus* Baioariam, Pannoniam, Boemiam, Morauiam, Carantan. *Carolus* craſſus *Alamanniam*, partem Lotharing. alteram accipit. *Normanni* quidam *baptizati* ab Hugone abbate, *munera* ab imperatore accipiunt; ſed poſtea morem paganicum retinuerunt. annal. *bertin.* Moritur *Ludouicus* german. eius fil. Ludouicus ſuperat *Caroli* imp. exercitum; *bertin.* metenſ. *Rollo*, Normannorum dux, in Galliam (in Neuſtriam) venit, atque per annos fere XL bella continua geſſit. *Ruſſis* per Ignatium Cpol. datur epiſcopus; a quo miraculum poſcunt, Euangelia non combuſta. *Fortunius*, Nauarrae rex, poſt *Gaſtiam* Enneconis. Concil. *Ouetenſe*, ſub Alfonſo 3; ex auctor. papae et *Caroli* magni, i. craſſi. vid. Pagi ad an. 882. 4.

877. Hegiræ 264. d. 13 Sept. Synodus *Rauennae* menſe Auguſto, epp. 130. canones 19, de immunit et diſciplina eccleſiaſtica. *Carolus* imp. a papa Romam inuitatus, venit; *Synodus* rom. pro confirmatione imperatoris; hic veneno, per Iudaeum Sedeciam dato moritur; ei ſuccedit in regno gallico fil. *Ludouicus*, balbus. De *ſpata S. Petri*, per quam de regno inueſti-

A. Chriſti

ueſtitur, annal. *bertin.* *Carolomannus*, baioar. fit rex *Italiae*; *Ignatius* Cpolit. patriarcha moritur. *Alfred*, rex Danos reprimit.

878. Papae epiſtolae ad patr. Cpolit. et Baſilium, de reddenda *Bulgaria*, aliter patriarcha dignitate exuendus. Papa in *Galliam* proficiſcitur, a *Romanis* male habitus; *ſynodus* trecenſis 2, in cauſa papae aduerſus Comites quosdam Italos; (ei ab epiſcopis Galliae ſtipendia data.) *Hincmar.* Laudun. libellum offert aduerſus Remenſem. Prophetia inter barbaros, vrbem *Adatam* non occupatum iri, niſi a quodam Conſtantino; quam Conſtantinus porphyrog. per ſe impletam miratur, in vita *Baſilii* n. 48. *Syracuſas* expugnant Muhammedani; *Theodoſii* monachi deſcriptio huius expugnationis, apud *Pyrrhum* in *Sicilia ſacra*. *Alfred* in Danos feliciter rem gerit; alii regno exeunt; *Gudrum* eorum rex, fit Chriſtianus, nomine *Athelſtan*, cum 30 electis viris de exercitu ſuo. Rex Alfred arcem *adelingiam* mutat in monaſterium. *Indulgentiae* delictorum, pro eis, qui in bello cum paganis occiduntur. annal. Mabill. p. 215.

Hegirae 265. d. 3 Sept.

879. Moritur *Ludouicus* balbus; miſſa antea corona et ſpata, ad fil. Ludouicum, 3 inter Franciae reges; (al. filius, *Carolomannus* fit a. ſeq. rex Burgundiae, Aquit. *Carolus*, ſimplex, iam poſt patris mortem demum ex alia matre natus.) *Boſo*, ſtudiis vxoris, (filiae Ludouici 2 deſponſatae *Baſilii* Conſtantinop. filio) ab Epiſcopis rex *Burgundiae* et *Prouinciae* proditus, apud Mantalam. *Carolus*, craſſus, Ludou. germ. fil. fit rex *Longobardiae*. Baſilius *Photium* reſtituit; probante Iohanne 8. *Synodus Photii*, epiſcoporum 380; legati romani rem parum ſtrenue egiſſe dicuntur. Canones 3 conditi. *Sicilia* porro a Saracenis vaſtata.

Hegirae 266. d. 23 Aug.

880. Reſcindit papa legatorum ſuorum Cpoli acta; *Marinum* mittit, vt Photium anathematizet. Saraceni a graeca claſſe victi. *Carolomannus* Ital. rex moritur, relicto ex concubina *Arnulfo*. Inter Ioh. 8 epiſtolas exſtat ad *Methodium* aep. pannonienſem, quem *Romam* euocat, n. 195. (anni

Hegirae 267. d. 11 Aug.

A. Christi 880. superioris); alia 194, miratur, quod aliter doceat, quam professus fuerat; ad *Suentopaltum*, 247, qua significat, se *Methodium* reperisse innocentem, eumque remittit. *Wichinum*, presbyterum, electum (a Morauis) episcopum *nitriensem*, dicit, se consecrasse; *litteras Slauonicas*, repertas a Constantino, philos. laudat. De ista Iohannis 8 innouatione conqueruntur postea episcopi cum *Theotmaro*, apud Ioh. 9. *Carolus* crassus ipso natali Christo imperator factus. Reges Francorum (Ludouic. et Carolom.) in Bosonem ducunt. *Normanni* in Saxoniam irruunt; Martyres *Ebbekesdorpienses* die 2 Februarii in actis SS. signati; in quibus Episcopus *Mindensis*, *Hildesheimensis*, *Bruno*, Saxon. dux &c. annales fuldenses. *Bohemi* et *Sorabi* in Thuringia; repulsi a *Poppone* marchione.

881. Hegiræ 268. die 1 Aug. Papa vehementissime flagitat auxilium contra Saracenos a *Carolo* crasso. Normanni porro Galliam, praecipue belgicam vastant, *Athanasius*, Episc. et dux Neap. in foedere cum Saracenis, Campaniam &c. vastat. *Basilii* imperatoris annus 17 a fine Augusti. Caedes monachorum *Vulturnensium* per Saracenos.

882. Hegiræ 269. die 21 Iul. Contra *Eutropium*, presbyterum Longob. recte notat *Pagi*, Caroli crassi missos institiam in ducatu romano et exarchatu rauennat. administrasse, vt antea fiebat, vide et ad a. 875. 9. 10. Hoc anno finiunt annales *fuldenses*; inde continuator *Lambecii* et alius *Freheri* pergit. Iohanni 8 venenum propinatum et cum id non sufficeret, is malleolo percussus; fuld. *Freher.* suffectus ei *Marinus* 2, quem annalista Lamb. fuld. *contra canones* electum scribit, nempe a Bulgaris aepiscopus postulatus fuerat. Moritur Ludouic 2 german. sepultus in *Lorch*; fratris ditiones occupat imperator, qui pacem *Normannis*, quia hi praeualebant, offert, si christiani fiant; *Frisiam* concedit, vt *Godefridus*, dux eorum, Lotharii filiam ducat. *Liutwardus*, ep. et comes *Wichert*, pecunia corrupti, tam foedam pacem persuaserant. *Normanni* Treueros, Mettasque occuparant et incenderant; *Wala*, metensis ep. qui eis audebat resistere fuerat occisus.

A. Christi 882. cisus. *Hincmarus*, rhemensis, moritur Sparnaci. Pluribus de Normannis et baptismo Godefridi, &c. narrat annalista *Lambecii*; iidem Normanni Galliam vastant; *Ludouico* rege, Caroli calui filio, nunc mortuo.

883. Hegiræ 270. die 10 Iul. Hoc anno Pagi de *Ioh. Scoto* pluribus agit, quem solebant in martyres referre, graphiis (aut a 2 clericis) in Anglia (in quam ab *Alfredo* vocatus,) confossum; idem *Pagi* pluribus, post de *Marca*, et *Harduinum*, confirmare studet, eumdem esse *Ratramnum* seu Bertram, qui de corpore et sanguine domini scripsit, cum *Ioh. Scoto* Erigena; *Herigerum* idem sentire de eucharistia; licet *Mabillon* aliique aliter sentiant. *Oudinus* tomo 2 differt. de *Ioh. Scoto* id agit, vt efficiat, Ioh. hunc et illum, qui cum *Grimaldo* hoc fere anno in Angliam vocatus fuit ab Alfredo, abbas *Adelingiae*, esse eumdem. Fuit olim omnino in *martyrologio*. *Guido* (postea imperator, dux Spoleti) in Italia a Carolo imper. vt maiestatis reus beneficiis priuatus, foedus cum Saracenis iniit; vt in ducatum restituatur; cum *Graecis* consilia clam iniisse dicebatur; *Berengarius* contra eum missus. *Alfred* mittit eleemosynam Romam et in Indiam, (aethiop.) Hoc anno *Oxonienses* schola fundata dicitur, *Mabillon*. annales p. 241. item de Ioh. *adelingensi* abbate, p. 242. *Bernardus* S. Galli abbas viuo *Hartmoto* suffectus.

884. Hegiræ 271. die 29 Iun. *Marinus* papa mortuus; succedit *Hadrian* 3, qui ob Caroli ignauiam et perpetua Saracenorum mala, decretum illud emisisse narratur, vt moriente Carolo sine filiis, regnum (Italiae) *italicis* principibus cum titulo imperii traderetur; aliud, pontificem consecrari posse, sine praesentia legatorum Regis. Normanni a *Francis* magna clade affecti; Epistola *Remberti* Hamburg. ad *Liutbertum* mog. annalista Lambecii. Imperator in Norico cum *Zwentiboldo* colloquium habuit; cum *Guidone* pacificatur. *Bertharius*, abbas, et alii *cassinenses* a Sarac. occisi. *Carolomannus* in venatione occisus; eius frater sub tutela *Hugonis* abb. septennis adhuc puer. *Asser* abb. bancorensis a rege *Alfredo* ad litteras iuuandas e

Wal-

A. Chriſti

Wallia aduocatus; eum alii *meneuenſem* aep. alii *Schirburnenſem* ep. faciunt; Pagi oſtendit, ſcriptorem hunc fuiſſe meneuenſis *Aſſeri* nepotem.

885. Hegiræ 272. die 18. Iun. *Hadrianus*, quem imperator ad ſe inuitarat, vt in filium ex concubina *Bernhardum* conferret regnum, moritur; annal. *Lambec.* Ei *Stephanus* 5, (aliis 6) ſuffectus, inconſulto imperatore, qui ideo legatos *Romam* miſit, qui eum deponerent, *Lambec.* *Normanni* per *Liutbertum* aep. mogunt. et iterum per Friſones caeſi. *Hugo*, fil. Lotharii regis, cuius ſororem *Godefrid* duxerat, ob conſpirationem, oculis priuatus iuſſu imperatoris, et *Fuldam* miſſus. In Societatem S. Galli adſciſcitur *Rataldus* veron. ep.

886. Hegiræ 273. die 8 Iun. *Baſilius* Macedo, mortuus; ſucceſſit *Leo* ſapiens; ad quem pater commonitoria capita 65 ſcripſit. *Photio* iterum eiecto *Stephanus*, filius Baſil. ſuffectus, vix annorum 16. *Normanni Lutetias* obſident; deſcripſit obſidionem *Abbo*, monachus, et poeta, S. Germani pratenſis. *Muhamedo*, regi Sarac. in Hiſpan. ſucceſſit *Almundar*. *Oxoniae* magna diſſenſio inter antiquiores et nouos doctores. *Liutwardus*, vercell. ep. adulterii, cum Richardi ſuſpectus, ex palatio pulſus; imperatrix in monaſterium conceſſit. Idem Liutwardus e monaſterio brixienſi virginem raptam nepoti ſuo dederat. Concil. *Colonienſe* ſex Epiſcoporum.

887. Hegiræ 274. die 28 Mai. *Carolus* craſſus a Francis auſtralibus aliisque relictus; ii *Arnulfum*, nepotem eius, regem faciunt; *Carolo Liutbertus* mog. aep. cibum et potum ſufficit. Normanni continuam calamitatem Galliae inferunt. *Boſo*, rex Burgund. moritur. *Guido* dux feliciter res aduerſus Graecos in Italia gerit.

889. Hegiræ 275. die 16 Maii. *Carolus* imp. moritur, ſepultus in Augia; Italiae pars *Berengarium*, foroiul. pars *Guidonem*, Lamberti fil. eligit regem. *Odo*, fil. *Roberti*, comes pariſ. rex Franciae, pariſios ſtrenue defendit; cui poſtea *Carolus* ſimplex oppoſitus fuit; diuiſio facta inter Francos *Teutones* et *Latinos*, vid. *Pagi*. *Rudolfus*, rex burgundiae transiuranae; Synodus *Moguntina* ſub *Liutberto* aep. canones 26;

Me-

A. Christi 888. Metensis, can. 13 (c. 7 contra Iudaeos, c. 13 indictae preces et Litaniae, pro Arnulfo rege) Moritur *Rembertus*. aep. Hamburg. acta SS. d. 4 Febr. succ. *Adalgarius* eius iam adiutor. *Alamundaro* successit frater *Abdalla*.

889. Hegirae 276. d. 5 Maii. *Hunni*, Hungari ab annalista *metensi* hoc anno descripti. *Parisios* Normanni iterum obsident. Sigillum regis *Odonis* apud Mabill. annal. p. 271. *Arnulfus* contra *Obodritos* Vandalos parum proficit; *Berengarius* a Guidone Italia expulsus ad Arnulfum se conuertit. Origines monaster. *Gigniaci* per *Bernonem*, e comitibus Burgund. abbatem.

890. Hegirae 277. d. 25 Apr. *Arnulfus* concedit *Suentiboldo* ducatum *Behemensium*, annal. *metens.* Concil. *Valentinum*, in quo *Ludonicus*, Bosonis fil. rex *arelatensis* proditus, non inuito *Arnulfo*, quem eius mater *Ermengardis* adierat.

891. Hegirae 278. die 14 Apr. *Stephanus* papa moritur; postquam *Guidonem* coronauerat imperatorem; successit *Formosus*, a quo mali, quod papas seculi sequentis infecit, labem incepisse scribit *Mabillon*. Eum *portuensem* ep. exauctorauerat Ioh. 8; restituerat Marinus. *Arnulfus* Normannos magna clade afficit. *Beneuentum* per *Symbatium*, patricium, occupatur. *Hatto* in locum Sinderoldi, fit aep. moguntinus, per eum *Bernardo*, S. Galli abbate, deiecto, (quasi *Berengario* faueret contra Arnulfum) *Salomo* fit abbas, et postea episcopus *Constantiensis*.

892. Hegirae 279. d. 3 April. *Berengarius* et *Guido* imperatoris nomine vterque inde a superiori anno vtuntur. (Anonymi poetae carmen, de laudibus *Berengarii*, augusti,) etiam *Lambertus*, Guidonis fil. hoc anno. Nempe monasteriis multa impertiebant, itaque fautores sibi parabant. *Normanni* Ripuariorum pagum ingrediuntur; *Prumiam* vastant; abbate *Farabert.* *to*, cui hoc anno successit *Regino*. *Hasting* (*Hastaen,*) normannor. dux in Angliam traiicit. Califae babyl. succedit *Mutazed Billah*, sub quo *Tauromenium* venit in Sarac. potestatem; iam *Siciliae* epp. sub Cpolitano patriarcha fuerunt, qui 2 metropolitanos, (*catanensem* et *Syracus.*) et 2 aeppos fecit, (messan. et tauromen.)

Caro-

A. Christi 893. Hegiræ 280. die 23 Martii. *Carolus*, simplex, in concilio remensi inauguratus, quia plerique principes et episcopi *Odonem* reliquerant. *Carolo* et *Formoſus* per *Fulconem* rem. fauet. De *africanorum* epporum schiſmate, ex Epiſtola *Formoſi* ad *Fulconem* eundem apud *Flodoardum* lib. 4. c 2. *Fulco* reſtituit 2 ſcholas canonicorum, et clericorum ruralium; idem Flodoard. *Arnulfus* mittit legatos ad Regem *Bulgariae*, pro pace confirmanda, et ne *Suentitibaldo*, auxilium ferrent. *Stephano* Cpolitano ſuccedit *Antonius* Cauleas, Pagi ad a. 88. Bellum graecum contra Bulgaros, parum felix. *Arnulfus* Hunnos contra *Suenteboldum* in auxilium vocat; idem a *Formoſo* contra Guidonem in Italiam vocatus venit.

894. Hegiræ 281. d. 12 Martii. *Guido* moritur cruoris vomitu; *Placentia* Arnulfus in Galliam redit; itaque falſum eſt, hoc anno eum Romae a *Formoſo* coronatum fuiſſe; papa *Lamberto*, quem *Angiltruda*, mater, adiuuat, diadema imponit, annal. metenſ. *Berengarium* Itali multi deſerunt. *Fulconis* epiſtolae ad *Alfredum* (Albradum) et *Plegmundum* aep. (Pleonicum) (apud *Flodoardum* lib. 4 c. 5) contra ſacerdotum in Anglia concubinas; Pagi etiam *Formoſi* epiſtolam ad eppos Angliae in hunc annum refert, de eadem cauſſa. Dux *Bohemorum* Borivoi (Borſivoi) hoc vel ſuperiori anno baptizatur; moritur *Suentibald*; inde Behemi aliique Slaui per maiores prouincias ducibus ſuis vſi, licet a nexu Germanicorum regum non omnino liberi Monachi *Emmeramenſes* immunitatem monaſterii ſui contra Epiſcopos, ab *Arnulfo* obtinuiſſe dicuntur; annal. Mabill. p. 292.

895. Hegiræ 282. d. 2 Mart. Concil. *Triburiae*, non longe a Moguntia, epporum 22, can. 58, praeſidente *Arnulfo* pio principe; c. 30 licet vix ferendum imponatur a ſancta ſede iugum, pia deuotione toleremus; ſed falſis Apoſtolicis litteris, ſi quis vtatur &c. Antea iam in alia ſynodo Francofurtenſi actum de diſſidio inter colonienſem aep. et Bremenſem *Adalgarium*, qui ne ſpeciem quidem ſubiectionis erga Colon. obſeruabat; epiſtola *Formoſi*, papae, (ap. *Henſchenium* in comment. praeuio ad vitam Anſcharii)

A.Christi 895. scharii) *dispensatiue* interea Adalgarium tuetur. *Arnulfus* rex in conuentu *Wormatiensi* filium *Suentibaldum* facit regem *Lotharingiae*; eius diploma apud *Mabill.* de re diplom. lib 5 c. 35. Idem rex iterum a papa Romam inuitatus contra *Lamberti* tyrannidem, eo exercitum ducit. Moritur *Antonius* Cauleas, Cpolit patriarcha.

896. Hegiræ 283. d. 19 Febr. *Arnulfus* Romam, quam *Angiltrud* munierat, vi occupat, a Formoso imperialem consecrationem accipit, *romani* iurant omnes fidelitatem; (iuramentum exstat in contin *fuld Freheri Formosus* mense Aprili mortuus; success. (inuasor *Baronio*) *Bonifacius*, vix dies 15; porro *Stephanus* 6 (aliis *Nicolaus* dictus) Baronio 7. Is initio *Arnulfo* deditus, postea vero *Lambertum* secutus est. *Synodus* eius contra *Formosum*, quem e sepulcro in sella positum, quasi conuictum &c. *Luitprandus* male tribuit *Sergio* papae. Hic *Baronius* multis scribit, de luctuosissimis et infelicissimis temporibus *romanae* ecclesiae. *Deforme* et *turpe caput* ecclesiae, sed tamen *non penitus amens* inuentum, et fide catholica sibi constans; ab eius itaque reuerentia et obsequio fas non fuit se substrahere. *Bulgari* Hungaros seu *Auares* vincunt; rex Bulgar *Simeon*, Vladimiri fil est *Beneuentum* per march. Tusciae Graecis eripitur.

897. Hegiræ 284. die 8. Febr. Pagi de isto decreto hic pluribus agit, quod alii olim *Stephano* 4 tribuebant: vt papa rite electus consecretur praesentibus legatis imperialibus; idque huius *Stephani* esse contendit. Ei in carcere strangulato, hoc a. successit *Romanus*, vt docet *Pagi* ex 2 Romani epistolis, quas edidit *Baluzius* in appendice ad *Marcam Hispanic.* Suentibaldus, Arnulfi fil. ducit *Odam*, filiam Odonis regis.

898. Hegiræ 285. die 28 Ian. *Odo*, qui regnum Galliae vsurpabat, moritur, relicto filio *Hugone*, comite paris. ex quo ortus *Hugo Capetus*. Solus regnat *Carolus*, qui pacem init cum Suentibaldo. Moritur *Romanus* papa; successit *Theodorus* 2, atque huic post dies 20, *Iohannes* 9, pulso *Sergio* 3. Concilium *Romae* atque aliud *Rauennae*, habitum a Ioh 9. In romano, illud decretum de electione romani pontificis confirmatum; *Stephani* 6 concilium contra *Formosum*, abrogatum, etiam *Arnulfi* consecratio reiecta, con-

A. Christi 898. confirmata vero *Lamberti*, qui cum *Berengario* pacem inierat. *Rauennae* concilio interfuit Lambertus et 74 eppi; de *decimis* confirmata capitularia; etiam illa 12 capita huc pertinent, quae *Baronius* edidit anno 904 num. 26 quae *Goldastus* etiam tom. 1 constitut. imperiat. p. 299 quasi Berengarii recitat, et falso conuentum *Ticinensem* designauit. *Lambertus* paulo post occisus; inde illa Italorum pars *Ludouicum* 3, regem Prouinciae, inuitat. Exemplum matrimonii, quod presbyter *Angelricus* iniit, hic recitat *Pagi*; ex epistola *Mantuonis* episcopi catalaun. ad *Fulconem*, apud *Mabillon.* in analectis.

899. Hegirae 286. die 17. Ian. *Regino* prumiensem abbatiam *Arnulfi* iussu cedit Richario, fratri *Gerardi* et *Matfridi*, comitum, qui multum valebant apud Arnulfum. Moritur *Arnulfus* imperator; in Germania inde magna perturbatio; successit *Ludouicus*, puer. *Salomon*, constant. episcopus, in carminibus saepe istum statum tangit. *Ludouicus* facile ex Italia pulsus per Berengarium.

900. Hegirae 287. die 7. Ian. 288. die 26 Dec. *Benedictus* 4 succedit Iohanni 9. *Fulco*, aep. rhem occisus per *Balduinum* 2, comitem Flandriae; successit *Heriueus*; *Adelberto*, march. Tuscorum, aliisque italicis principibus displicet Berengarius, *Ludouicum* ergo reuocant; eum *Benedictus* 4 coronauit, post mensem Augustum, Pagi. *Vngari* Italiam vastant, *Baioariam* inuadunt, pars a *Luitbaldo* comite caesa; contin. fuld. Freheri, (viuo adhuc Iohanne 9. Pagi num. 21.) Itaque isti episcopatus, a Ioh. 8 in Morauia erecti, de quibus queruntur episcopi *Theotmari* salisburg. per *Hungarorum* inuasionem rursus extincti; ecclesiae pleraeque omnes in *Austria* dirutae, vsque ad *Ottonem* M. *Auentin.* lib. 4. ex epistola *Benedicti* 7. *Godeschalcus*, abbas Corbeiae nouae, deiectus; cui *Bouo*, iunior, suffectus. Moritur *Alfred*; cui fil. *Eduard* successit. Floret *Grimlaicus*, sacerdos; hoc nomine habetur *regula solitariorum*; hic de *reclusis* et modo recludendi, plura habet Mabillon in *annalibus*; idem de indictis hoc seculo *ieiuniis triduanis*; ex epistola inter formulas alsaticas. *Buchaugiense* coenobium virginum sub finem seculi conditum.

SECV-

SECVLVM X.

CAP. I.

De Romanis pontificibus.

Nempe videtur operae pretium, hoc argumentum iam capite quodam ſingulari complecti; cum vel romani recentiores ſcriptores non fateri nequeant, inſignem atque eximiam, inauditamque antea prauitatem romanos epiſcopos plerosque omnes, inde ab hoc ſeculo praecipue, prae ſe ferre. *Baronius* ſaepe talia carmina ingerit; iam a. 897, iſta — maximam irrogarunt ignominiam ſ. rom. eccleſiae; clerus ſatius eſſe exiſtimauit, intruſos hos papas qualescunque tolerandos, quam eccleſiam ſchiſmate confundendam; a. 900 nouum ſeculum, ſui aſperitate et boni ſterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum — praefari aliquid neceſſarium duximus, ne quid ſcandali animo puſillus patiatur, ſi quando videre contigerit, Dan. 9, abominationem deſolationis in templo — in immenſum excreſcente ſcelerum diluuio, penitus obrui videri potuit nauicula Petri, omni pene remigio deſtituta — ad a. 912 n. 7 hic ſtatus infelix ſ. romanae eccleſiae, vt arbitrio *potentiſſimae meretricis* Theodorae, matris, omnia mouerentur, &c. Similia *Bellarminus*, *Mabillon.* ſaec. 5 praef. *Pagi*, aliique; nec ſcriptores antiquiores tacent. Excitauit *Pagi* a. 900 locum ex chronico *Hugonis*, antiſiodor. (quod *Roberto*, eius continuatori ſolebat tribui,) de monaſtica omni fere diſciplina collapſa — Abbatiae antiquiores, quae in vrbibus *Franciae*, ſeu caſtris nobilioribus fuerant editae, a tramite adeo exorbitauerant, vt pene omnes in eis curis carnis ac ſuae voluntatis ſtudio addicti eſſent — Sic *Osbertus*, in vita S. *Dunſtani*, c. 38, *ordo clericalis* ea tempeſtate plurimum erat corruptus; cano-

nici cum presbyteris plebium, voluptatibus carnis plus aequo inseruiebant &c. Ita et papa *Marinus* 2 reprehendisse narratur *capuae* ep. Siconem, ob ignorantiam litterarum et familiaritatem secularium. Sed non opus est plura hic nos afferre, quae vniuersae ecclesiae sub solem occidentem statum turpissimum informant, cui rei erit postea locus; de paparum moribus foedis satis multa Centuriatores, *Heideggerus*, *Mornaeus*, *Löscher*, (römisches Hurenregiment) iam collegere; paucis tantum attingimus, *romanos* scriptores tamen hic aduersus Protestantes, qui talem ecclesiam et tale caput iure suo auersantur, ineptas sententias opponere; vt vel *Pagium* non puduit a. 900 n. 2 scribere: nouatores male ex iis inferunt, praua in hoc seculo dogmata exorta esse; n. 3. mera impostura est, quod Heterodoxi fingunt, hostem sec. 10, dum vitiorum somno pastores ecclesiae oppressi essent, et omnia tenebris plena, *zizania superseminasse*, quae puram ac genuinam fidei sementem suffocarint — cum e contra in illo seculo tam pauca circa fidem errata exorta fuerint, et populi ad Christi fidem conuersi, *vt illud felicissimum fuisse dici possit.* Quid est autem impudenter et mala fide agere, si hoc non est? *Baronius* autem caussam tot malorum audet illam recensere, a. 900 n. 3, quod principes seculi — *arrogauerunt sibi tyrannice electionem* romanorum pontificum. Quot tunc *ab eis* in hanc sedem, angelis reuerendam, (o sedem omnino angelicam!) visu horrenda intrusa monstra? — nihil ecclesiae romanae contingere potest funestius — Nempe *Baronius* audet historiae lucem non reuereri. Cur inde a dominio Graecorum, Gothorum, Longobardorum, Francorum, quorum regum profecto auctoritas, vt scimus, numquam abfuit a romanorum episcoporum electione, talia monstra, tam horrenda in angelicam istam sedem non leguntur intrusa? Ita vero potius res habet: quia reges et domini terrarum variis litibus se ipsi conterebant, defuit tandem iusta eorum auctoritas in episcopos, et praecipue in *romanum;* nempe *Italiae* principibus, inde a Carolo

crasso,

crasso, papae malebant summae potestatis nomen accedere, quam eam Francorum, Germanorumque timere. Hinc leges sanctiores de ordine ecclesiastico, tam multis *capitularibus* comprehensae, vi et virtute sensim caruerunt; hinc et illa insciticia et ignorantia clericorum valuit, quam optimi principes antea facile repellebant. Vidimus *Carolum*, *Lud.* pium, &c. ius *reformationis* diligenter exercuisse; excerpsit ipse *Natalis Alexander* in histor. sec. 9. 10. c. 5. pag. 152. 153. Ludouici pii quasdam graues formulas: *nostri principatus auctoritate* — ne ordinis monastici collapsio locum habeat — vt *Missi dominici* per singulas ciuitates, et monasteria vtriusque sexus — inquirant de *conuersatione* singulorum &c. Sed opus non est, vt ea hic repetamus, quae superiori seculo satis copiosa exhibuimus.

Paparum nomina et tempora in *tabula* exhibentur; itaque hic tantum de quibusdam aliquid addemus. Obseruarant iam *centur. magdeburg.* paparum de *Formoso* contraria decreta; ergo necessario quosdam papas erasse, *Bellarminus*, (qui et in praefatione in libros de romano pontif. scribebat, agnoscimus, fatemur; sed tantum abest vt talibus monstris gloria huius sedis obscuretur vel minuatur, *vt iisdem potius vehementer crescat et amplificetur.* Hanc gloriam non inuidemus romanae sedi!) respondet, erasse Stephan. 6 et Sergium 3, sed in quaestione facti; non falsa doctrina. Aliter sensit *Auxilius*, de ordinationibus *Formosi*, lib. 2. (postquam narrauerat, *Sergium* hunc in *Synodo* aduersus *Formosum* anathema pronuntiasse,) c. 18, aliud sunt pontificales *sedes*, aliud *praesidentes;* hi si deuiauerint, *si contra fidem vel catholicam religionem agere coeperint:* in talibus eos nequaquam sequi debemus. Hic *Sergius* ex *Marozia*, celebri scorto, filium procreauit. Itaque *Nat. Alexander* ex cantico affert de ecclesia: nigra sum, sed *formosa;* Marozia certe formosa fuit, cui nigra ecclesia subfuit hoc tempore. Solus e romanis *Muratorius* in histor. *Italiae* ad a. 911 audet in dubium vocare *Luitprandi* fidem; vt *Eccardus* (in origg.

guelfic. tom. 1. p. 131,) *Maroziam* coniugem *Sergii* facere voluit, cuius ineptum et temerarium ſtudium iam *Moshemius* improbauit. *Iohannem X*, *Theodora* iſta meretrix in ſedem angelicam poſuit; is ad *Graecos* ſe rurſus conuertit, et auxilia contra *Saracenos* impetrauit. Mirum non eſt talem papam, *Hugonem*, puerum 5 annorum, cuius pater, *Heribertus*, comes Aquit. veneno ſuſtulerat *Seulfum*, aep. rem. confirmaſſe in hac ſede; pater in temporalibus adminiſtrabat; o monſtrum! exclamat Nat. Alex. Nempe tamen eccleſiae bonum procurauit papa! Vitam nefariam infelici morte finiuit; *Marozia* enim papam in carcerem coniecit et ceruicali ſuffocari iuſſit. Iohannes XI, ille Sergii et Maroziae filius; ab *Alberico*, (Maroziae eiusdem ex marchione Alberico filius) in cuſtodia habitus; qui et ab eo extorſit hoc priuilegium, quod *Romanus* Lecapenus rogabat, pro filio eunucho patriarcha Cpolitano, vt absque paparum permiſſu iam patriarchae iſti pallio vterentur; ex quo turpi commercio ille mos inoleuit, vt tam patriarchae quam ceteri Graeciae epiſcopi palliis vtantur; (*Luitprandus* in legat.) *Stephanum* 8. (9) ſcripſerat *Baronius* ab *Alberico* tot ictibus multatum, vt ob vulnerum in facie turpitudinem abſtinuerit ab hominum conſpectu; inuiſum enim fuiſſe *germanicum* hominem, *Ottonis* regis opera electum; ſed *Papebrochius*, *Pagi* (in breuiar.) et Muratori non ſine ratione negarunt, *Ottonis* iam hoc tempore fuiſſe tantam auctoritatem. Itaque neminem mouere debet, quod *Nat. Alex.* aliique Baronium exſcribant. *Marinum* 2 *prophetiae dono* inſignem fuiſſe, ſcribere non erubuit *Nat. Alex.* qui praedixerit S. *Vdalrico* epiſcopatum auguſtanum; ſumſit ex Baronio ad a. 924 n. 6, ſed ſunt incerta omnia de nomine *Marinus* et de tempore; nec opus erat prophetia. *Agapetus* 2 *Ottonem* in Italiam vocauit; Iohannes 12, antea *Octauianus* (primus inuenitur nomen mutaſſe; hoc tamen adhuc nomine *Hepidannus* eum deſignat;) vrbis poſt patrem *Albericum*, dominus, papa paene puer, (ſic eum *Otto* imper. vocat a. 963.

Liut-

Liutpr. hiſtor. lib. 6. c. 6.) Ipſe *Baronius* a. 955 n. 4: qui nec aetate diaconus eſſe potuit, oſtenſus eſt tamquam in ſcena mimus, *pontificem agens.* Contra *Berengarium* implorauit *Ottonis* I auxilium, promiſſo ſimul regno *Italiae* per *Waltpertum* aep. mediol. Poſt coronationem *mediol.* Romam venit, ſcripto antea, ſi verum eſt, *eo iuramento*, quod *Gratianus* diſtinct. 63. c. 33, *Baronius* aliique habent; ſumma tamen poteſtas vel ſic *Ottoni* manſit, vel in Romam, vt *Pagi*, *Muratori*, aliique fatentur. *Nouo imperatori* papa et populus iuramento ſe obligarunt; ſed paulo poſt eximie rerum facies mutauit. A. 963 venerunt ad *Ottonem* multi, qui de vita *Iohannis* turpiſſima et infanda narrabant; vid. continuator *Luitpr.* lib. 6 c. 6. Effrenis libido; plura ſcorta; nec inceſtus abfuit foedus; immo nec templa muliebrem ſexum aduerſus S. Petri vicarium defendebant; vi oppreſſit coniugatas, viduas, et virgines. In ſynodo iuſſu imperatoris, longo ordine inaudita elogia perſcripta fuerunt; S. palatium lupanar et proſtibulum fecit; in amorem diaboli vinum bibit; &c. — ita aperte diabolica pertractabat negotia, vt nihil circuitione vteretur. Idem fide neglecta cum Graecis et Adalberto contra Ottonem agere auſus fuit. Ad concilium, cui Otto intererat, vocatus: excommunicationem in ſchedula minabatur; *puerilem ineptiam* dixerunt patres. Tandem conſentiente omnium voce ſede ſua deiectus fuit, *monſtrum nulla virtute redemtum a vitiis.* Illa formula publice clamatum. Eius in locum electus protoſcriniarius eccleſ. (laicus) *Leo* nominis 8. *Baronius* Iohannem iſtum *aſſertum*, non verum papam dixit, quod Muratorio diſplicuit. Synodum *Ottonis Baronius*, de *Marca* (de concord. ſacerd. lib. 1. c. 11) illegitimam eſſe ſtatuunt; et *Natal. Alex.* diſſertione 16 in ſec. 9. 10; licet de *Leone* plerique ſcriptores vetuſtiores aliter ſentiant. *Launoius* etiam in epiſtolis lib. 4 ep. 1 ad *Maraeſium*, num. 27 aliter ſentit, quam Baronius. Sed mulieres, quas amabat, aliique homines, quibus omnis eccleſiae pecunia promittebatur, *Iohannem*

post 2 menses in locum pristinum restituerunt, pulso *Leone*. Iam quidam ex superiori synodo, foede *mutilati* Iohannis iussu; in noua *synodo* omnia rescissa; tandem et *Iohannes*, cum foedis amoribus indulgeret, a diabolo (a marito mulieris,) sic percussus, vt post 8 dies mortuus fuerit, sine sacramentis. Romani, obliti iuris iurandi, sine imperatoris consensu, *Benedictum* 5 faciunt; sed eos *Otto* paulo post coercuit, restituitque *Leonem* 8, *Benedictum* captiuum diaconi honore Hamburgi per *Adaldagum* custodiri iussit. *Leonis* restituti constitutio, qua *Ottoni* et successoribus eius concedit facultatem eligendi rom. pontificem, et ius inuestiturae, in *Gratiano* iam habetur, distinct. 63. cap. In *Synodo*. Sed falsam eam pronuntiauit *Baronius*, cui et *Natal. Alex.* accessit, qui negat a *de Marca* (in *concord.* lib. 8. c. 12) satisfactum fuisse argumentis *Baronii*. Falsa est alia constitutio Ottoni tributa, qua restituere se *Leoni* dicit, quae iam *Pippinus*, Carolus M. in roman. ecclesiam contulissent, quam *Goldastus* tom. 1 imperial. constit. ex *Theodorico Niem* recitauit; pluribus eam reiecit *Baron.* ad a. 964. n. 26. *Gretser.* in apolog. *Baronii*, *Pagius* &c. Iam Romani, postquam ad *Ottonem* miserant, *Iohannem* 13, ep. narniens. faciunt papam; sed quia elatior esset, vrbe eiectus fuit; a *capuano* principe tamen rogatus vel sic aepiscopatum instituit Capuanum; imperatoris metu reuocarunt eum romani. In synodo romana Otto papae vrbem et terram Rauennatium et plura alia, multis retro temporibus ablata romanis pontificibus, reddidit. Filium imperatoris coronauit. Sub eo *Poloni* fiunt christiani; ad quos legatum misit *Aegidium*, tusc. ep. qui episcopatus institueret; etiam ad imper. graecum legatos misit, pro nuptiis *Annae* cum *Ottone* 2; (*Luitprand.* legatio;) minus bene susceptí legati, quia imperatorem *orientis*, non Romanorum, litterae nominabant; postea tamen illa *Theophania* per Ioh. hunc *Ottoni* iuncta fuit, 971. Hunc papam quidam primum *baptizasse campanam* narrrarunt; sed recte *Sandinus* scribit: ego magnos

auctо-

auctores secutus iam ante Iohannem campanas consecrari coeptas magis credo. Post hunc 972 mortuum, statim *Herman.* contract. et alii *Donum* papam nominant; mansit auctoritas *Ottonis*, cuius confirmatio exspectanda fuit, cum Bened. 6 electus esset; post mortem *Ottonis* 1 Romani ad ingenium illud ferox redierunt: *Benedictum* in carcere obtruncarunt, a. 974. *Bonifacius*, qui caedem patrarat, per mensem fere papae nomine vsus, tandem Cpolin fugit, (vt ibi auxilia quaereret contra potestatem Germanicam;) hoc expulso *Donus* 2 electus, paulò post ei mortuo *Benedictus* 7 suffectus, episc. iam Sutrinensis; auctor vitae S. *Maioli* narrat, *Ottonem* 2 voluisse *Maiolum*, clun. abb. ad culmen apostolicae dignitatis euehere; itaque non sine *Ottonis* consensu ille alius papa factus fuit, vt *Muratorius* recte statuit. In synodo rom. horrendum illud monstrum *Malefacius*, (ita nominat Bonifac. *Gerbertus* aep. rem.) damnatus est. Ei successit *Petrus*, ep. tic. nomine Ioh. 14, archicancellarius antea *Ottonis* 2; post 8 menses fame necatus ab isto *Malefacio*, qui Cpoli redierat, 984. Aliquot menses iterum papae nomine is vsus fuit; subito mortui corpus a Romanis varie confossum et tractum, et vix tandem clericis miserantibus humatum (*Herm.* contract.) Menses 4 Iohannes aliquis sedem tenuit (quem *Baronius* et quidam alii tacent;) post eum alius *Iohannes*, presbyteri *Leonis* filius; hic nomine isto 15 dicitur; paulo post ob *Crescentii* vexationem vrbe excessit ad Tuscos; *Ottonis* 3 auxilium exspectans; cuius metu eum *Romani* restituerunt. *Abbo* floriac. qui Romae fuit, eum arguit turpis lucri cupidum, atque in omnibus suis actibus venalem; (vita S. Abbonis per Aimoin.) Otto 3 *Brunonem*, e suis cognatis, in romana sede locauit, qui *Gregorii* 5 nomine vsus est; is *Ottonem* coronauit. Fatetur *Pagi:* haec manifeste ostendunt, *Ottonem* 3 sicut et decessores, supremum dominium in vrbe exercuisse; (Murator. ad a. 996.) Eum *Crescentius* nudum omnium rerum Roma eiecit, a. 997; *Ticini* Crescentio anathema di-

xit; qui cum *Iohanne*, Placentiae aep. callide egit, vt sub Graecorum potestate Iohannes hic papa, Crescentius autem dominus vrbis fieret; atque 10 fere menses ille papam egit. Metu Ottonis, qui in Italiam venerat, aufugerat; sed Romani eum retraxerunt, linguam, nasum, oculos eripuerunt, asinoque auersum impositum canere coegerunt: tale supplicium patitur, qui romanum papam de sede pellere nititur; (sine lingua?) Post Gregor. 5. siue mortuum, siue occisum (notae germanic. ad Histor. Italiae) a. 999 *Gerbertus*, aep. Rau. ab *Ottone* in sedem romanam sublatus fuit. Iam vel verbo admonere liceat: cum tot papae huius seculi nihil quicquam siue per legatos, siue per epistolas egerint, in reliquum orbem nostrum, tamen nihil defuisse ad felicitatem christianorum; per *Ottones* autem illa monstra domita et pacatum rerum ordinem restitutum fuisse, satis patet; quam igitur inepte *Baronius* causam tam sceleſtorum paparum in reges et dominos coniicit?

CAP. II.

De rebus ad ecclesias Germaniae pertinentibus.

Meruerat profecto Historia *Germaniae* ecclesiastica, saltim a tempore *Monarchiae Francicae*, accuratiorem collectionem, atque eruditorum aliquot virorum diligentissimum studium. Sed etsi non desunt vel maiora corpora rerum *Moguntinarum*, *treuerensium*, similiumque collectionum subsidia non spernenda: nondum tamen vniuersum quoddam ecclesiasticae patriae historiae corpus quasi informatum fuit. Nec *Harzhemius*, quod iam saepius experti sumus, magno beneficio nos affecit, cum istam collectionem conciliorum *Germaniae*, praecipiti atque parum diligenti opera, nobis dedit. In continuatione *Baumgarten.* histor. *germanic.* seculi huius non parum laboris in-

sum-

sumsimus; eo etiam ablegabimus; In nostra enim illa breuitate nobis vix supereſt bene merendi opportunitas; dabimus tamen operam, vt istam *Harzhemii* inconditam molem ista libri nostri mediocritas non nihil vtilitate, quam affert, superet. Ista igitur, *Harzhemio* praeeunte, (tomo 2 operis) excerpemus; quibus et alia quaedam adiiciemus, nostro studio collecta.

A. 903 concil. *Forchhemii Ludouicus* 3 imperator habuit, cum *Adelbertus*, Babenbergensis comes satis potens, ad maiores ducum Saxoniae referendus, Wurceburgensi Episcopo, ob fratrum suorum (*Henrici* et *Adalhardi*) caedem, magnam cladem intulisset. In hoc episcoporum et procerum conuentu *Adalbertus* (qui *Forchhemium*, *Norimbergam* &c. possederat,) bonis exutus fuit; e quibus et reſarciit imperator illata damna, et maior pars ad finitimas prouincias, quaedam ad imperium, vt nunc dici solet, (iudicio Francorum, Alam. &c. legaliter *in nostrum ius publicata*; dicitur in diplomate *Ludouici*, quo e rebus *Marchionum* istorum aliquid *Rudolfo* ep. wurceburg. donat) tracta. Solent plerique scriptores de fato *Adalberti* narrare; sed miramur nostro iure, quod ne in noua quidem *Goldastianae* collectionis edit. rerum *alamannicarum*, quae *Senkenbergii* nomine superbiebat, librariorum ille error (ad Alpes, loco *Adalperti*) emendatus fuit. Ius *eligendi episcopi* confirmauit Ludouicus ecclesiae *Frisingensi*, per interuentum *Hattonis*, *Thietmari* &c. a. 906 (ex *Hansizii* german. sacra tomo 2) idem ius ergo, sine papae vlla auctoritate, aliis Germaniae episcopis per hoc tempus fuit proprium; cum sciamus aepiscopum *Salzburg.* et *Moguntin.* apud Ioh. 9 papam acriter questos fuisse, de Iohannis 8 nouo ausu Episcoporum dioecesin mutandi; de qua re vid. seculi noni initia, pag. Sic et coram eodem Ludouico in synodo *Frisingensi* complacitatum inter episcopum Frisingensem et *chorepiscopum* eius, qui in proprietatem accipit — fabrum, scutarium, pistorem, piscatorem, atque de *genetio*, 12 ancillas; (debebat vel

verbo admoneri, legendum esse de *gynaecio;*) *Chorepiscopi* mentionem nieminerimus. (Ex *Meichelbeckio.*) A. 912 Synodus *Halberstadiensis* ab episcopo *Sigismundo* indicta: cum *Henricus*, postea rex, *Hatheburgam*, comitis in Merseburg et Altstadii filiam, quae vidua in monasterio velum sumserat, vxorem sibi adsciuit. Citatus *Heinricus* rem ad *Conradum* regem detulit; qui statim legato misso episcopum iussit bannum soluere; (*Dithmar.* merseb. et ex eo annal. Saxo) *Synodus apud Altheim* (in confiniis Rhaetiae et Norici;) a. 916; capitula 16 et plura hic prodita scripsit *Auentinus;* e quo excerpsit *Pagi* ad h. a. Capitulum aliud de donationibus clericorum addidit *Leukfeld* de antiq. Halberstad. cum subscriptionibus epporum Mogunt. Treuer. Hamburg. Verdens. *argentin.* (hinc patet, hanc clausulam non pertinere ad hanc synodum, quia c. 10 apud *Iuonem Richouinus*, strasburgensis ep. citatur, vt contumax; ergo non subscripsit;) constantiens. padarbrunnens. Augustan. Haluerstad. Mimigardeneuord. Mindens. Dicitur *Iohannes* papae apocrisiarius, episc. ortonensis, interfuisse; vt emendarentur negligentiae epporum, et diabolica semina extirparentur. *Burchardus* et *Iuo* excitant quosdam canones, additis numeris; fatentur clerici se in hoc peccasse, (cum excommunicatis communicantes,) volumus poenit. agere *secrete in monasterio*, quia publice nequimus. Contra *Richuuinum* ep. qui *strasburgensem* ecclesiam inuasit, et ad sanctam synodum a nobis per litteras nostras inuitatus, non venit, nec vicarium misit; ego *Iohannes*, vicar. apostol. eum iterum voco, vt ad concilium a metropol. suo *Moguntiae* indictum veniat. Ex c. 10 contra eppos *Saxoniae*, qui citati non venerunt ad concilium; nisi ad *Moguntinum* venerint, *Romam* citantur. (ergo et hinc patet, *Leukfeldii* formulam alienam esse ab hoc *altheimensi* conuentu.) c. 35 apud *Burchardum*, (qui *Conradum* interfuisse dicit,) de seruo, quem dominus libertate donauit et presbyterum fecit per Epum, donato victu et vestitu; si iam domini sui missam et canon.

horas

horas canere nolit &c. Sub *Salomone* constantiensi epo, coniux *Vdalrici* comitis, Wendelgartis, velum in *synodo* acceperat, post maritum ab Vngaris, vt putabat, occisum. Eo vero redeunte, in *synodo* alia per Epum *velum ab ea abstractum*, et in scriniis ecclesiae seruatum. (*Ekkehart* de casib. S. Galli.) Mortuo *Stephano*, *Leodii* epo 920, pars cleri et populi vna elegerat *Hilduinum*; altera *Richarium*, abbatem prum. isti fauebat rex *Henricus*, huic *Carolus*, simplex. Supereſt epistola *Caroli* ad eppos regni sui, qua queritur, quod *Hilduinus*, fide in regem abiecta, ab *Henrico* expetierit tungrense episcopium; et quod *Hermannus*, colon. aepus, minis et terroribus adactus, *Hilduinum* consecrarit, qui thesauros eccles. tungrensis et aquisgr. palatii raptos distribuerit episcopis et comitibus. Carolus per *Berengarium* imperat. rem ad papam *Iohannem* X detulit, qui missa ad colon. aep. hunc epistola, Richarium et Hilduinum Romam citauit; exstat ap. *Harduin.* tomo 6 p. 153 seqq. In hac Epistola papa ipse scribit: cum prisca consuetudo vigeat, vt *nullus alicui clerico episcopatum conferre* debeat, nisi rex, cui diuinitus sceptra collata sunt. — hoc nullo modo esse potest, *vt absque regali praeceptione* in qualibet parochia episcopus sit consecratus — sub finem obiter addit, hoc fieri *nostrorum* anteceſſorum *auctoritate*; quod, historia teste, est falsissimum, cum regum auctoritate vel papa eligi solitus fuerit. *Hilduinus* postea fit aep. mediol. In conuentu *Bonnae* 921 hi reges amicitiam mutuam iurarunt; aepiscopi *Caroli:* aep. *colon. treuirensis*, ep. camer. catalaun. traiect. *Henrici:* aep. *moguntinus;* ep. mimigernenord. osnabrug. Wormat. paderbrun. constant. A. 922 synodus apud *Confluentiam*, episcoporum vtriusque regis; *Burchardus* et *Iuo* quaedam capitula recitant; ne quis infra generat. 6. nuptias ineat; laici, qui capellas habent, decimas ipsi non accipiant, sed presbyteri; vt monachorum ecclesiae subsint Episcopis. *Synodus Erpesfurti*, iussu *Heinrici*, (alii a. 932. al. 935) epporum 13, vt *natalitia*

talitia 2 apoſtolorum celebrentur; ne per placita aut bannos impediantur chriſtiani a frequentatione eccleſiarum; vt nemo ſibi ipſe ieiunium imponat ſub obtentu religionis, quia plus cauſa hariolandi eſſe cognoſcitur. a. 932 regnante *Arnolfo*, venerabili *duce*, ſynodus generalis apud *Radesponam*, metropol. *regni norici*, eppi 5, et *chorepiſcopus* (forte patauienſis). Nempe dux *Baioariae* ius circa ſacra maxime ipſe exercebat; vt annaliſta Saxo de hoc Arnulfo ad a. 907 *Arnulfus*, Luitbaldi fil. in ducatu ſucceſſit, qui *omnes Epiſcopatus* Baioariae *ſua manu diſtribuere*, ſolus omnium Baioariae ducum, *ſingularem accepit poteſtatem*; nempe eam accepit a *Ludouico* imperatore, ne cum *Berengario* faceret. Fuit autem iam ſuperiori tempore illa ducum Baioariae ſatis clara cura eccleſiaſticarum rerum (de *Ludewig* differt. de princ. S. R. I. poteſt.). Hanc ſynodum ex Msto *Stabulenſi* edidit *Martene*. Hoc eodem anno 932 ſynodus *Dingolfingenſis* narratur, 5 epiſcoporum (2 *chorepiſcopi* etiam nominantur;) de reſtituendis ab *Arnulfo* eccleſ. poſſeſſionibus; (*mali* nomen ei a monachis inditum;) *Leonis* 7 epiſtola ad Galliae, Germaniae, Baioariae, Alemanniae eppos; (etiam regibus, ducibus,) nominantur *Iuuav. Ratispon. Friſing. Sebonnenſis* eppi. Narrat veniſſe *Gerardum*, laureac. aep. Romam, et multa expoſuiſſe, quae reprehenſione digna eſſent. De poenitentia, auguratoribus, et incantatricibus, vario modo *mortificatis a populo*, imponenda. *Pax vobis* dicant epiſcopi in dominicis &c. ſed in XL et 4 temporibus, vigiliis ſanctorum et ieiuniis, *dominus* vobiscum. Conſuluit: vtrum *dominica oratio* in benedictione ciborum debeat vſitari? negat papa; tantum in ſanctificatione ſ. coenae. Quod *ſacerdotes publice ducant vxores*, et an filii eorum valeant promoueri? Illud vetat papa; hoc concedit; filius non portabit iniquit. patris. Ne a *chorepiſcopo* eccleſiae conſecrentur; (hi ergo diu in *Baioaria* continuarunt.) — *Gerardo* vicem noſtram in cunctis finibus veſtris commiſius, in omnibus rebus eccleſ. *Eberhardo*

duci

duci Baioariae iniungimus, vt *Gerardo* auxilium praestet. Sequitur papae epistola ad *Gerardum*, qua *pallium* concedit; (vsitata est formula.) *Synodus* epporum 22 *Bunnae*, a. 942. aut 943, sed nihil supereſt; (forte in illa causa *Friderici* aep. moguntini, qui parum fidelis in *Ottonem* fuerat.) Synodus *Virdunensis* a. 947, qua *Artaldo* contra Hugonem sedes remensis adiudicatur: res eadem in *synodo mosomensi* 949 confirmata (*Flodoardus;*) neglectae litterae, quas a papa *Agapeto* Hugo iactabat; tandem in alia *synodo Ingelhemensi*, praesente *Marino*, legato papae, *Artaldus* restitutus; interfuit colon. *mogunt. treuir. Hamburg. Wormat.* Salisburg. Augustf. Halberstad. Hildeshem. paderbrunn. constant. *Eichsted.* Spirensis, Wirceburg. metensis, tullens. virdun. traiect. basileens. Osnabrug. mimigardeneu. tungrensis, camerac. lugdun. ratisbon. *laureac. ripensis* (Liafdag) Slesuic. Arhus. Hoc ordine nominantur; praesente *Ludouico* et *Ottone.* canones 9. quos inter 4, laici sine episcopali licentia presbyteris ecclesias dare vel eos dimittere non praesumant. Tota *paschalis hebdomada* celebretur; in pentecoste feria 2.3.4 non minus quam dies dominicus. c.8. *oblationes* fidelium, quae altari deferuntur, nihil omnino ad laicalem pertineant potestatem; (aliter olim in capitularibus, non sine venia principis.) Inest epistola *Artaldi* ad synodum. Inde in synodo *treuirensi*, instante legato et capellano Ottonis, *Hugo* excommunicatur. *Agapeti* epistola ad *Adalgarium* hamburg. aep. confirmat coniunctionem bremensis et Hamburg. ecclesiae. A. 952 synodus in *Francfurt*, iussu *Ottonis:* contra raptores virginum et viduarum; vt nulla abbatia, quae per se electionem habet, ad monasterium, nec alicui in proprium dari possit; illas vero, quae electione carent, regis donatione et priuilegio, ad illud monasterium, quod sub eius *Mundiburdio* consistit, subrogari posse. (*Schannat* e cod. palat. vaticano.) Eodem anno synodus Augustana, iussu *Ottonis.* Interfuit mogunt. *Iuuau.* mediolan. Rauen. Augustan. Wormat.

mat. Eichſted. Conſtant. Wirceburg. Spirenſ. Curienſis, Argentinenſ. Friſing. Aritienſ. ratisbon. patauienſ. &c. Iuſſit Moguntinus ſcribere iſta capitula XI. Ne quis clericus *vxorem* accipiat; ne canes vel accipitres alant; ne aleae vacent; ne ſubintroductam; vt epiſcopus monachorum prouidentiam gerat in ſua dioeceſi. — ceteri (a ſubdiac.) clerici, quando ad maturiorem aetatem peruenerint, *licet nolentes ad continentiam* cogantur. Conuentum politicum, in quo *Berengarius* ſe in vaſallitium dedit; (ideo multi *Italiae* eppi aderant;) deſcribit contin. Reginonis, et ex eo *Annaliſta* Saxo; ſed nihil de his ſtatutis. A. 958 conuentus 41 epiſcoporum in *Ingelheim*, qui alium aep. Salzburgenſem elegerunt, in locum *Heroldi*, qui fuerat inter coniuratos *Liudolfi*, filii *Ottonis*, quem ideo oculis priuauit *Heinricus*, Bauar. dux. Bulla Ioh. XII a. 962 pro erectione Aepiſcopatus *Magdeburg.* et epiſc. *Merſeburgenſis.* — vt poteſtatem habeat Otto, et eius filius, ſucceſſoresque, diſtribuendi et ſubdendi Magdeb. Mersburgenſi, vel cuicunque voluerit ſedi, cenſum et decimationem gentium *Slauic.* Adiecit *Martene* canones 6, ſed minus conſtat, eos ad hanc cauſſam pertinere. In conuentu *Colon.* 965, praeſente *Ottone* imp. et filio, *Lothario* etiam Franc. rege, fundatio *Collegiatae* eccleſ. S. Martini *Leodienſis*, confirmata. A. 966 *Mechtild*, Ottonis vnica filia, in praeſentia imp. matris, aujae, fratris, et omnium regni archiepiſcoporum et epporum *abbatiſſa* S. Seruatii in Quedlinburg benedicta fuit. *Rauennae* ſynodus 967 contra *Heroldum*, qui vel coecus celebrabat miſſam, cum pallio; ſupereſt papae Ioh. 13 ſynodica. *Heroldus* dicitur theſauros eccleſ. paganis Hungar. erogaſſe, ſe adiunxiſſe illis aduerſus chriſtianos — nos veſtrae omnium fraternitatis *aſſenſione roborati* — In alia Rauennat. 968 ſynodica papae edita, pro Magdeburgenſi metropoli, poſtquam conſenſerat aep. Mogunt. et Halberſtadenſis; ſuffraganei nouae metropoleos, *brandeb. Hauelberg. Merſeburg. Ciza. Miſna.* (add. annal. Saxo 969.) Bulla Ioh. 13 habita

bita *Synodo* Romae, praesentibus *Ottonibus*, maiore et minore, qui postularant, vt monasterium *Misnae* sit sub iurisdictione Romana; termini dioeceseos *misnensis* desig. nantur; decimae — in melle — in *solutione argenti*, mancipiis — nullus alius ep. vel metropol. audeat intra terminos *misnensis* episcopi ordinare &c. Sed primum Epum, *Burchardum*, initio fuisse Magdeburg. suffraganeum, dubio fere caret; (*Calles* series episcoporum *Misnensium.*) Subscribunt praeter Italiae eppos, *Metensis*, *Mindensis*, Verdens. Aliud diploma papae ex eadem Synodo, quo *Gerberga*, *gandersheimensis* abbatissa apostolicae sedi subiicitur; electio libera confirmatur; in praesentia epporum 36 et *Ottonum.* Alia Bulla, ad *Theotfridum*, abbatem; S. Maxim. treuir. qua coenobio impertit liberam electionis ex gremio facultatem; eximit ab omni iurisdictione alia, vt subsit immediate imperiali vel regali mundiburdo: *sicut concessum* est ab *Ottone.* In noua ibi Synodo, huius nunc caussa *Magdeburgica* confecta; synodum papa ipse dicit *ab imperatore congregatam;* ep. Halberstad. et aep. Moguntinus Rauennae consensum suum professi sunt; hoc diploma exstat apud *Leukfeldium* in antiquit. Halberstad, Bulla papae, qua confert *Adelberto*, primo aepo Magdeburg. *primatum in Germania*, parem primatui Galliam, et primatui Moguntiac. in Germania primatui *Treuerensi*, in Belgica; *Colonienfi* in Germania secunda; cum potestate, habendi more ecclesiae romanae 12 presbyteros, 6 diac. 24 subdiaconos cardinales, qui soli ad altare *S.* Mauritii missas celebrent. (*Leukfeld,*) aliud diploma, quo papa *Adelberto* pallium mittit.

Incerti anni est *visitatio* S. Galli, quam iussu *Ottonis*, praesente filio Ottone, *Henricus*, aep. treuir. et eppi Wurzeburg. Spirensis, Wormat. Metensis, Constantiensis, atque abbates de *Lauresham*, Elwangens. Wirceburg. peregerunt; rem descripsit *Ekkehartus* de casib. S. Galli c. XI. Mortuus est *Henricus* a. 964 pestilentia, vt contin. *Reginonis* scribit; nec vel hoc obseruauit *Harzheimius*,

mius, sed *incerti anni* fuisse hunc conuentum scribit; igitur parum abest, quin tempus accuratius possit definiri; falso saltim post alia monumenta anni 968 posuit. Abbas *Kerho*, wirceburg. qui hic nominatur, videtur esse *Gerricus*, Wizeburgensis accuratius designandus, qui a. 960 successit *Geiloni*, annal. Saxo. Itaque inter annum 960 et 964 ponenda illa visitatio. Anno 969 Ioh. 13 renouauit *primatum* aep. treuirensis; si missus apostol. defuerit, habet primatum sedendi post imperatorem siue regem. Iam pag. 649. 650 exhibet *Harzhemius* conuentum Episcoporum et *Ottonis* a. 969; ex *Browero* et *Leuckfeldio;* sed pertinebat ad pag. 640, in annum 968; atque poterant nomina subscriptorum longe accuratius, ex collatione exhiberi. Concambium scilicet factum erat, atque ab imperatore *Hildewardus* recepit omnem decimationem in *Hosgoue*, vt terminatur in fluuiis *Sala*, *Willerbeke* et *Wippera* &c. In annum 967-69 pertinet *Synodus* Magdeburgensis, qua inthronizatus fuit nouus aepus, praesentibus 2 legatis papae; *Boso* per aep. nouum consecratus merseburg. *Burchardus*, misnens. *Hugo*, Cizens. acceserunt ad nouam dioecesin, *Dudo*, Hauelb, *Dudelinus*, brandeb. *Iordan*, poznanienſis; (*Ditmar.* lib. 2; annalista Saxo a. 968. 969.) A. 972 concil. *Ingelhemii* in causa *Adalberonis*, nepotis *Vdalrici*, qui hoc viuente successor eius designatus fuerat ab *Ottone*, et tamen iam baculum ferebat. Praesentes erant *Ottones*, ex Italia reduces; *Adalbero* interea procurationem *Vdalrici* habere permissus. (*Herman.* contr.) Decretum eiusdem *synodi*, quo *corbei.* abbas et *Heruordens.* abbatissa iubentur restituere. Osnabrug. Epo decimas; est potius diploma Ottonis; Epus ille *Ludolfus* imperatorem *Rauennae* precibus adierat; fama sparsa fuerat, imperatorem decessisse, itaque Epo illae iniuriae illatae. (*Baron.* n. 3. 4. sed non est integrum.) In Synodo *romana* 975 *Benedictus* 7 donat aep. treuerensi *Theodorico* cellam 4 coronatorum, *quia caeteris saepius liberalissime visitauit limina* apostolorum. (Martene ampliss.

ampliss. collect. tom. 4. p. 154) *Synodus* iussu imperato-in *Ingelheim* a. 979 quae eleuationem S. *Celsi* (quem aepus treuir. fundamenta nouae Basilicae ponens reperit) decernit. Diploma *Ottonis* 980 pro coniunctione monasterii *stabulensis* et *malmundariensis*, sub vno abbate, a Monachis eligendo. A. 991 pompa consecrationis ecclesiae cathedralis *Halberstadiensis* et altarium praecipuorum per plures episcopos, describitur in chronico Halberstad. in *Leibnitii* corpore tomo 2. Inusitata multitudo *reliquiarum* recensetur; de *praesepio* Christi, de sepulcro; *barba* b. Petri; de sanguine *Stephani*, cum sui corporis articulis omnibus &c. In Synodo *romana* 993 *canonizatio* solemnis prima prodita, *Vdalrici*, Augustani episcopi; supersunt Ioh. 15 epistolae *encyclicae:* sic *adoramus* et colimus *reliquias* martyrum et confessorum, vt eum, cuius martyres sunt, adoremus. (Adeo nihil profuit *Claudii taurin. Agobardi* et aliorum sanior doctrina.) — si quis contradicat, Anathema. Praeceptum *Ottonis* 3, quo sanctimonialium *Metelensium* iura aduersus Episc. *Minigardeneuord.* defendit: *dedimus* eis abbatissam et aduocatum — *Synodus Gandersheimensis* 995, ad asserendam *Hildesiensis* epi iurisdictionem in Gandersheim. oppidum et coenobium; in eo conuentu et *Corbeiae* abbas impetrauit ab *Ottone* confirmat. priuilegiorum. In concilio *Romano* 998 canone 3 actum: vt episcopatus *Merseburgensis*, per vniuersale concilium fundatus, ab *Ottone* 2 sine concilio destructus, in proprium honorem redeat. c. 4: vt ep. magdeb. *Giselarius* canonice probet, quod non per ambitionem e sede Merseb. in Magdeburgicam venerit; quae caussa aliquot annis agitata fuit.

Copiosius et diligentius prosecuti sumus histor. eccles. *Germaniae*, in continuatione *Baumgarten.* hist. eccles. seculi X; itaque breuissime tantum partim hic, partim in *tabula*, quae additur, istas res attingimus, ne nimis excrescat hoc corpusculum. *Regum* nostrorum ius circa sacra, tam in collatione Episcopiorum, abbatiarum, et per-

mutatione monachorum cum canonicis, quam in dirimendis sacris litibus, (etiam Episcopi, aeppi in carcerem et exilium missi, sine papa;) hoc adhuc seculo minime est obscurum; vel *duces Saxoniae*, et *Baioariae* id exercuisse, non desunt exempla. Si qui episcopi papam adierunt, id *pallii* caussa, et in similibus voluntatibus domesticis id factum; vt vel Otto, cum aepiscopatum Magdeburgensem instituit, papam rei immiscuit, vt eo facilius aepum *Moguntinum* et alios ad suam sententiam adduceret. Ius autem inuestiturae fuit omnino penes reges, sub *mundiburdio Romano* multae abbatiae. *Heinrico* rege, nihil quicquam a Papa decretum aut gestum fuisse, quod ad Germaniam pertineat; sic fere et sub *Conrado*, *Ottone*, eiusque filiis.

CAP. III.

De propagatione et statu religionis publicae.

1. Sub occidente sole.

In Gallia iam piratae *Dani*, seu *Normanni* tanta potentia vtebantur, vt factu optimum videretur, *Rolloni*, duci illorum, qui inde a fine super. seculi in terris his haerebat, christianismum publicum persuadere. *Franco* aep. rothomag. interpres et auctor rei fuit, filia regis Caroli simplicis *Gisela*, annorum vix 15, desponsata *Rolloni*, qui aetatis annum 60 iam exierat; *Robertus* iam is dictus, atque christiano iam magna illa prouincia data, cui nomen *Normanniae* inde cessit, complexa partem Neustriae et Britanniam illam minorem. Baptizatus *Rollo* per Francone m a. 911; ducem imitantur et ceteri; pacatam vitam lubenter nouo nomine redimentes. Religionis enim internae exigua in homines rudes et barbaros fuit auctoritas. Sed nec alii *Dani* suis in sedibus alieni a nouis sacris manserunt; per *Heinricum* regem *Daniae* regulus *Gorm*, *Gormo*, eo dicitur adductus fuisse, vt pateretur populo suo noua sacra tradi; ministerium aep. *Vnni*, hamburg. celebrat

brat *Adam* bremenſ. lib. 1. c. 47. 48. Reguli coniux et filius, *Harald* (caerulidens) paruiſſe chriſtianis presbyteris narrantur. Sub eodem *Henrico* regulus alius *Nuba*, vt nomen ſcribit *Wittechindus*, et Annal. Saxo, (*Iutlandiae* dominum facit *Torfaeus.*) *Chuipiam*, vt *Sigebertus* gemblac. a. 935, baptiſmum victus ſuſcepiſſe dicitur. Paulo minus obſcura eſt hiſtoria ſub *Ottone* primo; licet nondum ſatis certa; vtrum armis *Ottonis* omnino ceſſerit *Haraldus*, an rationibus politicis aliquid dederit; vtrumque haud paulo eſt veroſimilius, quam per *Popponis* miraculum (*Wittechind* lib. 3. p. 659); licet hoc inde perſpiciamus, *Haraldum* legatos Ottonis in honore habuiſſe. Ex prouinciis, quas *Otto* ſuae ditioni adiecit, per *Adaldagum* dioeceſes diuiſae, *Sleſuicenſis*, ſub *Haraldo* epiſcopo *Ripenſis*, Liafdagi ep. *arhuſenſis*, Reinbrandi ep. iisdem et prouinciae transmarinae permiſſae, in *Funia*, *Seelandia*, Schonia, Suecia; (*Adamus* brem. lib. 2. *Helmold*, annnal. Saxo et praecipue *chronicon Sleſuicenſe* tomo 3 Menkenii pag. 566 ſeqq.) Eccleſiae etiam per *Haraldum* conditae, *Roſchildenſis* S. Trinitatis &c. Illud dubio caret, fuiſſe hos epiſcopos ſub poteſtate *Ottonis*, interfuiſſe Synodo *Ingelhemii* 948. Exſpectamus omnino clariorem et certiorem deſcriptionem; cui *Pontoppidani* annales eccleſ. danicae diplomatici, hoc ſaltim ſeculo, nondum ſufficiunt; nec tamen nihil ad hanc cauſſam illuſtrandam facit eiusdem ſcriptoris commentatio, de geſtis et veſtigiis *Danorum* extra Daniam, ab exordio tomi ſecundi. *Ottonis* 1 et 3 diplomata non deſunt; ſed nondum liberata ab omni dubio. Inter *Norwegiae* incolas facile credimus nouorum ſacrorum rudimenta non defuiſſe, cum tot bella in *Angliam* et alias chriſtianorum prouincias geri ſolerent. Inter Anglos educatus fuerat *Hagen Adelſteen*, is inde ab a. 933 per anglicos ſacerdotes aliquam ei rei dedit operam; felicius *Haco*, *Haraldi*, regis, ſuaſu et ipſe publice chriſtianus, tentauit noua ſacra populo perſuadere in comitiis *Froſtenſibus*, 944 ſeq. ſed vix *Sigardus* comes

eum periculo magno exemit; tandem *Sueno*, victo *Olafo Trygvini*, *Norwegiam* a gentilismo ad christianismum transtulit; ex *Norwegia* porro in insulas *Orcades* transiisse, inde in *Islandiam* et *Grönlandiam* antiquam, dicitur. De re ipsa forte dubium vix esse potest; sed de tempore et historiae narratae modo magna est varietas; vid. praeter *Adamum*, brem. (mediocris fidei) *Torfaeum* in histor. norwegica tomo 2; eiusdem historiam rerum *orcadensium*; item eius *Gronlandiam* antiquam; chronicon *Danicum* in *Ludewigii* reliquiis Tomo IX. De *Suecis* similiter non tacent quidem scriptores, sed claram lucem dare non possunt. *Vnni* aep. Hamburg. vitam *Bircae* finiuit, atque ibi sepultus est, itaque regis seu domini haud dubie bona venia vsus fuit; per *Odincarum*, seniorem, *Liafdagum*, Rip. ep. aliquam operam datam narrant, ad confirmandum inter *Suecos* christianismum; *Adam* brem. lib. 2. Nec meliora ex Ornhialmi histor. Sucogoth. eccles. *Ioh. Baazii* inuentario eccles. Sueogothorum colligi possunt; recentiora adiumenta, quae *Suecis* iam non desunt, exspectamus, si quidem germanice nobis donentur. Ex *Torfaeo* et aliis quibusdam videtur perspici, parum graue impositum fuisse his christianis iugum; ne baptismum quidem, sed *catechumenos* multos mansisse, eo facilius rei militari, mercatoriae, apud Christianos principes aut homines, daturos operam. *Poloniae* initia christianorum sacrorum attulit *Dambrowka*, filia Bohemici ducis *Boleslai*, vxor iam *Micislai* ducis *Poloniae;* post medium seculi res sensim confecta. Nempe in Bohemia varia fata fuerant christianismi. Post *Borsiuoium* et *Ludmillam*, coniuges christianos, *Wratislaus* fil. dux fuerat; reliquit 2 filios *Wenceslaum* et *Boleslaum*; istum auia educauit; hunc mater, *Drahomira*, quae post ducis mortem, dominium inuasit, et tam *Ludomillam* quam *Wenceslaum* occidi iussit. (vitam *Wenceslai* scripsit *Ioh. Dubrauius*, die 28 sept. consignatur martyrium.) Itaque *Otto Boleslao* bellum inferre volebat; *Boleslai* mortem narrat annal. *Saxo*

a. 967

a. 967 (ex *Ditmaro* p. 334 seqq.) ei fil. successit *Boleslaus*, patri dissimilis, christianis sacris maxime deditus; 20 ecclesias dicitur erexisse; eius soror *Mlada* Romam peregrinata, ibi aliquamdiu ad vitam monasticam informata est; redux attulit Ioh. 13 epistolam ad fratrem ducem, qua *abbatissa* esse iubebatur, in exstruendo monasterio monialium ad eccles. S. Georgii martyris, nomine nouo *Maria* vsurá; ad eccles. vero S. *Viti* et S. *Wenceslai*, martyrum, fiat (vt petiit dux, per sororem, a papa,) *sedes episcopalis*. Verum non ad ritum aut sectam *bulgaricae* gentis, vel *Russicae* aut *Slauonicae* linguae, sed magis sequens instituta et decreta apostolica, vnum potiorem ecclesiae totius erigas in hoc opus *clericum, latinis apprime litteris eruditum*, &c. Itaque de *Saxonia* presbyterum, *Dietmarum*, qui olim causa orationis venerat *Pragam*, et linguam *Slauonicam* perfecte sciebat, dux per legatos euocat — orans per litteras *Ottonem*, vt in Episcopum *Bohemiis* ordinaretur; (ius sacrorum summum penes *Ottonem*,) itaque a *Moguntino* aepiscopo consecratus, in ciuitate *Praga* susceptus, ecclesias consecrauit, et *multos gentiles baptizauit*. Hunc *Dictmarum* 983 excepit *Woitech*, seu *Adalbertus*, quem Imperator *Veronae* per annulum et virgam confirmauit; (*Mabill.* annales bened. t. 4. p. 13. 14. ex Annalista Sax. qui habet ex *Cosma* pragensi.) *Boemia* fuit aliquando sub *ratisponensi* dioecesi, itaque imperator non poterat perficere, quod rogauerat iam *Heinricus*, dux Baioar. (vita S. *Wolfgangi* apud *Mabillon.* seculo 5 Actor. SS. Benedict.) Sic tandem e *Bohemia* ad *Polonos* sacra traducta; Ioh. 13 *Aegidium* tusculanum misit in *Poloniam* legatum (vid. antea pag.) cum sacerdotibus multis; nec *Micislai* defuit potentia et prudentia his constitutis. Plura ex *Dlugosso* et aliis polonicarum rerum scriptoribus petenda; breuius narrat de. *Bohemicis* rebus chronicon *Bohemicum* anonymi tom. 3 *Menckenii* pag. 1640 seqq. quo in corpore etiam tomo 1 habetur *Cosmae* prag. chronica Bohemorum, et tom. 3 collatio cum cod. Msto dresdensi.

Accuratius aliis egit de *Bohemica* et *Polonica* ecclesia *Assemani* tomo 4 calendarior. vniuersae eccles. pag. 152 seqq. qui varios errores scriptorum emendauit; vsque ad pag. 192. Quem in *tabula* sequemur.

Hungaros seu *Auares*, vt olim solebant nomina varie mutari, iam *Caroli* M. prudentia ad christianissimum adducere tentauerat; sed cum *Francorum* potentia minueretur, etiam eius vix vestigia adhuc superfuerant. Itaque *Hungarorum* gens in variis voluntatibus partim *latinis* finitimis partim *graecis* aliquam operam dedit, vt scimus *Bulgaros* vtriusque christianissimi specie rem suam promotum iuisse. *Vngaros* seu *Hunnos* scimus inde a seculi huius initio frequentibus turmis saepe per *Baioariam* &c. permultas Germaniae prouincias inuasisse, captiuos abduxisse multos, non pepercisse ecclesiis, sacerdotibus. Sub finem seculi (nam sub finem a. 974 *Benedictus* 7 Romae sedit,) hunc papam litteris adiit, *Pilgrimus*, laureac. ep. per 2 presbyteros, (ap. *Harduin* et *Lambecium*) narrans, se per Missionarios inter Hungaros quinque millia ad christianismum traduxisse; etiam *Wolfgangus* quidam, in Pannonia, missionarium per annum egerat, ab *Ottone* 2 factus episcopus *Ratisbon.* Supereſt apud *Lambecium* (de biblioth. vindobonensi lib. 2. c. 8. p. 641 et apud *Assemani* in calendar. ecclesiae vniuersae tom. 2 p. 121 item ap. *Georg. Pray* in annalibus Hungar. tom. 1 pag. 373.) Epistola illa *Pilgrimi*, quae id prodit; quia a neophyta gente Vngrorum huc (romam) ire prohibeor, apud quam *foedere pacto sub occasione pacis* fiduciam sumsimus — a qua gente multis precibus ipse inuitabar venire; — ad hos dum transmitterem idoneos viros ex *monachis*, *canonicisque* presbyteros, atque de *singulis gradibus* ecclesiasticis clericos — christiani autem, quorum maior populi pars est, qui ex omni mundi parte illuc tracti sunt *captiui*, quibus numquam soboles suas nisi furtiue domino consecrare licuit, modo certatim *nullo obstante timore offerunt eas baptizare* — christiano modo licet oratoria construere — nec

facer-

ſacerdotibus inuident, quocumque libet proficiſci, ſed ita concordes ſunt pagani cum chriſtianis — vnde viſum eſt neceſſarium, quatenus ſanctitas veſtra illic aliquos iubeat ordinari epiſcopos — Hic *Pilgrinus* ad papam ſe conuertit, vt contra *Salisburgenſ* aep. non nihil proficeret. Papa pallium dedit, atque *Otto* 2 diplomate confirmauit *Laureacenſi* eccleſ. ius *metropolitanum*, vid. *Lambec.* a. 977. Sed cum *Pilgrimo* deſiit titulus aepiſcopi et pallii honor; ſucceſſerunt *paſſauienſes*. Sed et *Albertus*, pragae aep. reſtitutus in ſedem, a. 994, dicitur *Vngaris* vmbram chriſtianitatis impreſſiſſe (auctor ſecundus vitae), et baptizaſſe *Stephanum*, fil. Geizae, reguli Hungarorum. Iſta igitur latinorum monumenta produnt; aliter Graeci narrant, qui iſta, quae in *Baioariae* finibus gerebantur, minus certo ſciebant. *Ioh. Scylizes*, *Cedrenus*, *Zonaras* de *turcorum* i. Vngarorum 2 ducibus (*Bulosudes* et *Gylas*) narrant, quod (ad a. 943, vt in actis SS. vita S. *Stephani* regis Hungar. tom. I. Septemb.) venerint *Cpolin*, (*Stiltingius*, Ieſuita, *obſides* putat fuiſſe, ad locum continuatoris Theophanis,) ſub *Romano* Lacap. et chriſtianiſmum ſuſceperint; *Cedrenus* addit, ficte ſic egiſſe *Bulosudem*, cumque a *Francorum* rege *Ioanne* (leg. ωτονϐ, quod librarii mutarunt in nomen notius,) in crucem actum fuiſſe. Ab his ducibus doctiſſ. *Schwarzius* (initia relig. chriſtianae inter Hungaros orientali eccleſiae adſerta &c. 1740) deriuabat chriſtianiſmum in *Hungaria*, quem *Stiltingius* in actis SS. l. c. p. 456 ſeqq. refutatum iuit. Nec rem ipſi ſic habere ſtatuere poſſumus, quia hiſtoria *baioarica* ſatis luculenta eſt; alia obmouit etiam *Georg. Pray* in annal. Hungariae parte 3 lib. 2 p. 361 *Vindobonae* 1761 fol. *Gylam* ſcribit *Zonaras* ſecum reduxiſſe *Hierotheum* ἀρχιερεα, ſeu epiſcopum Τερκιας, quem patriarcha *Theophylactus* elegerit. *Luitolfus*, Ottonis fil. auxilia ab Hungaris contra patrem repetiit, a. 953. Tandem *Otto* M. miſſo epiſcopo *Brunone*, (commendat hunc imperator *Pilgrimo* in epiſtola apud *Mabill.* in actis SS. ſec. 6

parte 1. p. 81.) a. 972, ad regem *Geisam*, cuius forte legatos, (*Hungaros*) innuit *Lambert.* Schafnab. a. 973. Hac (*pacis*) occasione forte *Pilgrimus* vsus, aliquot mille Hungaros baptizari curauit; sed fuit parui temporis illa opportunitas, cum isto adhuc anno 974 exeunte *Heinricus*, dux *Bauar. Abrahamus*, *Frising. Henricus*, Augustanus eppi, dux Carentaniae, *Boleslaus*, Bohem. *Micislaus*, polon. aduersus *Ottonem* 2 consilia funesta inierint. Hic, vt solebat hoc seculo aduersus *Hunnorum* incursiones fieri, et *Wolfgangus*, episc. ratisbon. ab Ottone veniam impetranit, *castrum Zwifila* exstruendi, 979 (supereſt diploma *Ottonis.*) Porro de *Adalberti*, aep. prag. conatibus exponit idem *Pray* in annal. *Hungar.* p. 376 seqq. qui accuratius scriptores de *Geisae* et *Stephani* baptismo excussit; facile credimus, quod et affirmat vita S. *Adelberti*, cum paganismo mistam et parui temporis fuisse religionem, quia continuarunt Hungarorum inuasiones. Itaque in *Baioariam*, noui coloni largitionibus allecti, ne regio deserta maneret: dataque episcopis, monachis, sacerdotibus, atque nobilitati potestas, castella, oppida, arces aduersus Vgros muniendi (Auentin. lib. 5) *Geisa* ceterum post *Saroltam* transiluanam, duxerat coniugem alteram *Adelaidem*, *Micislai* polon. filiam.

Quod ad *Russos* attinet, exspirauerat interea religio christiana, quae inde a seculo superiori videbatur apud quosdam locum habuisse; hoc autem seculo clariora documenta supersunt. Regina Russorum *Elga*, Olga, ab *Ottone* petiit sacerdotes, vt contin. *Regin.* 959 aliique narrant; sed et eadem *Cpolin* adiit; pompam, qua suscepta est, describit *Constantin.* porphyrog. de caerimoniis aulae byzantinae libro 2. Ea a. 955 Cpoli baptizata; nec tamen narratur, per *Elgam* Russos his sacris additos fuisse. Post mortem filii *Suiatoslab*, quem adiuuit talibus consiliis, *Wladimir* (Bladimer), fil. a fratre electus, auxilio aliorum (christianorum?) vicit tandem fratrem; *Annaminde*, Basilii et Constantini sororem, iam duxit a. 988, (vel 989,

vt

vt *Elmacinus* lib. 3. c. 6.) baptiſmi tempus minus certum; ſed id ſatis conſtat, *Baſilium* (hoc nomine in baptiſmo auctus fuit,) et auxilia miſiſſe Baſilio aduerſus Bardam Phocam, rebellem, et ſtudioſiſſime ſuos ad ſacra noua traduxiſſe; plura in diſſertat. de conuerſione et fide Ruſſorum tomo 2 act. SS. Septembris die 5; *Ignatii Kulczynski, ſpecimen eccleſiae ruthenicae* &c. Romae 1734 (homo eſt latinis deditus,) *Wladimiri* conſtitutio (ſeu leges nouae eccleſiaſticae) in iisdem *actis* SS. recuſa. *Ditmarus* parum laudat *Wlodomiri* chriſtianiſmum lib. 7 chronic. pag. 417. Diligentius e ſcriptoribus, *Ruſſorum* res collegit *Aſſemani* tomo 4. *calend.* eccleſ. vſiuerſae pag. 34 ſeqq. Meliora autem e patriis monumentis exſpectamus, quorum iam ſpecimina, publica auctoritate feliciter vſus, dedit doctiſſ. *Schlözer*.

Statum eccleſiarum *Latinarum* vix opus eſt, vt multis deſcribamus; facile enim intelligimus, ex ſeculo ſuperiori, qualem ſacrorum publicorum conditionem informare fas ſit. *Reliquiarum* quaſi ſeculum dici poſſit; adeo inſanae hiſtoriae narrantur; vid. *hiſtoriam translationis* SS. Wandregiſili, Ansberti et Wulframmi, apud *Mabillon.* acta SS. Benedict. ſeculo 5 p. 200 de ſpongia, qua acetum Chriſto porrigebatur; de *loro*, quo vinctus; *de loco*, in quo crucifixus; *de lapide* eo, cui inſiſtebat Chriſtus, cum diceret: Tu es Petrus; de puluere, cui inſiſtebat, cum Chriſtus in nauem ſcanderet; de ligno, arbore, cui inſedit Zachaeus; de bethlehem. infantium ſanguine; de lapide, quibus Stephanus lapidatus; de barba Audoeni, variorum capilli. Quantum *reliquiarum* vel *Ottonis* iuſſu, ſi placet, allatum eſt, nouis eccleſiis et altaribus exſtruendis! Inuſitata autem turpitudo *poſſeſſorum*, daemoniacorum, vix deſcribi verbis poteſt; *reliquiaria* plerumque diabolum expellunt; vix tamen ſine riſu legentur, quae de diabolo, quaſi per iocum narrat *Ekkehartus* de caſib. S. Galli, (in *Goldaſti* reb. alaman. p. 23 ſeqq. edit vetuſta.) De filio *Simeonis*, reg. Bulgar. *Luitprandus* ſcribit lib. 3

c. 8 hist. sui temp. famam tulisse, eum adeo magiae peritum fuisse, vt *in lupum* aliamque feram se mutare potuerit; (antiquissima mentio monstri Wehrwolf.) Superstitionum vis omnis praecipue ex hoc seculo, in secuta transiit, monachorum ministeriis et artibus. De sanguine Christi, in Augiam insulam (*Alford* et alii male, Angliam) delato, vid. append. *Mabillonii* ad annales sec. 5 n. 46. p. 699. Periit omnino doctrinae ingenua ratio: *peregrinationes* sacrae *Romam*, ad S. Iacobum, in Palaestinam; pro *remedio* animae meae et parentum, donationes sine numero; vel Episcopi illi, qui *Hattonis* Mogunt. erant suffraganei, ad Ioh. 9 sic scribunt de *Arnulfo* rege mortuo: vt pro sua, qua polleat auctoritate, *animam* regis a peccatis absoluat; donationum seu traditionum formulae *fuldenses*, *corbeienses* &c. facile possunt inspici; aliae apud *Mabillonium* in *annalibus* facillime prostant. Itaque et tot *monasteria* noua instituta; licet incolae eorum minime omnium tam ineptas sententias ipsi reuererentur, quas solebant ad alios prodere; status monasticus *baptismo* aequiparatus &c. Antea iam obseruauimus, *nobiles* tantum et boni generis homines in monasteria adsumtos fuisse; atque sic *Ekkehartus* (Goldasti alam. p. 26) scribit: cum *numquam* S. Gallus nisi *libertatis* monachum habuisset, *nobiliores* tamen &c. Praecipue monialium eximia monasteria, abbatissis, quae e regio et nobili sanguine esse solebant, iucundissimam vitae rationem sufficiebant. *Cluniacenses* monachi iam quasi seminarium nouum referunt succrescentis improbae sacrae malignitatis; *Fraternitatis sacrae* iura et reges (e. c. S. Galli, Angliae &c.) redemerunt; *inclusi* et inclusae, (seu *reclusi*) non rari; *Wiborada*, *Rachild*, *Kerhild*, Bertherada, sub abbatia S. *Galli*; nec tamen malitia abfuit; ita de *Cilia* narratur, eam *Wiboradae*, quae eam adierat, marsupium pecunia plenum dare voluisse, ea lege, vt in vrbem propinquam ad vsuras elocaret. *Anno*, abbas miciacensis *signum* (cloccam) praeparari iusserat, quod secundum

quo-

quorumdam morem *baptizatum* eſt; (apud *Mabillon.* ſec. 5. p. 361; alibi dicitur, epiſcopali benedictione ſacratur; vita S. *Gerardi* ſeculo 5. p. 276) nempe, vt in baptiſmo, campanae *nomen* a ſancto quodam deriuabatur. Noua atque ſedula inſtituta *cluniacenſium* multa; vt farina et panis euchariſtiae ſanctiſſime praeparentur, *Cluniacenſes* repererunt; vid. *conſuetudines* cluniac. lib. 3 c. 13 in *Spicilegio* dacheriano tom. 1 p. 694 edit. fol. ſimillimam conſuetudinem apud Neſtorianos deſcripſit ex *Iohanne* catholico, qui ab initio ſeculi floruit, *Aſſemani* tomo 3 biblioth. oriental. pag. 238, ſiue quia ſuperſtitio eadem ſecum fert ſimillima ſtudia, ſiue quia per monachorum peregrinationes ex oriente allatum fuit. Aliam comoediam *ſepeliendi corporis* dominici deſcripſit *Mabillon.* in annal. benedict. tom. 3 p. 658, ex libro monaſteri ſ. crucis pictauienſis. *Cluniacenſibus*, auctore *Odilone* abbate, debetur *commemoratio omnium animarum*, 998, quibus ſalubre beneficium tribui poſſe a *cluniacenſibus*, Siculus aliquis eremita ſpondebat. vid. acta SS. bened. ſec. 6 parte 1; tirocinia foedae caerimoniae iam ſuperiori ſeculo non obſcure reperiuntur, vel in *Theodori* ſtuditae ſcriptis, qui *Studio* ſuo graecis praeſtitit, quod Latinis *Odo* Cluniaco; tamen *Mabillonius reformationem* per cluniacenſes inſtitutam collaudat, praef. ad ſec. 5 p. 19.

Ceterum de praecipuis et melioribus ſacris antiſtitibus *Mabillon* egit in praef. ad ſec. 5 benedict. idem et alia momenta attigit; *coadiutores* Epiſcopis fuiſſe; bona eccleſia in 4 partes diuiſa. In cauſſis dubiis etiam clerici et monachi *per duellum* ius exquirebant, ſaltim per vicarios; non ſemper presbyteri, qui miſſam faciebant, ipſi ſacra coena vſi; *laici quater* per annum ſacra coena vti iuſſi; de *ordine* cluniacenſi, ſeu vnico monaſteriorum aut congregationis corpore, p. 32. 34 ſeqq. quae res noua ab *Odone* incepit; *cucullae nouae* et veteris imaginem depinxit pag. 40. et *ſcapulare* cluniacenſe S. *Maioli* p. 43. Sequuntur pag. 57 ſeqq. obſeruationes, de *canonizatione* SS.

in-

indulgentiis, de cultu et *Rosario* Mariae &c. quae inter alia putat religionem (superstitionem dicere noluit,) huius seculi probare. A seculo 9, sub defectum publicae poenitentiae, datae sunt *indulgentiae* ad remissionem *poenae canonicae*; *Salomo* constant. impetrauit hoc seculo a papa indulgentiam, ob procuratam necem 3 aduersariorum &c. *Cursus* seu *paruum officium* in honorem Mariae *Vdalricus* aug. recitabat quotidie; serius succreuit *rosarium* ipsum; *inuocatio* salutationi ante sec. 16 non accessit; eam reprehendit *Erasmus* in suo *ecclesiaste*, atque ideo forte vtilissimus libellus relatus est in *indicem* librorum prohibitorum. De ipso *Rosario*, quod constat orationibus domin. 15 et salutationibus 150 agit *Mabill.* pluribus p. 80 seqq. *corona*, habet 6. 7 decades salutationum; alia est corona *camaldulensium*, ad numerum annorum Christi. Monachi quidam hoc seculo dignitates e. c. *archidiac.* in cathedral. ecclesiis obtinuerunt, vbi canonici seculares viuebant.

2. Sub orientem solem.

Patriarcharum Cpol. &c. nomina locum habent in tabula. Ius sacrorum fuit penes imperatores, patriarchas tam crearunt quam deiecerunt; e. g. caussa *Nicolai* mystici; *Theophylactus*, fil. Rom. Lacap. minus laudatur ob sacra studia, quam ob equorum et voluptatum peritiam. Sub *Romano* isto Bulgaris concessa αὐτοκεφαλια (*le Quien* oriens christian. tomo 2 p. 290. 283.) *Hydruntina* ecclesia, quae antea sub romano papa esse videbatur, in aepiscopalem euecta a patriarcha *Polyeucto*, (*Luitprandus* praesens fuit Cpoli, cum res ageretur; *Pagi* 968 n. 12) de aliis *patriarchis*, alex. melchitarum, *Iacobitarum*, *Antiochiae*, *Hierosolym.* *Nestorianorum*, plura collegimus in continuatione *Baumgarteniana* seculi X; ibi etiam ex *Assemani* biblioth. orientali recensuimus, quae de *propagatione* christianorum sacrorum, per *Nestorianos* praecipue solent narrari; fuerunt etiam multi christiani

a mi-

a miniſteriis variis dominorum *Muhammedanorum*, et quidem in magna auctoritate; ſed nec variae fraudes atque artes (vel neſtorianorum apud Muhammedanos contra Melchitas,) improbae defuerunt, vt vel ex *Le Quieni oriente chriſtiano* poteſt perſpici; *Elmacin*, *Abulpharagius*, *Eutychius*, arabici ſcriptores, quibus nos vti licet, talia etiam ſubinde commemorant. De *finibus* patriarchatus *Copti* alexandr. et *antiocheni*, leg. *Bar hebraeus* apud *Aſſemanium* tom. 2 bibl. orient. p. 373. Erat *Hieroſolymiis*, praeter graecum patriarcham, etiam *neſtorianus* et coptus epiſcopus; *neſtoriano* patriarchae, ſi lites inciderent inter *coptos* et graecos eppos *Muhamedanis* ſubiectos, parebant hi alii; (*Aſſemani* tomo 4 fol. 96 ſeqq.) Status ipſe eccleſiarum iſtarum omnium fuit parum laetus; licet intima turpitudo nobis tam multis documentis exemplisque nondum pateat, ac *latinae* eccleſiae miſeram conditionem perſpicimus. *Monachorum* eadem publica et priuata malignitas; ſacra mendacia innumera, ignauia foeda, ingenii barbaries fere continua. *Leo* ipſe ille ſapiens pro *remedio* mortuae *Zoes* 20000 μιλιαρισια, ſeu ψυχικα, impendit; ſed non ſine ratione politica; (*Leo* grammat. p. 381 edit. Venet. inter byzant.) *Romani*, Lacapeni, benignitas et familiaritas in monachos laudatur, qui ſaepiſſime monachos aliquot menſae adhibuit; ſaepe monachis probioribus confeſſus, eccleſias Cpolitanas eximie veſtibus et lampadibus ornauit. De odio Neſtorianorum in alias chriſtianorum ſectas, de ſuperſtitione varia, vid. quae excerpſimus in germanica contin. *Baumgart.* p. 201 ſeq. Quod ad graecae eccleſiae *caerimonias* multas, et ſacram quaſi comoediam publicam attinet, vel ex *Caerimoniali byzantino* Conſtantini porphyrog. ſatis multa perſpici poſſunt; plura e *vitis ſanctorum*, et quibusdam *byzantinis* ſcriptoribus colligere licet, ſi quis nondum intelligat, iſtum eccleſiarum ſtatum fuiſſe ſatis miſerum atque inuenuſtum.

CAP.

CAP. IV.

De ſtatu eruditionis, doctrinae publicae, atque ſcriptoribus.

1. Sub occidente ſole.

Ferreum et *plumbeum* hoc ſeculum iam *Baronius* nominabat; ſimilia elogia aliorum virorum eruditorum facile poſſint magno numero colligi; nos autem putamus *Leibnitium* (in praefat. ad *codicem* iuris gent. diplom.) veram ſententiam tuliſſe hanc, plus habuiſſe doctrinae ſeculum hoc, quam ſequentia, nominatim 12 et 13. *Moshemius* autem iudicabat, *Leibnitium* modum exceſſiſſe, et aethiopem lauaſſe; excitat etiam *Mabillonium*, benedictinos auctores hiſtoriae litterariae Franciae, et *Iacobum* le *Boeuf*, in diſſertatione de ſtatu litter. in Francia a Carolo M. ad Robertum regem. Ad nos quidem parum pertinet iſta opinionum diuerſitas; ſed audemus accedere *Leibnitio*; res pendet partim a ſcriptorum frequenti lectione, vt veſtigia bonae mentis et ſani iudicii obſeruentur; nec imperatorum et regum noſtrorum res praeclarae negligendae; partim a multitudine *ſcholarum*, tam *Epiſcopalium*, quam in monaſteriis; ſi addamus fere perpetua bella, et *Normannorum*, *Hunnorumque* continuas inuaſiones: profecto facile id patebit, huic ſeculo inſcitiae labem multo minus eſſe propriam, quam ſecutis plerisque. *Scholae* potiores *pariſ. turon. lugdun. rhemenſis*, tullenſis, virdunenſis, metenſis, mogunt. treuerenſ. *Hontheim* t. 1 p. 248 ſeq. magdeburg Wurceburg; e monaſteriis *floriac. Cluniac Lobienſis*, *Gorzienſis*, *corbei. fuldenſis*, *S. Galli*, Emmeranimi &c. Artes in iis aut *ſeptem* docebantur duce *Martiano Capella*; aut *quadruuium*, *triuium*, tantum. In *grammatica* ſequebantur *Donatum*, *Priſcianum*, (vita *Odonis* cluniac. immenſum *Priſciani* tranſiit pelagus,) in rhetor. *Victorinum dialectica*, e *Boethio*, *Categoriae* (Auguſtino tributae) *Ari-*

Aristotel. (de interpretat.) Porphyr. *Astronomia*, in *Manilium*; in *Sphaeram* porro, *computum* (pro diebus festis designandis;) *Poemata* multa, partim *acrosticha*, partim *rhythmi*, etiam in medio versus, *sequentiae*, *hymni*; scriptores *latini* antiquiores passim in monasteriis descripti; vel solus *Gerbertus* habebat *Ciceronis*, *Iul. Caesaris*, *Plinii*, *Suetonii*, *Statii*, *Manilii*, *Claudiani* opera &c. In monast. S. Galli codex graecus epistolarum canonicarum per *Notkerum* descriptus fuit ex *Luitwardi* Vercell. ep. exemplari (vita *Notkeri*, in *Goldasti* corpusculo alamannic.) *Luitprandus* autem scriptores multos legerat; *Dithmarus*, merseb. ep. declamationem sequi audet; nec desunt alii scriptores satis nobis vtiles. In vita *Wolfgangi* (ap. Mabill. acta SS. sec. 5 p. 826) narratur de disputatione cum quodam haeretico, qui ex Ioh. 1, 1 obiecerit, (ex *arianis* haud dubie, qui in *Italia* supererant;) hic *Wolfgang* de *accidente* disputauit; atque iam *Moshemius* locum hunc notauit, (ex epistola *Gunzonis* in amplissi. collect. tomo 3 p. 304.) — *Aristoteles* negauit subsistere *genus*, *speciem*, differentiam, *proprium*, *accidens*; Plato subsistentia persuasit; recte obseruauit. longae et spinosae litis (*nominalium* et *realium*) *initia* iam hoc seculo cerni; sed non hoc seculo initia illa designanda; est perpetua lis diuisarum sectarum, quae iam immissa fuit loco de ἐνσαρκωσει, cum quidam statuerent, Christum induisse hominem καθ' ὅλα, naturam generatim; inde a *Cyrillo* alex. porro *monophysitae* &c. et catholici graeci, S. *Maximus*, *Theodorus*, studita, saepe hanc rem attigerunt. Hic *Gunzo* cum *Ekkeharto* ap. S. Gallum collocutus, peccauerat contra Grammaticam, ideo ab *Ekkeharto* nimis reprehensus, se defendit, in Epistola ad monachos *Augiae* diuitis, in qua *Homerum*, *Platonem*, *Aristot. Terent. Cicer. Salustium*, *Horatium*, *Virgil.* citat. A *Virgilio* legendo S. *Odo* per visionem (vas serpentibus plenum) abstinere iussus dicitur. Plura ex scriptorum recensione colligi possunt. Multi vero ceteris eruditiores, *Homilias* aliorum

rum in vſum ſcribere iuſſi; ſic *Frothar.* pictau. ep. et *Fulrad*, pariſ. iuſſerunt *Abbonem*, monachum S. Germani prat.

Doctrinae cetera corruptio, vt facile credimus, manſit; de Sanctorum *inuocatione*, *reliquiis*, ſtatu poſt mortem adiuuando &c, ſed operae pretium eſt obſeruare, non defuiſſe, qui recens proditae *transſubſtantiationi* ſe oppoſuerunt. In vita *Odonis* aep. cantuarienſis (Mabillon. ſec. 5 actor. pag. 292. 293) narratur, *Clericos quosdam* contendiſſe, *manere* panem et vinum *poſt conſecrationem*, quod eſt; figuram vero et imaginem nunc eſſe corpus et ſanguinis Chriſti. *Odo* iam non rationibus, ſed *miraculi* auctoritate, (non *clericos* iſtos) ſed *plebem* (cui iam non licebat eos ſine vitae periculo contradicere) erroris conuincere; fracto pane *ſanguis* guttatim ſtillauit; iuſſus precibus efficere, vt vinum redeat, precatus eſt, et vinum in altari effuſum oculis patuit. Atque ex alio loco, cluniac. *Odonis* (lib. 2 collat. *cluniac.* tomo 17 biblioth. patrum maximae, pag. 292) facile patet, a *Paſchaſio*, in libro de corpore et ſanguine domini, *inauditas et nouas ſententias* prolatas fuiſſe; ita enim *Odo:* quae (Paſchaſii,) ſi quis legerit, *licet ſciolus: tanta* credo *diſcet*, vt de hoc myſterio *parum ſe eatenus cognouiſſe* putet; ſcil. ante, quam hunc librum legerat, parum ſciuiſſe ſe fatebitur. (hunc locum pluribus excuſſit *Baſnage* hiſtoire de l'Egliſe, lib. 16 pag. 944) item ex ſermone latino huius temporis, de ſacrificio in die Paſchae, in Anglia ſcripto: panis et vinum, quae conſecrantur, *rem aliam* humanis ſenſibus foris oſtendunt; *remque aliam fidelibus animis intus* declarant; *foris*, videntur panis et vinum, cum in ſpecie tum in ſapore; *ſunt tamen vere* per conſecrat. corpus Chriſti et ſanguis eius, *per ſpirituale ſacramentum.* Ex alio ſermone latino in Anglia (*Natal. Alexander* pag. 368) panis ille viuidus, non eſt vtcunque (ſimpliciter,) *idem corpus*, *quo Chriſtus paſſus eſt*; nec vinum ſeruatoris erit ſanguis, qui pro nobis fuit effuſus. Hic *Natalis Alexander* multa comminiſcitur: eſſe corpus Chriſti *non animale*, (quaſi aliud

aliud fuerit crucifixum; ergo recte ille Anglus,) non palpabile, *membrorum suorum functiones* exercens (quod in cruce tamen reuera sic habebat;) esse corpus Christi rediuiui; quod plane est a sacra illa historia alienum. Itaque non defuerunt, qui aliam sententiam secuti sunt, quod omnibus licet, qui ipsi religiosum mentis studium adhibere possunt.

Omittemus autem scriptores *vitarum, translationum,* miraculorumque SS. hymnorum, sequentiarum, de musica: quorum ingens est numerus; sed vix vlli rei vtilis esset illa opera. *Exegeticum* argumentum fere tractarunt, *Odo,* abbas ille *cluniac.* eius Epitome *Moralium* Gregorii in *Iobum*; exstat in biblioth. patrum maxima tomo 17; e praefatione discimus, eum etiam in *libros regum* collegisse; breuiorem *Epitomen* Gregorii in Iobum fecit *Adalbertus* scholastic. S. Vincentii metensis; praefationem ediderunt *Martene* et *Durand* (in *thesauro* tomo 1 p. 84) *Remigius*, antissiodor. monachus in *Genesin* collegit, plerumque *allegorica*; edidit *Pezius* tomo 4 anecdotorum; idem in ceteros Mosis libros scripsisse dicitur; eiusdem, teste *Trithemio*, est commentar. in *Psalmos*, (edit. 1536 colon. in fol.) etiam comment. in *canticum*, qui *Haymonis* halberstad. nomine falso excusus est; item commentar. in 12 minores prophetas (aliquoties *Haymonis* nomine excusus seculo 16), per *Hentenium* 1545 ei restitutus; in Euangelistas comment. nondum prodiit; in epistolas Pauli, olim Haymon. Primasii, Remigii *episcopi* nomine editum fuit, sicut et in *Apocalypsin*, (nomine Haymonis) ad hunc auctorem pertinet. Colon. aep. *Brunonis* commentar. in 4 Euangelia oculis adhuc vsurpauit *Sixtus* senens. atque alius comment. in 5 libros Mosis huic *Brunoni* tribuendus, ex verbis *Brunonis* a Sixto allatis; maluit autem hunc *Oudinus* tribuere Brunoni astensi. *Trithemius* nominat etiam *Heriberti*, monachi, expositiones in aliquot libros V. et N. Testam. etiam *Rudigeri*, epternac. libros 14 in tot Pauli, et 7 in canonicas epistolas; sed ni-

hil praeterea nobis innotuit. Ad *dogmaticos* ſcriptores referendi ſunt, *Homiliarum* ſcriptores; idem *Odo*, abb. cluniac. eis addenda ex Msto quodam illa in *feſtum omnium ſanctorum* (inter *Auguſtinianas*, louanienſes *Alcuino* falſo dederunt;) 4 homiliae, et *cluniacenſes* collationes libris 3 (dicuntur etiam libri *de virtutibus et vitiis)* in bibliotheca patrum max. tomo 17 exſtant. *Odo clericorum* ſ. magiſtrorum ἐξοχὴν diligenter commendat; cum Chriſtus e templo eiecit emtores et venditores, id oſtendit, *a ſe ſolo praelatos iudicandos; Miraculis* dicit, iam hoc tempore non opus eſſe (pag. 278) ergo non videtur fidem habuiſſe tot narratis miraculis; infantes (p. 289) ſi damnantur a deo, ergo non ob proprium reatum ſed propter illud peccatum, quod fit hora conceptionis; (ita et antiquiores quidam latini;) de monialibus, quae e clauſtro exierant, dira miracula narrat; vna e. c. matrimonium elegit, peperit infantem, cuius collum longitudine ſuperabat cubitum — *Remigii* nomine, qui antea deſignabatur, *Homiliae* multae inſigniuntur in Mstis; vnam in Ioh. 10 allegabat *Ioh. de Rokyzana* in concil. baſileenſi. *Abbo*, S. Germani prat. monachus multas homilias compoſuit, iuſſu Epporum pictau. et pariſ. 5 in lucem traxit *Dacheri* tomo 1 Spicilegii fol. 336 ſeqq. 1. in coena domini; hodie *nouum chriſma* conficitur, templi pauimenta, altaria et vaſa purificantur — quibusdam (in *poenitentia* conſtitutis eccleſ.) *abſolutionis* gratia conceditur, aliis ſubtrahetur, niſi bene parati ſint. Sermo 2, in eodem die. Adam poſt mortem venit in carcerem *infernalem*, ibi tanto tempore fuit poenitens, donec dominus, pontifex pontificum, *abſoluit eum* per ſuam paſſionem, et liberauit eum de poenis tenebrarum — *poenitentia* a poena, vt habeat peccator poenam in corpore, ieiun. et per vigilias, in orationibus. (*latina* idea corrupit theologiam;) — debetis de veſtra voluntate plus facere, quam iniunctum eſt. 3. in porta eccleſiae ad poenitentes: nullus epiſcop. poteſt abſolutionem dare, niſi poſt poenitentiam factam — qui infringit

vnum

vnum diem in XL, totam quadrages. frangit. Homilia 5 narratur, per quos apostolos et praedicatores sacra christiana prouinciis variis illata sint; multa contra inuasores rerum ecclesiasticarum. *Ratherii* veron. ep. *Sermones* aliquot ibidem edid. *Dacheri* fol. 384 seqq. de *quadragesima*, multa ad temporis huius mores pertinentia; hic num. 29 sq. de Haeresi *anthropomorphitarum;* retulit quidam nobis, *presbyteros* vicent. dioeces. putare, *corporeum deum* esse. Itaque *Sigebertus* dicit, scripsisse *Ratherium* contra haeres. anthropomor. n. 35, quidam putant, secunda feria *Michael* archangel. *deo* missam celebrat; (nempe honoris caussa facile putarunt homines, ob tantam caerimoniae praestantiam; sicut domino suo presbyter celebrat missam &c.) — vnde angelis dentes, pulmones — nec enim *corporalem panem* (sicut sacerdos) manducare angeli credendi sunt. pag. 391 defendit ista, quae dixit contra missam Michaelis Archang. (dicebant enim quidam, *melius est ire* hac feria in ecclesiam S. Mich.) Sermones 4 de Pasch. plurimi, qui Euangelia et apostolos pro officio sibi credito recitant, ignorant, quid dicant. *De adscensione;* multa et hic contra suam ecclesiam prodit; sermo 2. credere *in deum* i. catholice; *deo*, obtemperare deo. quidam putant *tempestatem* ab homine vel diabolo per eum, fieri posse; alii, per *incantationes* posse auerti tempestates; *non potest hoc facere diabolus* (vel hoc ad laudem *Ratherii* multum facit.) Inter *Ratherii* epistolas, illa num. 6 agit *de corpore et sanguine Domini*, Dacheri p. 375 ex Msto *lobiensi.* Obscurius est initium, quod haud dubie de re nondum nota aliquid inuoluit: nuper, cum dominus noster *Conradus ordines exercuit ecclesiasticos*, in loco, qui dicitur *Hornon* (falsum haud dubie nomen) interrogasti quemdam, vtrum missam cantassem ipsius hebdomadae tempore — Contra hunc *Patricium* scribit: crede frater, sicut vinum in Cana dei imperio verum non figuratiuum fuit factum ex aqua, ita istud, dei benedictione vinum verus et *non figuratiuus* efficitur sanguis, et caro panis;

credis ſcripturae, hominem *de limo* eſſe, et puluerem? ita et hic manente colore et ſapore veram carnem et ſanguinem, quod percipis, eſſe crede. — myſterium eſſe audis, et hoc, fidei; non valet comprehendi; debet credi, non diſcuti. Hinc patet ſacerdotem aliquem, iam *Conradi* tempore, miſſam celebraſſe, qui *figurate* intellexit, hoc eſt corpus meum; quem *Ratherius* refutatum iuit, ſed nulla auctoritate vſus. Contra *Ratherium* hunc ſcripſiſſe putabat *Oudinus* tom. 2 p. 486 *Herigerum*, lobienſem abbatem; nempe iſtum libellum, quem ſine nomine *Cellotus* adiecerat Hiſtoriae Godeſchalci; atque *Mabillonius* etiam in Msto quodam *Herigeri* nomen ſe vidiſſe teſtatur (annal. bened. ſec. 4 praef. p. 21) ſed iſtum *anonymum* ab *Herigero* diſtinxit *Baſnagius* (hiſtoire de l'Egliſe pag. 941 ſeqq.) Iam *Pezius* denuo edidit, quaſi *Gerberti*, qui papa *Silueſtri* nomine vſus eſt, atque illuſtrationes ex Geometria et Arithmetica hoc facile confirmae putant auctores hiſtor. litterariae Franciae tomo 6 p. 587. *Herigeri* itaque libellus nondum repertus eſt. Defendit Gerbertus *Paſchaſii* ſententiam: *idem corpus*, quod e Maria natum eſt, dari in ſacra coena; nec *Stercoraniſtas* aliquid conficere, ſi quidem *ſpirituale* alimentum ſit; (itaque vero et *ſpirituale* corpus erit, a Maria *ſpiritualiter* editum.) *Adſon*, *Azo* monachus, poſtea abbas, *Gerbergae* reginae Franc. iuſſu ſcripſit de *Antichriſto*; libellus iſte olim Auguſtini (tomo 6) nomine, *Rabani* etiam, et *Alcuini* (in editione du Cheſnii) excuſus fuit; eſt autem *Adſonis* (eadem hiſtor. litter. Franciae ibid. pag. 477 ſeqq.) Inſunt inſana multa; *antichriſtum* putant quidam parentibus vſurum *Epiſcopo et moniali;* ipſe auctor e tribu *Dan* eum deriuat; naſcetur *Babylone*, educabitur in *Bethſaida* et *Chorazin.* Tempus erit, cum omnia regna a *romano* imperio abſciſſa erunt; *quamdiu vero Galli reges habebunt*, *qui hoc imperium adepturi ſunt*, dignitas rom. imperii non concidet. Pergit: eſſe doctores, qui id promittant, Galliae aliquem regem vniuerſum imper.

re-

romanum olim habiturum; qui tandem in *monte oliuarum* coronam et sceptrum ponet. In excuso *Rabani* desunt ista, *de Galliae regibus*; hic ibi etiam plura habentur; etiam Msta variant. Nempe inuentis nugis facile alii addebant.

Supersunt scripta, quae ad *ius ecclesiasticum* referenda sunt; *Auxilii*, siue verum sit siue fictum nomen, iam mentionem fecimus sec. superiori; auctor non caret iudicio; quaedam in *canon. sardicens.* non male dicit esse *Hosii* priuatam sententiam; non *catholice* dixit; *Liberium* aliquoties nominauit *haereticum* et apostatam; defendit *Formosum*, quia aliter per annos 20 in *Italia* defuerat auctoritas legitima *ministrorum* tot ecclesiasticorum. Vtitur auctor simili disputandi modo, per *syllogismos* ac scholastici. Libelli 2 habentur etiam in bibliotheca patrum maxima tomo 17; *liber requirentis et respondentis Mabillon.* primus edidit in Analectis pag. 28 edit. in fol. Vixit adhuc hoc seculo *Regino*, abbas prumiensis, cuius libros 2 de ecclesiasticis disciplinis et religione christiana iam sec. superiori nominauimus; lib. 1. de rebus et personis ecclesiast. 2. de vita et conuersatione Laicorum; recudi fecit etiam *Harzheimius* in isto corpore tomo 2. Citat e codice *Theodos.* ex translatione *Anniani.* Huc etiam pertinet *Ratherii* veron. ep. volumen *perpendiculorum*, (solebat in titulis sedulitatem sectari;) seu de contemtu canonum; ap. Dacherium tom. 1. f. 345. edit recent. Multa insunt, quae statum religionis seu ecclesiasticum describunt; fuerunt *sacerdotes*, *qui coniugibus* vtebantur. Fingit papam, *multinubum*, periurum, aleae, ebriositati deditum — de alio sacerdote loquitur, qui, cum omnes mulieres dioec. suae sint filiae ipsius spirituales, *cuiuslibet forte illarum pollutione corruptus sit.* Fatetur *nobiles* fere eo potius consilio litteris dare operam, ambitu episcopandi, quam cupiditate domino seruiendi; multos *sine examine* peruenire ad sacerdotium; contemni episcopos, qui ridentes praelegant Ioh. X, 1 seqq. nec eorum anathema et absolutionem magni fieri. pag. 354: contemtores canonum

num praecipue ſunt *clerici Italici;* eos libidinoſiores facit frequentior vſus pigmentorum venerem nutrientium, et vini continua potatio — ſic, vt ſolum *barbi raſio* et verticis, cum aliquantula veſtium diſſimilitudine, nudo — a ritu diſtare eos videas laico. — aliquis in matutinis laudibus imitatus eſt Diogenis cynici χειροτονιαν — Ex his *Ratherii* ſcriptis (declamationibus potius,) de ſtatu miſerrimo rei eccleſiaſticae ſatis multa colligi poſſunt. p. 369 narrat de *abbate*, qui *in vxorem*, liberos, fratres, nepotes, expendebat; p. 370 de nuptu cuiusdam illicito (clerici ſcil. nam adeo ſolebant matrimonia clericorum valere, vt *filios* etiam ſuos porro clericos facerent presbyteri.) *Attonis* 2 epiſcopi Vercell. a medio ſeculi, *Capitulare* edidit *Dacheri* in eodem *ſpicilegio* pag. 402 edit. nouae; pleraque ex aliis, *Theodulfo* cet. collectum; vt presbyteri diac. ſubdiac. *fidem cathol.* memoriter teneant; (i. e. *Athanaſii* ſymbolum, quod vtique pro clericis compoſitum eſt, non pro ceteris chriſtianis;) Capite vltimo, ſeu 100, exſtat quaſi index *librorum prohibitorum*; nominantur *apocrypha.* Eiusdem *Attonis* libellus de *preſſuris eccleſiaſticis* huc pertinet, pag. 414 partibus 3; de iudiciis eporum; de ordinationibus; de facultatibus eccleſiarum. De *clericorum coniugiis* multa porro narrat *Ratherius* in *Itinerario* e. c. p. 380: ſi canones contra clericorum matrim. ſeruarentur, quis ex vobis *indepoſitus eſſet?* (ſic legendum ap. Dacherium.) Ex *Epiſtolis Attonis* plura, ſicut ex *Ratherii* etiam epiſtolis, colligi poſſunt, quae temporis huius ſtatum deſcribunt; ex epiſtola 9, ſacerdotes *meretrices* ſecum habent; poſt obitum ſuum ſcortum haeredem ſcribunt (fuerunt *coniuges* ſed *Atto* tam male deſcribit). *Dunſtanus*, anglus, concordiam regularum; *Burchardus* wormatienſis et Walter ſpir. ep. collegerunt libros 20 *decretorum*; *Abbo* floriac. abbas, collegit *capitula* 52; edid. *Mabillon.* inter *vetera* analecta, pag. 133 ſeqq. edit. fol. *Epiſtolae Gerberti* lectu et noua editione dignae; potiores edid. *du Cheſne* in corpore francico tomo 3 p. 789 ſq.

55 an-

55 antea ineditae; (etiam *ad bellum sacrum* contra *Muhammedanos* Papa hic concitauit. Epistola nomine eccles. *Hierosolymitanae* ad eccleſiam vniuersalem composita: est 28 parte 1 apud Du Chesne.) In bibliotheca patrum maxima tomo 17 habentur 160 epistolae; sed possunt plures colligi. Eiusdem *Gerberti* sermo, de *informatione episcoporum* quem *Mabill.* inter vetera *analecta* p. 103 fol. edidit, continet iam *axiomata* illa, quae Episcopos super omnes reges et principes ponunt. *Abbonis* flor. libellum de grammaticalibus edid. *Mabillon.* append. ad annales tom. 4 p. 687. *Ratherii sparadorsum*, *Seruadorsum*, periit. De arte *musica* plura collegi pag. 517. 518 contin. german. *Baumgart.*

Ex *historicis* potiores sunt, *Reginonis* chronicon, quod a. 906 finit, postea varie continuatum; merebatur omnino meliorem et nouam editoris curam. *Widechindus*, monach. corbei. scripsit histor. *Henrici* 1 et *Ottonis* 1, libris 3; in *Leibnitii* corpore brunsuic. tomo 1 p. 208. 211. 221 accesserunt quaedam quasi supplementa ad *Meibomii* editionem; sed multa supersunt emendanda. *Luitprandus*, ticin. diac. et postea, vt quidam volunt, cremonensis episcopus, *historiam sui temporis* scripsit libris 6; idem *legationem* suam *Cpolitanam* descripsit; turgidus scriptor. *Flodoard*, *Frodoard*, abbas Remigii, reliquit libros 4 *histor. rhemensis eccleſiae*, seu de gestis pontific. rem. vtilissimos; idem *chronicon*, ab a. 919-966 editum; *historica poemata* multa, e quibus *vitae paparum* eminent, ad Leonem 9. *Roswithae*, gandersheim. monialis poema in *Ottonem* 1, saepius editum est; eadem *christianum* Terentium quasi compilauit, et alia carmina adhuc inedita. *Dudo*, S. Quintini decanus, libros 3 scripsit de moribus et actis Normannorum (in du Chesnii collectione *Normannicarum* rerum;) mediocris fidei. Minoris loci sunt, *Bertharius*, virdun. presbyt. de Episcopis virdun. (edid. Dacheri in spicileg.) *Ratbod*, vltrai. ep. (chronica parua apud *Hedam* in histor. Eppor. vltrai.) *Folcuini* gesta

abbatum lobienſium (ap. Dacheri.) *Erchempert*, diac. caſſin. hiſtoria de longobard. gente; (Epitome in *Eccardi* corpore medii aeui tom. 1 et *Muratorii* rer. ital.) &c. Inter anglos *Allfricus*, grammatic. clarus fuit; vid. *Hikeſii* theſaurum linguar. ſeptentr. auctor eſt plurium *Homiliarum*, e. de corpore et ſang. domini noſtri aliquoties excuſa angloſax. et latine (e. c. *Wheloc* in append. ad *Bedae* hiſtor. eccleſ. cantabr. 1644 fol.) *Contra transſubſtantiationem* auctor loquitur; ſolebat olim publicae praelegi.

2. Sub oriente ſole.

Poterat *Graecia* ſcriptores haud paulo meliores oſtentaſſe, hoc etiam adhuc ſeculo, niſi ingenia plerorumque in monaſteriis corrupta fuiſſent; non defuerunt certe eximii quidam imperatorum praeceptores; atque vel ipſe *Leo*, philoſophus, et fil. *Conſtantinus*, porphyrog. (cuius praeceptor fuit *Theodorus*, eruditus homo,) illuſtre ingenii excolendi exemplum praeiuerant. Sed argumentum ſcribendi, fere nimis tenue; hiſtoriae ſanctorum, eremitarum; e. c. *Theoctiſtae*, (quae in inſula *Lesbos*, quaſi fera ſancta vixerit,) et ſimilium hiſtoriarum, (quas *Simeon*, metaphraſtes praecipue expoſuit,) vix dedit ingenio adhibendo locum. Alios ſuperſtitiones publicae, vaticinia, auguria, portenta, infecerant, vt vel alias hiſtorias parum liberaliter ſcripſerint. *Conſtantino* porphyrog. haud dubie multum debent graecae antiquiores litterae, qui vtiliſſimas *Eclogas* fieri iuſſit, ex ſcriptoribus antiquioribus, quorum ad rempublicam regendam fuit aliquod momentum. Solent quidem alii hoc ſic interpretari, vt damnum potius attulerit iſta cura, quam beneficium, quia vetuſti illi ſcriptores plane perierint; ob ignauiam eorum, qui his eclogis contenti fuerint. Sed minime certi ſumus de eo, facilius et frequentius Graecos huius temporis lecturos fuiſſe iſtos vetuſtos ſcriptores ipſos, ſi nullae *eclogae* obſtitiſſent. Monachorum turpis ignauia et ſacra ineptiendi conſuetudo

coer-

coercenda fuerat; qui, prae tot miris miraculis et mysteriis foede spernebant et abiiciebant exculti humani ingenii monumenta; quae si auctoritate quadam iam valuerant, genium monasticum oppressissent.

Constantinus porphyrog. ipse inter scriptores satis prolixos et industrios referendus; aui *Basilii* vitam scripsit; *de administrando imperio* liber vel solus ingenium et iudicium imperatoris commendat; hoc autem περι θεματων, carere minime possumus: βιβλον τακτικον edidit *Meursius*; quaedam *Nouellae* supersunt (13 edidit *Leunclauius*); nec ab *Homiliis* videtur abstinuisse; e. c. in *imaginem* Christi *Edessenam*, Cpolin absportatam; admonitio ad filium, ne coniugem extraneam ducat; (ex *Petri Morini* translat. edid. *Baronius* a. 960 n. 16 seq.) Per aliorum studia colligi iussit κεφαλαιωδων υποθεσεων 53 capita; sed nobis tantum supersunt 27, de *legationibus*; et 50, de virtute; (et de agricultura) nec haec integra. Per *Theophanem*, ex *Oribasio* collecta fuerunt medicae artis capita praecipua; edita etiam sunt ἱππιατρικα et γεωπονικα. Libri 2 de caerimoniis aulae *Byzantinae* videntur ab ipso informati; postea quaedam inserta sunt, quae excedunt ipsius tempus; opus vtilissimum, vel ad *ecclesiasticum* inter Graecos statum accuratius cognoscendum; (edi curau. *Leichius* et *Io. Iac. Reiske* Lipsiae 1751. 1754. 2 tomi in fol.; capita descripsimus in contin. germanica *Baumgarten.* pag. 531 seq.) Eius iussu et *Iosephus Genesius*, (byzantius,) historiam imperii byzantini a *Leone* armeno vsque ad *Basilii*, maced. mortem, libris 5 continuauit; exstat in *veneta* editione Byzantinorum scriptorum, ex *bibliotheca* Lipsiensi paulina. Huic *Constantino* imp. dicauit aliquis *Basilius* scholia in orationes *Gregorii* nazianz. (nondum edita;) atque huius seculi est etiam *Gregorius*, caesar. presbyter, qui scholia similia scripsit. *Theophanem* continuauit aliquis; cuius nomen ignoratur, inscripsit imperatori; ex ista continuatione *Epitomen* fecit *Georgius*, monachus; habentur in corpore byzant. *Leo*, diac. Cpolit.

ab hoc imperatore vsque ad *Ioh. Tzimiſcis* obitum, continuauit hiſtor. byzantinam. *Theodoſius*, diac. Cpolit. ſub finem ſeculi reliquit ἀκροασεις, ſuperſunt 5 in vatic. biblioth. de capta per Romanum inſula Creta. *Lambecius* quaedam ſcripta deſignauerat ex *vindobonenſi* bibliotheca, quaſi ſupplementum corporis byzantini; e. c. *Theodori*, qui fuit Conſtant. porphyr. praeceptor; panegyricum in hunc diſcipulum ſuum et matrem *Zoen;* alios ſermones; defenſionem *eunuchiſmi*, (praecipui enim in palatio miniſtri ſolebant eſſe eunuchi; atque pro moribus quarundam feminarium illuſtrium ſic opus erat, vid. quae narrat de quodam adeo Eunucho lib. 17 *Zonaras* pag. 233 pariſ.) Scripſerat et *Theodorus*, daphnopata, quod ad hiſtor. byzantinam pertinebat, ſi ſupereſſet; ſermo in *manum S. Iohannis*, baptiſtae, quae furto ex Antiochia ſublata in Cpolin hoc tempore illata fuit; (*latine*, ſine auctoris nomine, *Surius* edidit d. 29 Auguſti.) Idem collegit meliora e *Chryſoſtomi* ſcriptis; vitam *Theodori*, ſtuditae; alia, quae ipſi tribuuntur, minus certa ſunt. *Epiphanio*, Hagiopolitae, ſeu Hieroſolym. tribuitur vita ap. *Andreae*, *Mariae*; et deſcriptio *Syriae* et locorum ſanctorum (edid. *Allatius* in Συμμικτοις, num. 2.) S. *Nicoa*, monachus, cui a μετανοια, quam commendabat, nomen adhaeſit, dicitur ſermones ſacros compilaſſe (pandecten.) edid. *Cotelerius* in notis ad patres apoſtol. eius libellum aduerſus *Armenorum impiam religionem*. *Baronius* partem vitae edidit a. 961, latine per *Sirmondum* translatam; e qua patet, quanto in *Iudaeos* odio flagrauerit. *Nicephori*, presbyter. S. *Sophiae*, vita *Andreae*, qui σαλος dicebatur, excuſa eſt tomo 6 Maii. In hoc ſeculum pertinet *Olympiodorus*, diac. alex. eius in *eccleſiaſten* commentar. graece tandem a *Ducaeo* editus in auctario; *catena* vero in *Iobum*, eſt *Nicetae*, Heracl. metropol. exſtat eius nomen in hac catena. *Philoſophica* plura ſcripſit, in *Ariſtotelis* meteora, excuſum eſt; in *Platonis* dialogos plures, aut ſcripſit aut dictauit. Videtur et *Oecumenius* huius

ius esse seculi, cuius *catena* in actus, Paulum et canonicas excusa est. sed non omnino satis copiosa. *Suidae* lexicon forte et in hoc seculum transferendum, vnde patet, graecis diligentiam in versandis vetustis scriptis minime defuisse. De *Theodulo* quodam minus constat, graecis an latinis addendus sit; istud malim statuere, vel nominis iure, et quia in Ecloga vtitur graecis collocutorum nominibus, *Pseustes*, *Alethia* et *Phronesis;* quae *Wiclefus* in trialogo etiam induxit. Illa expositio in Epistolam ad *Romanos*, quae latine est in *orthodoxographis*, videtur ex *Chrysostomo* plurima habere.

Quod attinet ad *alias christianorum* societates, sub *Muhammedanis*, nec his defuerunt viri eruditissimi quidam. Eminet ab a. 933 alex. patriarcha, melchitarum, *Said Ebn Patrik*, seu *Eutychius*, cuius *annales* historiam non parum adiuuant. *Eliae*, patriarchae Hierosolym. 907 mortui, latina epistola fertur, de Episcopi *Malaceni* in Iberia fatis; edidit *Mabillon*, in analectis p. 428 edit. in fol. cum *Benedicti* 4 encyclica; sed parum ingenua videtur. *Moses*, barcepha, episcopus inter syros, qui 913 mortuus est, multis scriptis clarus; *Paradisum* latine *Masius* transtulit; (exstat in bibliotheca patr. maxima tom. 17 p. 457.) Pars 1 in historiam creationis commentarius; pars 2 de paradiso *mystico;* pars 3 contra aliorum diuersas sententias, *Iuliani* halicarnass. et apostatae; *Theodori*, mopsuest &c. Eius etiam commentarii in N. T. citantur; Homiliae quaedam syriacae &c. etiam de *mysteriis*, quae tonsurae monachali insunt. *Iohannes*, episcopus coenobii cartamiensis, inter *Iacobitas* syros, instaurauit vsum characterum σροσγυλων; eius et quorumdam aliorum opera, plurima volumina descripta fuerunt, vid. *Assemani* bibl. orient. tomo 2 p. 352. *Elias*, metropolita Damascenus, collegit *arabicum nomocanonem*, in quo multa vtilia; idem, cum adhuc *Hierosolymis* esset nestorianus episcopus, contendit scriptione singulari: conuenire *Nestorianos*, *Iacobitas* et *Melchitas* in fidei capitibus, *Assem.* tomo 3 p. 516,

p. 516. (Vel hoc vnum oſtendit hominem fuiſſe non imae caueae.) A *dialectica* peritia laudatur *Matthaeus* Abu baſciar, qui Bagdadi vixit; *Neſtorianus* ipſe, tamen praeceptore *Iacobita* vſus; ex ſyriaco arabice transtulit multa *Ariſtotelis*. Vtiliſſima etiam eſt ad antiquitates eccleſ. *Georgii*, metropolitae Moſulenſis, collectio 7 librorum, ad illuſtrat. *officiorum* et *dierum* ſacrorum; nominat adhuc *Periodeuten*, chorepiſcopum, poſt presbyterum; *Aſſemanī* copioſius excerpſit tomo 3 p. 519-540. *Sabarieſus*, presbyter moſul. accuſauit *Seuerianos*, quod corruperint Hebr. 2,9, χαριτι θεϑ. et Actor. 20,28 eccleſiam dei, cum rectius ſit, χωρις θεϑ, — Chriſti. Aſſem. ibid. p. 541-543. Itaque, ſi plura ſcripta arab. et ſyriaca nobis in manibus eſſent, haud dubie frugifera multa inueniremus.

Tabula ſeculi X.

A. Chriſti	
901. Hegirae 289. die 15 Dec.	Benedicti 4 annus 2 *Leonis*, ſap. 16. *Ludouici* 3, imp. 1 vt *Muratori* contra Pagium, et *Saxius* ad Sigonium. Coniuratio in *Leonem*, in proceſſu S. pentecoſtes.
902. Hegirae 290. die 5 Dec.	Hic *Pagi* pluribus agit de *Simeone*, logotheta, ſeu metaphraſte; *Ludouicus* imperator *Veronae* a Berengarianis, iuuante Epiſcopo, oculis priuatur; redit in Prouinciam. Rex *Ludouic.* comitatus omnia iura tradit treuirenſi eccleſiae. Saraceni in Calabriam irrumpunt, ſiue hoc ſiue ſuperiori anno. Moritur *Mutadid Billa*, califa babylon. ſucceſſit filius *Muctafis Billa*. *Adalbertus* comes vexat ep. *Wirceburgenſ.*
903. Hegirae 291. die 24 Nou.	Moritur *Benedictus* 4. a *Frodoardo* laudatur; ſucceſſit *Leo* 5, et paulo poſt *Chriſtophorus* (ſine *Nouembris*; *Pagi*, in breuiario pontif.) eius diploma apud *Dacherium* pergit in annis *Ludouici* numerandis, quia *Berengarius* in ducatu romano, placentino &c. non admiſſus; *Pagi*, Murator. Moritur S. *Grimbaldus* in Anglia. Monaſterium montis *caſſinenſis* poſt annos 22 excidii, inſtaurari in-

A. Christi

incipit. *Ruthertus*, comes paris. vxoratus, tenet abbatiam S. Germani; sic post eum alii; *Mabillon.* annal.

904. Hegiræ 292. die 13 Nou. Electo Christophoro (fine *Maii*) *Sergius* 3 papa successit mense Maio, post annos 7 exilii; is ecclesiam *lateranensem* instaurauit, vid. *Ioh.* diac. in appendice 2 Mabillonii ad ordinem rom. *Leo* tripolita, apostata; *Thessalonicam* diruit; descripsit *Ioh. Cameniata*, qui fuit e captiuis. *Pleg-mundi* aepiscopi cantuar. concilium, e 2 episcopatibus 5 facti. vid. *Pagi* ad annum 894 n. 8 seq. Basilica S. *Martini*, turon. tertium a Normannis incensa; vid. sermo 4. *Odonis*, cluniac.

905. Hegiræ 293. d. 2 Nou. Leoni ex *Zoe* nascitur *Constantinus* porphyrogen. mense septembri. cuius eruditionem laudat *Luitprand.* lib. 3 c. 9. Finit chronicon *Reginonis*, *Othertus* ep. strasburg. succedit Baltranno. Abbatiae S. Maximini et S. Mariae ad Horrea, Treuiris, a comitibus occupantur. Sanctius, in monaster. cedente fratre *Fortunio*, fit rex Nauarrae.

906. Hegiræ 294. die 22 Oct. Baptizatus Constantinus; *Leo* et *Zoe* nuptiali benedictione potiti; *Nicolaus*, patriarcha, qui se nuptiis quartis oppossuit, in exilium missus; eius in locum venit *Euthymius*, syncell. *Hungari* in Italia grassantur. *Adalbertus* comes a *Ludouico* rege tandem capite plexus. Hic *Mabillon* in annal. *Martiniani* cuiusdam monachi libros 4 exercitationum describit, in quibus multa aduersus monachorum et clericorum prauos mores.

907. Hegiræ 295. die 12 Oct. Hoc et seqq. annis *Hungari*, (Agareni) Saxon. Thuringiam, Alemanniam vastant; occisus ab eis *Luitpaldus* dux Baioar. succeff. Arnulfus fil. Itaque *castra et munitiones* in Italia, Germania &c. ab episcopis, abbatibus, nobilibus construuntur. *Edoardus* rex Angliae Danos eiicit e plerisque prouinciis. *Otto*, dux Saxon. floret, qui *Gandersheimensem* eccles. dotauit.

908. Hegiræ 296. die 30 Sept. *Burchardus*, dux Thuringorum, ab *Hungaris* occisus cum aliis. *Adalbero*, ep. augustan. et Meginbert. Sabionens. (brixiensis postea) S. *Galli* fraternitatem sibi comparant. *Wiborada*, inclusa, floret; (vita eius ab *Hartmanno* scripta, die 2 Maii

A. Chriſti

Maii ap. Bollandiſtas.) *Giafar Abufadl*, filius, califae babyl. patri ſuccedit.

909. Hegiræ 297. die 19 Sept. *Adalgario* brem. aep. ſucceſſit *Heier.* Synodus *Trosleiana*, in pago ſueſſion. canones 15. c. 3 *capitularia* dicuntur canonum pediſſequa; capitularia adhuc in *Germania*, *Italia* &c. valebant; in Gallia vsque ſub initia regum tertiae familiae. multa queruntur, de collapſo ſtatu regulari; abbates cum vxoribus, filiis, militibus, canibus &c. iam in monaſteriis habitant. *Odo* et *Adhegrinus*, Balmam in ſeceſſum abeunt; *Mabillon.* annal. *Athenulf*, dux beneuent. a *Leone* imper. auxilium contra Saracenos petit, miſſo filio.

910. Hegiræ 298. die 9 Sept. *Adalbero*, ep. auguſt. moritur; *Vdalricus* ſub eo Romam peregrinatur; (vtrum ſub *Marino* papa an vero Sergio 3? Pagi.) Hungari in Francia orientali. *Leo* fil. Conſtantinum in porphyra (*triclinium* in palatio fuit;) natum coronat. *Fatimidae* in Africa ſurgunt inter Arabas. *Muhammed Mahadi* primus Califa; Africae, Siciliae et prouinciarum occident. dominus. *Tres califatus* etiam Conſtant. porphyrog. cap. 25 de adminiſtrando imperio numerat: *Syriae*, *Africae* et Hiſpaniae. *Cluniacum*, a Wilhelmo comite, in Burgundia exſtructum.

911. Hegiræ 299. d. 22 Aug. Moritur *Leo* philoſoph. variis libris, quos ſcripſit et colligi iuſſit, clarus; hos inter tomi 7 Βασιλικων. Succeſſit frater *Alexander*, qui *Nicolaum*, patriarcham reſtituit, *Nicol.* hoc vel ſequenti anno ſcribit ad rom. epiſcopum (Baron. a 912 n. 6) varias ſcriptorum difficultates ſoluit *Pagi*. *Euthymius* in ſynodo deiectus. *Ludouicus*, rex german. *Arnulfi* fil. moritur; *Otto*, dux Saxon. in *Conradum* ducem Francon. vertit regiam dignitatem; hic iam in menſe Nouembri rex fuit. *Heinrici*, filii Ottonis, nuptiae cum *Hathewiga*, velata; Conradus rex ap. S. *Gallum*. Ekkehartus copioſe deſcribit. Mortuo *Sergio Anaſtaſius* 3 papa ſedet.

912. Hegiræ 300. d. 17 Aug. *Conrado* regi plures principes rebellant; *Alexander* Bulgaros Graecis infeſtos fecit; ei mortuo ſuccedit ſub *Zoe* et tutoribus *Conſtantinus*. Primus abbas cluniac. *Berno*; plura *Mabillon* et *Pagi*. *Rollo* et

alii

A. Chriſti 875. alii *Normanni* baptizantur, diuiſa haec prouincia manſit vsque ad Philippum 4. Mortuo patri *Rudolfo*, ſuccedit in Burgundiae regno filius, eius nom. *ſecundus*. *Vrſus*, *Particiacus* 2, fit dux *Venetiarum*, qui filium honoris cauſſa Cpolin mittit; hunc reducem *Bulgari* interceperunt; qui Cpolin vsque excurrunt. *Ordonius* in Gallicia rex, *Alfonſi* M. fil. et eius frater *Garcias*, in monaſteria multum conferunt; annal. Mabill. Moritur *Notker*, balbulus, auctor martyrologii, quod edid. *Caniſius*.

913. Hegiræ 301. die 7 Aug. *Conradus*, mortuo *Ottone*, minus bonis auſpiciis in ducem Sax. Henricum bellum mouet; *Lotharingiam* fere omnem *Carolus ſimplex* eripit. Liber ſtemmatum *Lotharingiae* ac *Barri* ducum, tomi 7, e quo Baronius diploma hoc anno attulit, quaſi *Ragneri* ducis (etiam *Mabillon.* annal.); a *Pagio*, ex aliis, hic exploſus, ob falſa diplomata. In Hiſpania *Abrahae* ſucceſſit *Abderrahman*, *Amirolmumanim*, ex familia Ommiah. *Simeon* metaphr. ſcribit vitam *Theoctiſtae*; de ratione, quam in metaphraſibus ſecutus eſt, plura hic *Pagius*. *Lando*, rom. ep. ſedet. *Odo* ſcribit libros 3 collationum; praecipue contra mores malos monachorum.

914. Hegiræ 302. d. 27. Iul. Ioh. X papa fit ante medium Maium, ſub quo, quae eum euexerat, *Theodora*, ſcortum impudens, omnia gerit. *Luitprand.* lib. 4 c. 13. *Heinricus* dux bona ad Moguntinum aep. pertinentia, in Sax. et Thuring. occupat; annaliſta Saxo ex Wittekindo. Multa *ſagae* combuſtae in territorio noſtro, annal. corbei. *Adrianopolin* a *Bulgaris* Graeci redimunt. *Simeonem* reg. *Bulgar*, laudat *Luitprand.* lib. 3 c. 8, quod a pueritia Byzantii *Demoſthenem*, et *Ariſtotelis* ſyllogiſmos didicerit. Similia de *Edoardo* rege Angl. *Pagi* ex Malmesbur. narrat, qui filios ad eruditionem et philoſophiam inſtitui curauerit. Origo monaſterii *tutuienſis*, cuius hiſtoriam *Baluzius* optime ſcripſit. *Salomo* ep. conſtantienſis a 2 comitibus Sueuiae captus; *Sueuia* in ducatum erecta; *Ekkehartus* de caſib. S. Galli

Hoc

A. Christi

915. Hegirae 303. die 17 Iul. Hoc iam anno mense decemb. *Berengarium* a papa accepisse imper. coronam statuit *Muratori*; floret S. *Gennadius*, asturicensis; vide acta SS. Bollandist. d. 25 Maii. Moritur *Hoier*, brem. aep. succedit. (annal. Saxo: *Reinhardus*, et huic) *Wimo*, (*Vnni*) vterque ex corbeia; Wimo a. 936 in Suecia obiisse dicitur, annal. *corbeiens.* Floret *Mathildis*, abbatissa *Herford.* mater antea *Theodorici* comitis Sax. cuius filiam *Mathildem*, postea reginam, secum habebat.

916. Hegirae 304. die 5 Iul. Saraceni iunctis plurium auxiliis post annos 40 e monte Gariliani eiecti; *Berengarius* corona imperiali a papa auctus die paschatis; (sic poeta de laudibus Berengar. chronicon *casaur.* de hac corona ἐπανωκλασῳ, vid. Pagi.) Synodus *Altheimensis*, cuius *Fleuri* et multi alii non meminerunt.

917. Hegirae 305. die 24 Iun. Hungari Basileam, Alsatiam, Lotharingiam vastant. Moritur *Rollo* s. *Robertus*, dux norman. ei successit *Wilhelmus* fil. (longae Spatae dictus.) Desinunt hic *Dudonis* libri 3 de rebus Norman. Papa Ioh. X dat abbati *Fuldensi*, *Haicboni*, priuilegium, et facultatem praedicandi.

918. Hegirae 306. die 14 Iun. *Ratbodus* trai. ep. obiit; vita eius ap. Mabillon sec. 5 is ab Arnulfo et Suentibaldo *Dauentriam*, impetrauit. *Conradus* rex Germ. moritur; electus *Henricus*, Saxo, cuius vxoris *Mathildis* vitam scribi iussit Henricus S. in actis d. 14 Martii; et ap. Leibnitium. Henricus concessit *Arnulfo*, duci Baioariae omnes pontifices, vt vno defuncto alium ordinet. Annal. Saxo; *Luitpr.* lib. 7. *Hundius* in metrop. narrat de antiquissimo libro in Münchsmunster, (vitae SS. a Paschasio e graeco translatae &c.) in fine: hic liber fuit inchoatus *in Hunia*, in exercitu 918 &c.

919. Hegirae 307. die 3. Iunii. *Constantinus* Romanum Lacapenum socium imperii facit; qui fuit ex Armenia; eius filiam duxerat imperator.

920. Hegirae 308. die 22 Maii. Ob continuata per 15 annos (propter quartas nuptias,) clericorum eccles. constpolit. dissidia mittit *Nicolaus* patr. et imperator legatos ad Ioh. X. Edictum vnionis episcoporum, sub patriarch. Cpolit. (Baron. a. 921.) Nouella de quartis et tertiis nuptiis, quae quotannis publice e suggestu lege-

A. Chriſti

920. legebatur. In Gallia plurimi *Carolum* regem deſerunt, ob *Haganonem* palatinum, cui rex omnia concedebat; *Robertus*, comes pariſ. ab iis electus. Chriſtiani reges Garſias, nauarrae, et *Ordoinus*, 2, Legionis, a Saracenis magna clade affecti. *Salomon* 3 ep. conſtant. obit. *Rachild* includitur. Comites *de Daſſel* fundant miſſam perpetuam in Corbeienſi monaſt.

921. Hegiræ 309. die 12 Mai. Saraceni inde a *Fraxineto* aditus omnes interceperunt, et viatores ad tributa coegerunt; inde late graſſati. *Landulfus*, beneuentanus *Apuliam* Graecis eripit. *Lambertus*, aep. mediol. indignatus, quod magna auri ſumma hanc dignitatem emere oportuit, concitat rebellionem aduerſus *Berengarium*; *Rudolfum*, burgund. regem euocat, &c. Inter *Henricum* et *Carolum* lis de Lotharingia compoſita.

922. Hegiræ 310. die 1. Maii. Robertus a Francis contra Carolum ſimpl. rex vngitur. *Seulfus* aep. rem. ſuccedit *Heriuaeo*; (*Odo* huius frater, *laicus*, *Vicedominus*, ſeu *oeconomus* remenſis fuit.) Concil. *Confluentiae* iuſſu Caroli et Henrici regum; praefuit colon. aep. *Herimannus*. Narratio de ſanguine Chriſti in Augiam perlato; Mabillon annales bened.

923. Hegiræ 311. die 20 Apr. Conſtpolis a Bulgaris obſeſſa vid. Pagi ad a. 917 n. 3. 4. Filii *Rom.* lacap. coronati a patre; *Theophylactus* fil. a patriarcha clericus tonſus; Pagi ad a. 928. n. 6. Cceiſo in praelio *Roberto* regi ſufficitur *Rodulphus*, fil. Richardi ducis burg. *Gemblacenſe* monaſter. fundatur; de tempore vid. annales benedict Herimanno colon aep. ſucceſſit *Wigfrid*; *Sigismundo*, Halberſtad. Bernardus; priuilegia *corbeiae* ab Henrico confirmata. Moritur *Phlegmundus* aep. cantuar. *Vdalricus* a rege *Heinrico* creatur ep. Auguſtanus; (vita eius per *Gerardum* presbyterum, num. 7.)

924. Hegiræ 312. die 9 April. *Berengar.* imp. a ſuis occiſus, qui *Hungaros* inuitauerat; poſt eius mortem *imper. occidentis* vacat ad a. vsque 962. Rodulfus rex per *Ermengardam* poſtea eiicitur Italia. Poſt *Ordoinum* regem legionis, *Froila*, et poſt hunc, *Alfonſus*, monachus, regnauit. *Eduardus* rex Angliae moritur, ſucc. filius *Athelſtan*, quo nemo legalius vel *lit-*

A. Chriſti

teratiu regnaſſe dicitur; Malmesbur. *Hildebertus* aep. mogunt. ſuccedit *Herigero.*

925. Hegiræ 313. die 29 Mar. *Henricus* rex vrbem *Brennaburg* capit, Slauis tributum imponit. Rudolfus duci *Venetiarum* confirmat ius *monetae.* *Benno* fit ep. metenſis poſt Wiggerum. *Hugo* quinquennis aep. remenſis; S. *Pelagius* puer iuſſu Abderrahmani occiſus; quem carmine laudauit *Roswitha;* (eius omnia carmina edid. Conrad. *Celtes* 1501.) S. *Wiborada* ab Hungaris caeſa, acta SS. Bollandi d. 2 Maii. Moritur *Nicolaus*, myſticus, patr. Cpolit. qui etiam *priſcus* dicitur, tom. 1 iuris graecoromani lib. 4 p. 249 i. primus.

926. Hegiræ 314 die 19 Mar. *Hugo* primus comes ſeu dux Prouinciae, ſeu *Arelat.* rex Italiae fit; *Burchardus*, dux ſeu regulus (poſt Conradum regem,) Alaman. (monaſteriis grauis) ſocer Rudolfi, in Italia occiſus. *Sanctius* Garſiani, rex nauarrae primus, moritur. *Sithric*, rex Northumbr. ducta a. 925 ſorore *Athelſtani*, fit *chriſtianus*; ſed ſtatim ad idola redit; *Athelſtan* regulos ceteros vicit, qui *idolis relictis* pacem impetrarunt. Turris *Gandersheim.* dedicatur; obiit *abbatiſſa Rothſuith*; ſucc. *Wendilgard*, et huic *Gerberga*, cui Roswith dicauit carmen in *Ottonem.*

927. Hegiræ 315. die 8 Mart. *Benno* i. e. *Benedictus*, quem ex Eremita *Henricus* rex, contemta alia electione, fecerat epum *metenſem*, euiratur et oculis priuatur; huic, poſt abdicat. in ſynodo *duisburgenſi* anni 928. *Adalbero* ſucceſſit; *Bennoni* abbatia conceſſa. Obiit *Berno*, primus abbas *dolenſis* et *cluniac.* in teſtamento ſucceſſores deſignauit *Widonem*, conſanguin. et *Odonem;* de *Odonis* inſtitutis vid. annales Mabillonii; haec domus *romano pontifici* praebuit non ſemel ſubſidium, quaſi *commune quoddam eccleſiae aerarium*, et an. 928, de querelis *Odonis* contra Widonem, apud papam Ioh. 10. *Simeon*, rex bulgar. moritur; ſucc. filius, *Petrus*, qui ducta *Maria* ſeu *Irene* graeca, pacem iniit. *Hugo*. rex Ital. mittit patrem *Luitprandi* Cpolin ad Romanum.

Io-

A. Chriſti
928. Hegiræ 316. die 25 Feb. Iohannes X, impulſu Maroziae, quae ab amaſio Theodorae abhorrebat, ſede deiectus in carcere tandem mortuus; eius in locum *Leo 6* ſuffectus. *Ratbertus* aep. treuer. ſuccedit Rotgero; illi *Frodoardus* libros 19 carminum dicauit. Hoc anno *Sigebertus Ratherium* iam facit ep. *Veronenſem*; *Pagi* vero reiicit in an. 932. Moritur *Stephanus*, patr. Cpolit. Pagi ad a. 932 n. 1. Ei ſucceſſit *Tryphon*.

929. Hegiræ 317. die 14 Feb. Henricus rex filiam ſuam dat *Giſilberto* duci Lotharing. Goldaſti alam. tom. 2 p. 182. *Carolus* ſimplex mortuus; iam alii *Rudolfi* annis vtuntur, alii noua formula: anno - poſt obitum Karli, Chriſto regnante *et regem exſpectante*. *Leoni 6* ſucc. *Stephanus 7*. Martyrium S. *Wenceslai*, Cosmas prag. *Otto* ducit *Editham* anglicam; *Athelſtan* mittit omnibus monaſteriis per Germaniam; praecipue S. Gallo, eleemoſynas.

930. Hegiræ 318. die 3 Febr. *Henricus* rex *Bohemiam* facit tributariam. Wittechind. lib. 1. *Sigebert.* quem Wenceslaum falſo nominaſſe pro *Boteslao* ſtatuit *Aſſemani* tom. 4 calendar. p. 158. porro regem *Abotritorum*, et Daniae (Iutiae) vincit, et chriſtianos facit a ſeq. *Marchio* apud Sleswic poſitus cum colonia ſaxonum. Rex *Hugo* in ſocietat. regni Italiae adſciuit fil. *Lotharium*; cui filiam Rudolfi, *Adelaidam* iunctam, pacem inter vtrosque attuliſſe refutat *Pagi*. Lotharium regem in annum ſeq ponit Muratori. Dantur *indulgentiae* a ſede apoſtolica multi valoris et omnibus gratae, annal. corbei. *Odo* reformat. floriac. monaſter. vid. annal. Mabillon.

931. Hegiræ 319. die 23 Ian. Stephano 7 papae ſucceſſit *Iohannes* XI, filius Maroziae. Hoc anno *Pagi* aliud concil. *Althemenſe* ſtatuit, diuerſum a ſuperiori a. 916; *Mabillon* corrigit Herm. contractum, et ponit a. 936, in annal. *Chriſtophorus*, primogen. Romani lacap. moritur. Theophylactus, romani fil. extruſo *Tryphone* per dolum, fit patriarcha, aetat. 16; ſupereſt ſynodus *Tryphonis* memor. ad 19 April. in actis SS. Bolland. Hoc aut ſequenti anno *Ratherius* fit ep. Veronenſis. Murat. *Artaldus* contra Hugonem aep. remenſis per Rudol-

A. Christi 931. fum regem factus. *Pseudopapa* Ioh. XI (sic Mabill.) cluniacó confirmat *ius monetae* a Rudolfo conceſſum, et recipiendorum monachorum ex aliis coenobiis. *Alfonſus* rex *Ramiro* fratri regnum cedit, ingreſſus monaſterium.

932. Hegiræ 320. die 13 Ian. Concil. *Erfordiae*, iuſſu Heinrici. *Odo*, cluniac. abbas quaſi generalis plurium monaſteriorum. quae ad ordinem et formam cluniac. conformantur, vel in Italia. Epiſtola *gallica* *Aymerici* aep. narbonenſis et 2 epp., ad papam, qua ſe excuſant, quod ſecundum conſuetud. papam nondum adierint, ob *Hungaros*, exſtat apud *Catelum* lib. 1 hiſt. comit. toloſ. c. 14. Corpus S. Wenceslai *Pragam* transfertur; *Cosmas* prag. *Hugo* rex Romam venit, a *Marozia* inuitatus, quae ei nupſit. *Albericus*, iunior, Romam capit, Hugone eiecto, *Marozia* in carcerem miſſa.

933. Hegiræ 321. die 1 Ian. 322. die 22 Dec. Itali Hugoni *Rudolfum* burgund. volunt opponere; quem ille conceſſis quibusdam prouinciis auertit. Itali plures cum *Ratherio* ad *Arnoldum* baioar. ducem ſe conuertunt; Hugo *Ratherium* veronenſem ep. Papiae in carcerem trudit.

934. Hegiræ 323. die 11 Dec. Alhradi Billah fit Califa babylon. ſub hoc *Eutychius* finit hiſtor. patriarch. *Hungari* ab Henrico maclade affecti; etiam Slauis *Veranis* tributum poſitum. Reformatio monaſt. *Gorzienſ.* et *Maximini*. *Turcorum* (Hungar.) prima expedit. fere vsque ad Cpolin. redemti per imperat. captiui. *Abdallae* Mahadi ſucc. fil. *Biannilla*, califa afric. fecundus. *Aedicula ad viam* in campo Liire conſtructa, pro deuotione *praetereuntium*. annal. corbej.

935. Hegiræ 324. die 30 Nou. *Manaſſes* aep. arelat. ab Hugone reditibus Mantuae, trident. et Veronae auctus, *Marchio* tridenti efficitur. *Elfeg*, Dunſtani propinquus, fit epiſc. winton. De ſtatu monaſteriorum in anglia, leg. vita *Dunſtani*, ab *Osberno* ſcripta; (antea monachi *more comitum* potius, quam monachorum vixerant; aut monaſteria facta *ſtabula* clericorum.) De *Dunſtani* primordiis, annales *Mabillon.*

Mor-

A. Chriſti 936. Hegiræ 325. die 19 Nou. Mortuo menſe ianuar. Iohanne, *Leo* 7 ſuffectus; qui *Odonem* cluniac. in Ital. vocat. Moritur rex *Henricus*, ſepultus Quedlinburgi; de eo multa in vita *Mathildis* coniugis. ſucc. a patre viuo *Erfordiæ* deſignatus, *Otto*, filius; coronationem ab aep. mogunt. *Hildeberto* peractam deſcribit *Widechind* lib. 2; et annal. Saxo p. 258. Rudolfo in Gallia mortuo, ſucc. *Ludouicus* transmarinus, Caroli ſimp. fil. *Pontius Raimundus*, primus, comes toloſan. fundat monaſterium *Thomerienſe* S Pontii. Catellus lib. 1. Abbas *farfenſis* monaſterii a 2 monachis veneno necatus, hi a rege Hugone magno aere abbatiam emunt et diuidunt.

937. Hegiræ 326 die 8 Nou. Hungari Alſat. Lotharing. et Italiam vaſtant. *Rudolfus* burgund. 2 moritur; ſucceſſit fil. *Conradus*. *Arnulfus* dux baioar. moritur; Otto *Bertulfum* eius fratrem ſuccedere iuſſit, *Eberhardo* et aliis filiis electis. Epiſtola Leonis 7 ad *Gerhardum* laureac qua ius metropolit. a Salisburg. ad hunc transfert. Rex *Athelſtan* vincit *Anlafum*, regem paganum aliquot inſularum. *Otto* fundat magdeburgi monaſter. S. *Petri*.

938. Hegiræ 327. die 28 Oct. *Odonis* cluniac. alterum romanum iter. S. *Wenceslai* et *Ludmillae* martyrium in hunc annum a quibusdam confertur; citius aliquanto Pagi putat contigiſſe. vid. ad a. 929. *Otto* rex in Baioariam mouet. *Adelhaid*, burgund. nubit *Lothario*, Hugonis filio; vidua vero Rudolfi *Bertha*, Hugoni; ſed is concubinas alias praetulit, Luitprand. *Hildeberto* aep. mogunt. ſuccedit *Fridericus*, monachus Fuldenſis et idem. *Otto* rex *Guntharium* monachum, quia primus illo die ad S. Emmeremum ei occurrerat, facit epiſcopum *Ratisbon.*

939. Hegiræ 328. die 18 Oct. Otto in Lotharingiam contra rebelles ducit; ei et *Henricus* frater ſe dedit. Floret S. *Gerhardus*, abbas *Bronienſis*; eius vita ap- Mabillon. ſec 5. *Leoni* papae ſuccedit *Stephanus* 8 cuius diplomati in gratiam *Gerardi*, etiam *abſentes* eppi ſubſcribunt; (de hoc more *Mabilon.* lib. 2 de re diplom. c. 20 n. 4 ſeq.) Epiſcopus argentin. *Ruthardus* *Corbeiam* in carcerem miſſus; annal. corbei.

A. Christi 940. Hegiræ 329. die 6 Oct. *Athelstano* succeſſit frater *Edmund*, qui S. *Dunſtanum* inter palatii conſiliarios accepit. (vita *Dunſtani* Osberno, quem alii Osbertum ſcribebant, tributa, a *Wartono Eadmero* adſcribitur;) Mabillon. in annalibus recenſet *viſionem* puellae *Fiotildis*, qua reprehenſi *presbyteri*, qui cum feminis habitarent; et literas quoque ignorarent, quas legerent. *Berengarius*, Eporeg. Marchio ex Italia ad *Ottonem* fugit; Luitpr. V, 4. Mortuo Arradi Billah, qui Califae babyl. omen adhuc prae ſe tulit, ſuccedit frater *Moctafis Billa*, ſolo nomine vſus. Moritur *Eutychius*, patr. alexandr.

941. Hegiræ 330. die 25 Sept. Ruſſorum claſſis a Theophane Patricio ſuperata. *Inger*, *Igor*, regem Ruſſorum interfuiſſe narrat *Luitpr.* quo paulo poſt mortuo *Olga* Cpoli baptizata, et *Helena* dicta, (anno demum 955; Aſſemani tom. 4 calend. p. 17 ſeq. idem p. 21 ſic emendat cont. Reginonis ad a. 959: - baptizata eſt, *nec non legati Rugiorum*, ficte &c. Sed vel ſic Helenae legati ad Ottonem venerunt, haud dubie in cauſa politica. Conſpiratio in Ottonem; *Ottonis* diploma, quo *regia auctoritate* ſancit, vt in canonicorum metenſium locum *monachos* ponat *Adalbero* ep. (ap. *Meuriſſium* lib. 3 epp. metenſ.) *Adalbero* porro *Gorzienſe* et alia monaſteria reformauit. *Edmundus* Danos in Northumbria reprimit, *Analafo* Norweienſi, expulſo; 5 vrbes in *Mercia* expugnat, et *infidelitatem renouet*. *Artaldus* in conuentu *ſueſſion.* ſede priuatur, *Hugo* conſecratur.

942. Hegiræ 331. die 15 Sept. *Odo* cluniac. Turonis moritur; vid. plurib. Mabillon. in annal. Floret *Guibertus*, fundator monaſter. *Gemblac.* cuius vitam ſcripſit *Sigebertus* gemblac. (add. emendationes *Lambecii* tomo 2 biblioth. vindob. p. 898.) *Odo* e ſede Schirburn. poſt *Wulfhelmum* ſit acp. cantuar. *Stephano* 8 ſucceſſit *Marinus* 2. Hugo rex Ital. cum Saracenis pacem init. Dedicatur baſilica *S. Maximini* treuir. Diabolus in forma leporis apparet abbati; annal. corbei.

943. Hegiræ 332. die 4 Sept. *Wilhelmus*, Rollonis fil. Normanniae dux ſecundus, iuſſu *Arnulfi*, comitis Flandriae, occiſus; in eius theſauro cuculla monachilis inuenta. Hun-

gari

A. Christi

gari in graecas ditiones inuadunt. *Frideric.* aep. mogunt. *euchariſtia* ſumta ſe purgat apud *Ottonem.*

944. Hegiræ 333. die 24 Aug. Filiam Hugonis Bertham ducit *Romanus* iunior ſeu Conſtantini porphyr. fil. *Imago* edeſſena ex Edeſſa Cpolin allata; (*Combefiſii* narratio e pluribus hiſtoriis collecta, in origin. Cpolitan. manipulo.) Eam *Baronius* Romae, *Bzouius* Genuae eſſe narrant. Legati *Graeci* ap. Ottonem. Formulae: *appropinquante mundi termino*, ab hoc anno, multae habentur tomo 2. Hiſtoire de Languedoc, pag. 86. 116. inter documenta; antea p. 59, *mundi ſenio ſeſe impellente*; vid. antea ſeculo 9 p. 288 de *Thiota*, quae iam tum finem mundi portendebat. *Fulcherius* praepoſ. flauiniac. Hieroſolymam abit. Translatio corporum *Wandregiſili*, *Ansberti* et Vulframmi, ex vrbe Bonnonienſi ad monaſterium blandinienſe. (Hiſtoria lepida, ſeculo 5 Mabillon.)

945. Hegiræ 334. die 13 Aug. *Hugo* rex Ital. a proceribus, qui Berengario iam adhaerebant, deſertus, in Prouinciam redit; iterum in Italia poſtea receptus, paulo poſt fit monachus (licet minus certa ſit narratio.) *Berengarii* maior fuit auctoritas, licet Hugo et Lothar. titulo regis vterentur, Luitpr. Sub hoc tempus moritur *S. Lucas*, iunior, Thaumaturgus; acta SS. d. 7 Februar. *Edmundus* Cumbriae prouinciam expugnat et eam *Malcolmo*, Scotorum regi commendat. Moritur Africae Califa Caiim Biamrilla; ſucceſſit *Almanſor Billa.*

946. Hegiræ 335. die 2 Aug. *Agapetus* 2 papa ſucc. Marino. *Otto* rex confirmat fundationem Gemblac. addit ius mercati et monetae; ſecundam confirmat. dedit filius *Ottoi*, 983. eam *Lambeeius* primus edidit. *Edmundus* a ſicario occiſus; ſucc. *Edred* frater. *Luitprandus* lib. 6 c. 1 narrat, ſe a *Berengario* Cpolin miſſum fuiſſe. *Muratorius* ponit in an. 948. 49. Filii *Mathildis*, Otto et Heinricus, indignantur, per eius donationes cenſus regales conſumi; ſacro velamine eam ſe conſecrare compellunt; Idem rex, precibus Brunonis, dat *corbeiae* telonium, mercatum et monetam; et bannum ſuper

A. Christi

per 2 villas. annal. corbei. *Editha* intercedente *Mathildis* reuocatur in regnum; (Vita *Mathildis* et ex ea annal. Saxo.)

947. Hegiræ 336. die 23 Iul. *Elfeg*, ep. winton. moritur; etiam *Editha*, Ottonis coniux. et *Bertolfus*, dux Baioariae, cui frater Ottonis, *Heinricus* succedit.

948. Hegiræ 337. die 11. Iul. Concil. *Ingelheimii*; restitutus *Artaldus*, aep. rem. *Romanus* iun. a patre in societatem imperii adscitus. *Maiolus* fit Aymari adiutor in abbat. cluniac. *Turketulus*, Edfredi cancellarius, fit monachus, incerto anno. *Dania* cismarina, (*Iutia*) in 3 Episcopatus diuisa, sub aep. Hamburg. Adaldago; *Adam* Brem. postea et episcopatus *Aldenburgensis*, Mecclenburgeusis, Raceburgensis Hamburgensi additi. *Luitolfus*, fil. Ottonis, Herimanni Sueuiae ducis filiam *Idam* ducit.

949. Hegiræ 338. die 30 Iun. Hungari in *Italiam*, inde in Aquitaniam irrumpunt. schisma ob *Manassen*, de aepatu mediolan. *Otto* in *Einsidlense* munificus. *Odo* comes, permissu, regis, quicquid tenuit praefecturarum, inter filios *quasi haereditatem* diuisit. *Brandenburgi* ep: copium a rege per testamentum confirmatur; *Thietmar*, primus epus.

950. Hegiræ 339. die 20 Iun. Moritur *Lotharius*, rex Ital. *Berengarius* rerum potitus; *Adelhaidem*, iltius viduam, (seu Papiam potius vibem) filio suo Adelberto frustra exposcit. (*Odilo* cluniac. scripsit vitam S. *Adelheidae*.) Terrae motus magni, per Gall. et Germaniam. *Ramiro*, regi *Legion.* succedit *Ordoinus* 3. *Otto* in Bohemiam feliciter ducit contra *Bolislauum*; qui iam fidelis Ottoni manfit, post bellum 14 annorum. *Gero*, ex sacerdote, primus abbas *Derthonensis*, qui scripsit de *corpore et sang domini*, e Paschasio fere epitomen. *Domus mercatoria* constructa corbeiae, pro commoditate mercatorum in festo S. *Viti* venientium. annal. corbei.

951. Hegiræ 340. die 9 Iun. *Otto* e canusina arce, in qua per *Azzonem* seruabatur, *Adelhaidem* coniugem ducit, *Pauiae*; *Luitolfus*, qui patrem inconsultum anteceſſit, eum offendit; hinc rebellionis seminarium. *Adeldagi* hamb. bremens. aep. epistola ad *Frodoardum* rhem.

A.Christi

rhem. qua hortatur, vt desinat episcopatum nouiom. appetere; apud *Mabillon.* in annal.

952. Hegiræ 341. di. 25 Mai

Berengarius in Ottonis potestatem concedit; frustra *Otto* pro susceptione sui Romam mittit; igitur secedit ex Italia. Ottonis donatio ad monasterium *Helmstadii*; annal. paderbornens. Victoria a *Danis* reportata ap. Sliaswig; *Haraldus* spondet christianitatem. Concil. *Augustanum* iussu Ottonis; hic Berengario vasallo Italia commendata. S. *Basilius*, iunior, anachoreta Cpoli, moritur; acta SS. d. 26 Martii. *Vnwan* fit *lector theologiae* in monaster. *Pantaleonis* Coloniae; annal. corbei

953. Hegiræ 342. die 18 Maii.

Ciuile bellum, in familia *Ottonis*, per 2 annos, pax anno sequenti. *Bruno* Ottonis frater, fit aep. colon. eique rex Lothariense *regnum* committit. (Vita eius a *Rotgero* scripta, multa narrat, de eius studiis in linguam *graecam*, *latinam*, *philosophiam*, *historiam*, collatis; *Ratherius* fuit eius praeceptor; vnde seculi huius conditio illustratur.) Berengar. et fil. *Adalbertus Rauennam* inuadunt; itaque tandem papa *Ottonem* inuitat. *Ratherius* per Brunonem aep. fit leodiens. ep. sed is anno 956 per *Baldricum* expulsus fuit.

954. Hegiræ 343. die 7. Maii.

Luitulfus, fil. *Conradi* gener, Ottonis, *Heroldus* aep. Salzb. et alii maleuoli Hungaros arcessiuerunt; (vid. *Fulcuini* abb. laub. librum de miraculis S. *Vrsmari*, d. 18 April. in actis SS.) *Friderico* aep. mogunt. succedit fil. Ottonis, *Wilhelmus*; (eius chronicon citauit *Trithemius* in Hirsaug. chron.) *Alberico* Romae mortuo, vrbis dominium ad fil. *Octauianum* transfertur. *Ludouicus*, transmarinus, moritur; succedit fil. Lotharius, (ex sorore Ottonis, Gerberga, natus.) Bulla *Agapeti* pro monasterio S. Martini de Lenis, sed sic, vt *pensus* nomine *actionariis* sanctae ecc. es. romanae X argenti solidi - soluantur; Tomo 2 hist. de Languedoc, pag. 95 inter documenta.

955. Hegiræ 344. die 27 Apr.

Agapetus *Brunoni* aep colon. pallium mittit. *Ottonis* victoria de Hunis, die Laurentii; vid. *Widechind* lib. 3. inde *Hungari* non parum fracti videntur admisisse christianos missionarios. Henrico, Baioar. duci, sufficit *Otto* eius filium *Henricum*.

A. Chriſti 955. In ſynodo *Landauenſi* (ſimilis cauſſa ſynodi landau. 943) homines 6, qui diaconum in eccleſia occiderant, pro poenitentia, omnem ſuam ſubſtantiam eccleſiae maculatae tradere iuſſi; *Spelmanni* et *Wilkinſii* concil. Angliae.)

956. Hegirae 345. die 15 Apr. Mortuo *Theophylacto* patriarcha Cpolitano ſucc. *Polyeuctus*, menſe April. ab epo *Caeſareae*, non Heracleae, conſecratus. Manus S. *Iohan.* baptiſtae, a *Iobo* quodam diacono, Antiochia clam ablata Cpolin; hiſtoriam inuentionis *Metaphraſtes* ſcripſit, d. 29 Auguſti. *Dunſtanus* abbas glaſton. a rege *Edwino* proſcriptus, a Flandriae comite *Arnulfo* ſuſcipitur; rex et alios *monachos* eiecit et clericos eorum loco poſuit. *Iohannes* XII, (*Octauianus* ille, poſt patrem dominus Romae,) fit papa. *Hugo magnus*, (*albus*,) moritur; relictis ex *Hadwige*, Ottonis filia, filiis, *Ottone* burgund duce; *Hugone*, capeto, (qui fuit *abbacomes* maritus; quaſi haereditario iure in *S.* Dionyſ. et *S.* German.) et *Henrico*, qui poſt fratrem dux Burgund. *Haereditarii* iam duces et comites fuerunt. Peſtis in Germania et Gallia. *Otto* mutat *S.* Maximino decimas ſalicas in *dominicales*. vid. Hontheim; Controuerſiae cum *miniſterialibus* corbeiae; annales.

957. Hegirae 346. die 4 Apr. *Eduio* reiecto ſucc. *Edgar* in regno Mercior. et Northumbr. qui reuocat *Dunſtanum*, qui iam fit ep. *Wigorn.* Legatio *Ioh.* abbatis Gorzienſis ad Califam Hiſp. iuſſu Ottonis; (vita Ioh. Gorzienſis n. 115 ſeq. per Ioh. abb. metenſem.) Moritur *Luitolfus*, Ottonis fil. ex Edithe, in Italia, quam fere totam occuparat. ſucc. *Burchardus* in Alemanniae ducatu. *Otto* rex in *Slauos* ducit; *Geilonem* monaſterio *wiſſenburg.* praeficit; ſucc. ei poſt 3 annos *Gerricus*, qui interfuit viſitationi *S.* Galli.

958. Hegirae 347. die 25 Mart. *Odo* aep. cantuar. moritur; ſucceſſit *Elffin* ſimoniacus; et hoc in romano itinere mortuo, *Birchtelm* atque huic demum *Dunſtan.* Cruces in veſtibus hominum apparent caelitus impreſſae.

959. Hegirae 348. die 14 Mart. Mittit *Otto* Adalbertum ad *Rugios*, (ad Reginam *Ruſſorum*, annal. corbei.) qui epiſcopum rogauerant; alii ad *Ruſſos* referunt, et *Helenam* reginam; vid.

A. Christi 959. vid. *Pagi*, et Assemani. Moritur *Gerardus*, bronienſis in Belgio abbas; moritur rex *Edui*, ſolus regnat frater *Edgar*. *Dunſtanus* fit ep. Londin. et vinton. ſimul; poſt 2 annos aep. cantuar. *Burchardus*, Vdalr. comitis ex Henrici aucupis filia filius, fit abbas S. *Galli*. Moritur *Conſtantin. porphyrogennita*. *Romanus* iun. ſucceſſit patri.

960. Hegiræ 349. die 2 Mart. Ioh. papae legati *Ottonem* inuitant aduerſus Berengarium. Papa *Dunſtano* mittit pallium. Volcmar (de Arnſten) e corbeia transfertur ad ſedem paderbrunenſ. *Slaui* ab Ottone tandem imperio ſubiecti; in 18 pagos *Slauonia* diuiſa e quibus 3 tantum paganiſmum retinebant; eccleſiae aedificatae. *Atto*, vercell. ep. adhuc viuit. *Oswaldus*, fit ep. Wigornienſis; poſt *Libutium* mortuum Adalbertus ad *Rugios* (alii *Ruſſos* volebant) miſſus, epiſcopus ordinatus.

961. Hegiræ 350. die 20 Febr. *Otto* pater, in Italiam profecturus, filium ſeptennem creat regem *germaniae*, in comit. *Wormatiae*, ſub Wilh. aep. et Brunone educandum. *Creta* expugnata a *Nicephoro* Phoca, qui Cpoli triumphat. *Nicon*, Armenus, inſulanos reducit ad chriſtianiſmum *Athacam* ſuccedit patri Califae hiſpan. *Odo* aep. cantuar. moritur.

962. Hegiræ 351. die 9 Febr. Otto coronatus *Romae* imperator; diploma eius, quo eccleſiae bona reſtituit, contra Goldaſtum defendit *Pagi*, ſed parum bonis auſpiciis; cautum in eo, vt papa coram legatis imperatoris ordinetur. Moritur *Guibertus*, fundator gemblac. *Duellum* ob eccleſiam; quia neutra pars vicit eccleſia neutri data, annal. mabill. *Bruno*, e Corbeia, fit ep. verdenſis. *Otto* abbatem S. Maximini conſtituit capellanum imperatricis, corroborans ea, quae a *Conſtantino* &c. ad peculiaritatem pertinere videntur; *Hontheim*.

963. Hegiræ 352. die 30. Ian. Papa fidem imperatori promiſſam abiicit; in *ſynodo romana* ſede deiicitur, *Leone* 8 in eius locum poſito. *Romanus* iun. moritur; ſucc. filii *Baſilius* et *Conſtantinus*, *Nicephoro* Phoca tamen duce exercitus creato; is *imperator* a patriarcha coronatur. *Epiphanii* tic. ep. reliquiae furto ablatae per *Tanguardum* Hildeshemium, epo *Ottwino*.

Hoc

A. Christi 963, Hoc anno scribit *Sigehardus* monachus S. Maximini, librum de miraculis *S.* Maximini, editum d. 28 Maii in actis *SS.* Grandis imago crucifixi sudauit per aliquot dies. annal. corbei.

964. Hegiræ 353. die 18 Ian. Berengariani Iohannem 12 Romam immittunt; *Leo* 8 vix fuga euasit; mortuo Iohanne *Romani* eligunt Benedictum 5; imperator Roma expugnata *Leonem* restituit. Diplomata varia prae se ferunt *Salomone* papa, quia ignorabant, quem papam sequerentur; lis de *constitutione* Leonis 8, qua *Ottoni* et successoribus tribuit ius elig. papam, et inuestiturae; eam *Baronius* et *Pagi* reiiciunt; de *Marca* et alii defendunt; insunt quaedam ex decreto falso *Hadriani* 1, quod circa finem seculi volunt confictum esse; *Goldastus* praeter illud et aliud exhibet, quo donata rom. eccles. confirmentur a *Leone* 8; falsum est haud dubie. In die *S. Viti* tonitru percussit tectum, stringens marginem libri in eius manu. annales corbei. *Eadgar* rex poenitentiam a Dunstano subire iussus, quod puellam *umbratrice* sanctimonialem tamen sibi sociasset. Hoc anno *Mabillon.* in annalibus *Gerberti*, abb. bobiensis, historiam illustrat; ille *Ottonis* iun. iam magister.

965. Hegiræ 354. die 23 Dec. Mortuo *Leoni* succ. Ioh. 13 ep. narniensis, roma paulo post a *praefecto urbis* pulsus *Capuae* commoratur ap. Pandulfum. *Miecislaus*, dux polon. christianismum in Polon. promouet. Obit aep. colon. *Bruno*, sanctis additus; fuit simul dux Lotharing. ei successit *Folcmarus.* Metensi *Adalberoni* suffectus consobrinus imper. *Thiedericus. Nicephorus* imper. *Tarsum* capit. minus feliciter successit expeditio in *Siciliam* per *Manuelem* patric. *Meginrad*, magister scholar. Hirsaug. moritur.

966. Hegiræ 355. die 17 Dec. *Otto* quartum Romam proficiscitur *Frodoardus* moritur. *Dunstanus* regulam colligit pro monasteriis in Anglia. Initia monasterii ad clusam, seu clusini hic describit *Mabill.* in annal. quod sub *Innocent.* 3 habuit vltra 140 ecclesias. *Otto* imp. confirmat *S. Maximino* villam, quam Dagobertus pro animae absolutione, et vt singulis calendis monachi inde pascerentur, vini haustu, obtulit; *Martene* coll. ampliss. et *Hontheim. Otto-*

nis

A. Chriſti

nis filia vnica, *Mathildis*, fit abbatiſſa Quedlinburgenſi.

967. Hegiræ 356. die 6. Dec. Otto concil. *Romae*, (vbi eccleſiae *gradenſi* confirmatus honor patriarch. et metropolit. ſuper omnem ditionem venetam;) idem et aliud *Rauennae* habet; in quo de aepiſcopatu *magdeburgico*; (quae cauſſa in *altero* concilio, 968 continuata;) *Heroldus* aep. Salzb. excommunicatur; ſuffectus *Fridericus*. *Otto* fil. coronatus imperator a papa. *Sancio*, craſſo, regi Legion. ſucc. fil. *Ramirus* 3, puer. In Bohemia *Boleslao* ſaeuo ſuccedit frater *Boleslaus*, pius; inſtitutio epiſcopatus pragenſis. Hic deſinit carmen *Roswithae* gandershem.

968. Hegiræ 357. die 25 Nou. Synodus altera *Rauennae* poſt eam Otto nouum magd. aep. papae commendat, qui eum pallio ornat; hoc anno *Adelbertus* inthronizatus (XXX annis ante iam fuit aep. *brandeburg*. Ditmar.) Nicephorus imp. *tegulam*, Chriſti imagine notatam, ex vrbe *Edeſſa* Cpolin transfert. *Sphendoſthlabus* a Graecis in Bulgaros excitatus. *Luitprandus* ep. cremonenſ. ab *Ottone* ad Nicephorum imp. miſſus, pro matrimonio inter filium et *Theophaniam*, rom. iun. filiam. Moritur *Mathildis*, Ottonis mater, ſanctis addita, et *Wilhelmus* aep. mog. cui ſucc. *Hatto* e fuld. monaſter. Viſitatio S. Galli, ap. *Mabill.*

969. Hegiræ 358. die 14 Nou. Legati graeci a Bulgaris filias expetunt et impetrant pro liberis Romani iun. Omnis fere *Calabria* per Ottonem vaſtata, ob inſignem graecorum perfidiam (Wittech. lib. 3.) *Nicephorus* occiſus; Ioh. *Zimiſces* ſeu paruus, fit imperator, a *Polyeucto* coronatus. (Attendamus ad miram orthodoxiam!) Is in nuptias cum Ottone 2 conſenſit; miſſus Cpolin. aep. colon. ep. metenſis &c. *Synodus romana*, praeſ. *Ottonibus*; *Beneuentum* fit ſedes aepiſcopalis. *Muaz Ledinilla*, califa Africae Aegyptum ſibi ſubiicit; *Cairo* aedificata. Concil. in *Anglia* iuſſu *Eadgari* regis; *monachi* inſtaurati loco clericorum; contra clericos incontinentes; (*coniugatos* rectiſſime intellexit *Spelmannus*.) Ioh. 13 confirmat *primatum* Treuirenſem, cum aep. Theodoricus Romam veniſſet. Fraternitas monaſt. *corbeiae* inſtaurata; inſcripti

A. Chriſti

ſcripti prope et procul aeppi, eppi, praelati, comites, milites, *cum magno commodo monaſterii*; annal. corbei. Hoc anno *Aynardus* aliquis *gloſſarium* collectum offert ad ſepulcrum S. Apri. Habetur in biblioth mettenſi S. Arnulfi.

970. Hegiræ 359. die 3 Nou. *Theodorus*, poſt captam Antiochiam a *Polyeucto* in ſynodo conſecratus patriarcha antiochenus; cilicium ille ſuper ferrum geſtauit; paucis diebus poſt mortuus *Polyeuctus*; eius in locum imperator *Baſilium* monachum ſuffici iuſſit. *Ruſſi* a Barda Sclero victi. *Siſenandus* compoſtell. ep. carcerem perrumpit et *Rudeſindum* ipſius in locum ſuffectum ſtricto gladio eiicere audet; a *Normannis*, qui hoc anno Gallaeciam inuadunt, occiſus. *Garſiae* 2 regi Nauarrae ſucc. *Sanctius* 2 Abarca. *Giſiler* conſecratur merſeburg. epus. Abbas *corbei.* deuotionis cauſſa *Coloniam* et Romam profectus.

971. Hegiræ 360. die 24 Oct. Synodus *Londinenſis*, in qua rex monaſteriis priuilegia confirmat, reſeruata ſibi et haeredibus poteſtate, *baculum conferendi*; regis rogatu papa id confirmat. *Oswaldus*, fit aep. Eborac. *Abbo*, floriac. abbas, floret. Foedus inter imper. orientis et occidentis. *Baronius* male hoc demum anno recenſet, *Ottonem* condidiſſe *Magdeburgum* et monaſterium; quod iam a. 937, *Edithae* inſtinctu, factum. Hoc demum anno concil. *compoſtellanum* habitum fuiſſe, in quo *Caeſarius*, abbas, factus aep. tarraconenſis, demonſtrat Pagi ad a. 900 num. 8 ſeqq. *Vdalricus* Romam viſitat.

972. Hegiræ 361. die 12 Oct. Iohanni ſuccedit *Benedictus 6.* *Theophania* Romam e Graecia venit; d. 14 April. *Ottoni* iungitur. Synodus in *Ingelheim*, ob *Adalberonem*, Vdalrici ſororis filium, qui iſto viuo baculo et ipſe vtebatur, quia Otto M. ei hanc ſedem promiſerat. *Saraceni* e *Fraxineto* eiecti per Wilhelmum com. Prouinciae; (vita S. *Maioli* duplex.) *Wolfgangus* ſuenus, qui inter Hungaros praedicauerat, fit epiſc. *Ratisbonenſis*.

973. Hegiræ 362. die 2 Oct. *Otto* priuilegia *corbei.* confirmat; et papa nominat eam filiam apoſt. ſedis, *ipſi ſoli ſubiectam*. annal. corbei. Moritur *Wilhelmus*, aep. moguntinus; item *Otto* M. quem falſo ſcripſit *Damiani* ex-

com-

A. Chriſti

communicatum fuiſſe ab iſto filio, ob *Adelheidam.* Otto 2 locum *Mimilebe* comparat et liberam facit abbatiam; *Ditmar*, lib. 3. *Vdalric.* auguſt. ep. obit. *Notker*, notkeri medici ex ſorore nepos fit abb. S. Galli. Moritur *Ioh.* abbas *Gorzienſis.* (eius vita d. 27 Februar. in actis SS.) *Tzimiſces* de Ruſſis in Bulgaria bulgarisque victis triumphat.

974. Hegiræ 363. die 21 Sept. Benedicto ſtrangulato, *Bonifacius* 7, qui iam'ei viuo ſuffectus fuit; huic autem poſt menſem, *Donus* 2 ſuccedit; Romani audent in libertatem ſe, contra Ottonem, emergere. *Otto* donat aep. treuir. perpetuam percuſſuram monetae et teloneum in oppido Iuodio et Longione; *Hontheim. Romualdi* conuerſio a quibusdam hic deſignatur; annal. mabillon. Moritur *Ratherius. Tzimiſces Saracenos* vincit. Patriarcha Cpolit. *Baſilius*, quaſi in Tzimiſcem parum fidelis, deiicitur; *Antonio*, ſtudita, ſuffecto.

975. Hegiræ 364. die 10 Sept. Mortuo *Dono* Benedictus 7 ſuffectus; hic in ſynodo antipapam *Bonifacium* (Malefacium alii nominant,) excommunicat. Ad hunc annum vixit *Metaphraſtes. Tzimiſces* veneno moritur, poſtquam *deiparam* ſibi patronam in iudicio vltimo exorauit, praeſente epo adrianopol. Hic *Leonis* diaconi hiſtoria finit; quam *Mich. Pſellus*, ſec. ſequenti, vsque ad Conſtant. Ducam continuauit. Moritur *Edgar* rex, quem eximie laudant hiſtorici; ſucceſſit filius Eadward. Primo Califae Africae ſucc. fil. *Azizbilla:* In hoc tempus *Pagi Suidam* ponit, ob computum in vocab. *Adam.* Papa confirmat aep. treuir. ius legationis pontific. et equitandi cum *nacco et cruce.* Moritur *Turketulus* abbas Croylandiae.

976. Hegiræ 365. die 30 Aug. *Bardas*, Sclerus, aduerſus Baſil. et Conſtantinum *Rom.* iun. filios, rebellat, per annos 4 in Aſia graſſatus; etiam *Phocas* Bardas rebellis. *Petrus Candidianus*, dux venet. ob faſtum occiſus, incenſo palatio, templo S. Marci &c. *Petrus Vrſeolus* ſucceſſit.

977. Hegiræ 366. die 19 Aug. Initia *Romualdi*, qui poſtea fundauit ordin. *camaldul.* (eius duplex vita ap. Bollandum d. 7 Febr.) Moritur *Rudeſindus*, ep. dumienſis; (vita ap. Bol-

A. Christi 977. Bollandist. d. 1 Martii) Confirmat *Otto* metropolin. *laureacensem*, vt papa volebat. *Milo*, ep mindensis, mittit passionem S Gorgonii Gorziensibus, cum epistola, in Mabill. annal.

978. Hegiræ 367. die 8 Aug. Raginarius et Lambertus, filii comitis, cuius bona Bruno aep. col. publicauerat, in terras suas restituti sunt; ducatus Lotharingiae. Carolo a fratre rege Lothario, datus; Carolus cum Ottone foedus iniit, itaque Lotharius Lotharingiam inuadit; paulo post cum Ottone pacem facit. Franci alienati a *Carolo* duce, *Hugonem* regem faciunt. Dissidia inter Ottonem et matrem, quasi dilapidatricem; ea ad *Conradum*, fratrem, regem Burgund. secedit. Principum et nobilium filii certatim *corbeiam* in scholam missi. annal. corbei. *Guarinus* abbas persuadet duci veneto in Galliam in S. Michael. monasterium secedere. *Eduardus* rex iussu Nouercae necatus; frater *Ethelred* successit; miser Angliae status vsque ad a. 1042. *Dani* paulo post Angliam inuadunt, (Suenone duce, post patris *Haraldi*, quem ob christianismum eiecerat, mortem; *Helmoldus* chronicon Slauor. lib. 1 c. 15.

979. Hegiræ 368. die 29. Iul. Magni motus in Anglia, quia loco monachorum malunt alii seculares presbyteros reduci. Patriarcha Cpol. *Antonius* abit a dignitate; post quadriennium demum alius fit. Hic Mabill. in annal. pag. 656 de ritu *sepulturae dominicae* annuae narrat. Monasterium in *Aisleben* aedific. a coniuge et sorore *Geronis*, comitis.

980. Hegiræ 369. die 18 Iul. *Otto* Romam proficiscitur, pace cum *Lothario*, qui cedebat, firmata; Papiae cum matre *Adelhaida* reconciliatur. Parum felix expeditio *Basilii* aduersus Samuelem bulgar. Floret *Helpericus*, monachus grandiual. in Alsatia, qui scribit de computo. *Aimoinus* fit monachus Floriac.

981. Hegiræ 370. die 5 Iul. Otto ditiones Italiae graeci iuris ad imperium suum addere conatur. Sigebert. *Adalbertus* magdeb. primus aep. mortuus; vt probat *Pagi* cont a *Adamum* brem. succ. *Gisilerus*, de cuius artibus plura

A. Christi

plura *Ditmar.* et ex eo annal. Saxo. *Concil. Romano* hoc anno interfuit cum Ottone.

982. Hegiræ 372. die 26 Iun. *Dani* porro Angliam vexant. Ottonis praelium infelix cum Graecis in Calabria; hi etiam *Saracenos* conduxerant. (Iam antea christiani solebant his adiutoribus contra christianos vti.) *Ioh.* graecus nequam archimandrita abbatiam *Nonantulan.* ab Ottone impetrat; Muratori h. a. histor. Ital.

983. Hegiræ 373. die 15 Iun. *Adalbertus*, post Dithmarum, fit epus pragensis; *confirmat* electionem Otto Veronae; post annos 7 reliquit sedem; inter causas: *propter coniugia clericorum.* Mortuus *Otto* mense decembri; succ. *Otto 3*, filius; *Gerberti* epistola ad aep. treuir. de mittendis in Italiam scholasticis.

984. Hegiræ 374. die 4 Iun. Moritur *Benedict.* 7. successit Ottonis 2 archicancellar. ep. papiensis, nomine Ioh. 14 vsus. Diffidia de successore Ottonis; quidam ducem Henricum malebant, quam puerum *Ottonem*; *Heinricus* Quedlinburgi rex a suis salutatur; paulo post conditionibus concessit, *Ottonem* reddidit matri. Moritur S. *Edith*, filia Eadgari regis, monialis wiltonienſ. (vita d. 16 Septemb.) *Theoderico* metensi epo suffectus *Adalbero*, filius *Friderici*, duc. Galliae medianae, seu *mosellani.*

985. Hegiræ 375. die 24 Maii. Iohanni 14 in carcerem coniecto iste Malifacius, e Cpoli, quo fugerat, reuersus, sufficitur; sed non sex menses expleuit; excepit eum *Iohannes*, fil. *Roberti*, et hunc *Ioh.* 15, mense Decembri. *Barcinonem* vrbem Saraceni eripiunt comiti Borrello. *Corbeia* acquirit *formam oppidi*, et sic quoque dicitur. ann. corbei.

986. Hegiræ 376. die 13 Maii. *Lotharius* rex moriturus filium Ludouicum commendat *Hugoni* capeto; filius *Emmam* matrem (*Adelhaidis* filiam) male habet, quia adulterii cum episcopo *Laudunensi*, rea habebatur. Angli *Danis* censum soluunt. *Calabria* a Saracenis vastata. *Satan* sub specie *nocturnae* terret et vexat fratres corbeienses. *Ottoni* contra Slauos ducenti adest *Miseco*, dux Polon. Ditmar. annal. Saxo. Epistolae quaedam *Gerberti* ad aep. treuirensem.

A. Chriſti 987. Hegiræ 377. die 3 Maii. *Ludouic.* 5 rex Franciae mortuus; *Hugo* capetus iam rex agnitus; hic a *Childebrando*, Caroli Martelli fratre, duxit originem. (*Blondelli* plenior aſſertio genealog. franc.(Contra *Bardam*. Phocam *Baſilius Ruſſorum* auxiliis vſus; anno ſequenti inde *Ruſſi* chriſtianiſmum publice amplexi; *Wolodimir* duxerat *Annam* imperatorum ſororem; hic Czar die 15 Iul. eiusque filii *Boryſſus* et *Gleba*, (Romanus et Dauid alio nomine) a Ruſſis, d. 24 ſanctis adſcripti; (Aſſemani calendaria vniuerſae eccleſ. tom. 4 p. 65 ſq.) Saxones iterum in *Slauiam*; caſtella ad Albim inſtaurata; huc forte pertinet epiſtola *Gerberti*, in Mabill. annal. tom. 4 p. 40, qua narrat Slauorum Winidorum vrbes 46 captas et dirutas. Sub hoc tempus Wilhelmus, magnus ille monaſteriorum inſtaurator, a Maiolo cluniacum ductus dicitur Mabillonio, in annal. *Abbo Floriac.* ex Anglia reuocatur a ſuo abbate.

988. Hegiræ 378. die 21 Apr. Moritur *Adaldag*, archiep. Hamburg. ſucceſſit *Libentius*. Sub *Adaldago* nulla *Comitum* regiorum poteſtas in *Bremam* amplius locum habuit; inſtar *reliquarum vrbium*, vt Adam. brem. ſcil. epiſcopalium; (Colonia, Moguntia, Minda, epi vſi iuribus fiſci imperatorii) *Lambecii* lib. 1 origin. Hamburgenſ. et ex eo Pagi. Moritur *Dunſtan*, aep. cantuar. *Hugo* filium *Robertum* in ſociet. regni francici adſumit. Poſt Adalberonem, qui Gerbertum deſignauerat ſucceſſorem, *Arnulfus*, Lotharii regis ſpurius, fit aep. remenſis. Synodus *ſyluanectenſis*.

989. Hegiræ 379. die 10 Apr. Floret *Gebehardus*, epiſc. Conſtant. Remorum vrbem Carolus rex, ab Arnulfo immiſſus, diripi iuſſit. *Maiolus*, reformat. monaſter. foſſatenſe item S. Benigni. *Hugoni*, ep. Wurzeburg. ſucc. Bernward, ad quem *Theoderic*, floriac. monach. ſcripſit 2 libellos de conſuetud. et ſtatutis floriacenſibus, qui non exſtant. *Willelmus* comes ſ. dux Aquit. fit monachus.

Ini-

A. Chriſti

990. Hegiræ 380. die 31 Mart. Initium 5 annorum, quos *Adelbertus* prag. Romae apud SS. *Bonifacium* et *Alex.* monachus fuit. Papa per *Leonem*, vicar. *treuir.* pacem inter regem Angliae Ethelred et ducem *Norman. Richardum* procurat. Carolus Lotharing. fraude epiſcopi venit in manus *Hugonis* capeti, in carcere mortuus. *Rudiger*, in epternac. monaſterio ſcholaſticus, obiit.

991. Hegiræ 381. die 20 Mart. *Arnulfus*, in ſynodo remenſi depoſitus; ſuperſunt acta; non exſpectata papae ſententia; Arnulfo rex ſuffecit *Gerbertum*, filii praeceptorem; ad eum ſupereſt Ottonis 3 epiſtola: *Gerberto*, philoſophorum peritiſſimo atque tribus philoſophiae *partibus laureato*. Formula electionis exſtat in Mabill. annal. *Danegildum* in Anglia vsque ad a. 1051 exactum; eccleſiis exceptis (10000 libræ) *Miſeco* cum aliis in aula imperatricis Theoph. *Quedlinburgi*, cum aliis principibus. *Odilo*, cluniaci conuerſus.

992. Hegiræ 382. die 9 Mart. Moritur *Miſeco* dux Poloniae chriſtian. primus, ſucceſſit fil. *Boleſlaus* chobry. Moritur *Oswaldus* eborac. aep. (vita d. 29 Februarii ap. Bollandum.) dedicatio templi *Halberſtad.* a 12 eppis. *Gerdag*, Hildesh. ep. orationis cauſſa romam abit. Ep. halberſtad. condit coenobium virginum ſtutterlingeburg. monaſterium in *Walbike* per abbatiſſam Mathildem in honorem S. Andreae, conditum. *Fulberti* carnot. primordia. *Herbertus*, e Iudaeis ortus, Gerberti auditor, abbas latiniacenſis.

993. Hegiræ 383. die 26 Febr. *Vdalrici* auguſt. *canonizatio*; primum huius caerimoniae publicum et certum monumentum. vid. *Mabillon.* praefat. ad ſeculum 5 bened. num. 99 ſeqq. e quo *Pagius* plura de hoc more repetit. Moritur *Conradus* rex Burgund. transiur. ſucc. fil. *Rudolfus* 3. Funditur campana magna *Canta bona* dicta; annal. corbei. *Ecbertus* treuir. aep. moritur.

A. Christi 994 Hegiræ 384. die 15 Febr. Papa excommunic. episcopos, qui *Arnulfum* abiecerant; itaque apologia Romam iussu regis missa; Gerberti ep. 38 ad papam; doleo vobis potuisse *subripi* &c. (Papae *infallibilitatem* omnino ignoratam fuisse hoc tempore, exemplis docuit la *Placette* in obseruatt. eccles. p. 262 seqq.) Mortuus S. *Wolfgang*, ratisbon. episc. *Sueno*, Suein, post 14 annos exilii scotici, mortuo *Erico* rege *Daniae*, redit in Daniam; ab *Olauo*, Sueciae rege, eo adactus, vt Christianismum iam promouerit; Adam. brem. lib. 2 c. 28. Moritur S. *Maiolus* cluniac; de vitae scriptoribus, vid. mabill. annal. *Adalbertus* Pragam redire iussus.

995. Hegiræ 385. die 5 Febr. *Gerbertus* ob varium metum relinquit sedem remensem; causam suam in synodo *mosomensi*, praesente romano legato, fortiter egit. Synodus *remensis* in eadem Arnulfi caussa; is tamen demum a. 998 restitutus, rege Hugone mortuo. *Abbo* flor. agit caussam monachorum contra epos in synodo *dionysiana*. Moritur patr. Cpolit. Nicol. *Chrysoberges* hoc aut seq. anno; ei *Sisinnius* suffectus. *Adalbertus* ob morbidum gregem Romam redit; eius fratres 5 cum aliis christianis occisi, (annal. Saxo, vita S *Adalberti*;) *Ioh.* placent. et *Bernuward*, ep. wurcëburg. Cpolin missi, vxorem Ottoni petituri. *Abbo* floriac. abbas Romam proficiscitur. *Adelheid*, Ottonis soror velatur in coenobio Quedlinburg. (Huius generis multa facile e chronico *quedlinburgensi* colliguntur; quod tomo 3 Menkenii cum alio codice Msto, quam quo excusum fuerat, collatum est.

996. Hegiræ 386. die 24 Ian. Ioh. 15 moritur; Otto consobrinum, seu nepotem suum *Brunonem*, qui *Marcham* veronensem tenebat, fecit papam, nomine Gregor. 5 quem *Crescentius* paulo post vrbe eiecit; antea *Ottonem* imperatorem coronauit. *Adalbertus* Pragam redire iussus, renuit, cum imperatore ex Italia fecedens; postea ad *Polonos*, *Hungaros* praeco abiit, *Geisae* filium *Stephanum* baptizauit &c. Falso *Baronius* et alii ad hunc annum referunt in-

A. Christi 996. in synodo rom. institutionem 7 *Electorum; Pagi* copiosius refutat, Auentinus, Cuspin. Ioh. Latomus, iam negauit. Moritur *Richard* 1, dux Norman. qui multos paganos ad christiana sacra transtulisse dicitur.

997. Hegiræ 387. die 13 Ian. Adalbertus inter *Prussos* martyrio finit vitam; prope vrbem *Gedanic.* vita d. 23 April. Ad aliam prouinciam Russorum, quae Bladimiro non parebat, *Bonifacius*, Romualdi discipulus, missus dicitur; (vita S. Romualdi d 7 Febr.) *Bruno* (est idem) inter *Prussos* dicitur martyrio mortuus fuisse. chron. quedl. *Geisa* moritur. *Iohan.* placent. epus romanam sedem inuadit, absente Gregorio, Crescentio impulsore; annal. Saxo. *Thiatmar*, abbas corbei. mittit suum fratrem, comitem de *Walbeke*, Romam, qui multa ibi procurauit magnos inter Tumultus, propter rebellem *Crescentium.* Mabill. in annalibus narrat de *Fulcone*, comite andecauensium, qui asylum violauerat; clericos corpora sanctorum et crucifixum in terram posuisse, spinis appositis &c. itaque comes satisfecit. Noua ecclesia Quedlinburgi per abbatissam Mathildem constructa.

999. Hegiræ 388. die 3. Ian. Gregor. papa in *romana synodo* nuptias Roberti cum Berta, damnat; episcopi, qui consecrationi interfuerunt papae satisfacere iussi; rex *Constantiam* ducit, post annum 1000. *Abbo*, secunda profectus in vrbem romam, *Arnulfo* aep. remensi pallium affert. Iohannes antipapa ab imper. oculis priuatus, Crescentius decollatus. *Gerbertus* fit aep. *rauennensis.* Synodus romae in causa *Gisleri* aep. magdeb. *Thiddag*, monach. corbei. ob felicem praxin *medicam* in *Bolislao*, duce Boemiae ostensam, fit episcopus in Praga. annal. corbei. (ex *Ditmaro* lib. 7. alii in annum 997 ponunt.) *Aimoin*, flor. iussu Abbonis aggreditur scribere historiam Francorum. *Odilo* clun. instituit mortuorum commemorationem.

A. Christi 999. Hegiræ 390. die 12 Dec.

Gregorio succedit *Gerbertus*, nomine *Sylvester* 2. *Sisinnius* patr. Cpol. mortuus; successit *Sergius*, e monasterio manuel. e *Photii* familia. Claruit Corbeiae *Meynholtus* theol. philos. musicus. poeta, scholae magister. *Mathildis*, abbatissa Quedlinburg. accepta *indulgentia* ab epo Hildesheim. moritur.

1000. Hegiræ 391. die 1 Dec.

Nemo de anno *iubilaeo* cogitauit; Kranzius. S. *Adelheid*, imperatrix moritur. *Otto* in *Poloniam* profectus, ob deuotionem erga corpus S. Adalberti; fecit *Gnesnae* aepiscopatum, sine consensu metropolitani (et papae), cui episcopatus in *polonia* antea subiecti fuerant. (*Cholbergensis*, cracuensis, vratislauiens.) annal. Saxo. *Gaudentium*, (Radzin,) fratrem Adalberti fecit aepum. *Otto* Caroli M. sepulcrum aperit; eius solium aureum mittit duci Poloniae, pro reliquiis S. Adalberti; *Carolus* M. iam miracula facere coepit. *Emmo* aliquis ad *Wilhelm.* diuionens. abbatem, scribit libros; de qualitate caelestis patriae. Constitutio abbatis S. Andreae Viennae, contra monachos furantes; Dacheri, spicileg.

SECVLVM XI.

CAP. I.

De Romanis pontificibus.

Seculi noui, post exacta decem, luculenta, si placet, initia, Baronius a *Maria* repetiit; hanc columbam rogat, vt pullum, Baronium, desidem et cunctantem e nido pronocet ad volandum, et circumvolitet laborantem, Amen. Digna seculo XI religione vtitur; stemma Ottonum cum tertio extinctum, eadem religione plenus, vaticinatur, a. 1002. n. 6; deo vlcisente id contigisse; ob delicta, quae *Ottones* in sedem apostolicam perpetrarint, pro arbitrio amouendo atque subrogando pontifices. Tam scaeuo omine exorsus est Baronius hoc seculum; itaque mirum non est, annalium corpus essoetum et languidum vix apud similes pullos auctoritatem nactum esse. Maria Baronium ductura quidni papas in via salubri et recta duxit? Est enim paparum historia multis scandalis atque male factis ditissima hoc seculo. *Siluester* 2, primus ex ordine Benedictino, (e quo, seculo hoc, tot pontifices fuerunt, vt *Mabillonius* praefat. in sec. 6. part. 1. scripserit, videri posse, Romanam sedem haereditaria quasi possessione tum transiisse ad Benedictinos;) vita functus a. 1003 fuit; cuius epistolam, nomine Hierosolym. ecclesiae scriptam iam Baronius recitauit; quia hic papa primus sanctae militiae classicum occinuerit. Nempe ob tot itinera sacra in palaestinam susceptа, facile tandem et consilium illud maius placuit; *Glaber* certe ex *borealibus* prouinciis narrat frequentissima suscepta fuisse itinera in terram sanctam; et *Leo* ostiensis scribit, 40 *Nordmannos*, anno ante *Siluestri* mortem, reduces ex palaestina, Salernum, quam ciuitatem Saraceni obsidebant, feliciter liberasse. Itaque *Siluester* facile eam rem votis

appetiit, vt ecclesia vniuersalis, *sceptris regnorum*, si placet, *imperans*, (hac formula illa epistola vtitur,) ecclesiam *Hierosolymitanam* e potestate Muhammedanorum eriperet. Sed parum salubria fuerunt ista consilia; vt videbimus a. 1009. 1010, cum Muhammedani sacra loca vastarunt. *Diabolum* huic papae adiutorem fuisse, post *Bennonem* (de vita et gestis Hildebrandi; in *Wolfii* lectionib. memorab. tomo 1. p. 295.) non pauci alii solebant affirmare. Ioh. 17, Phasan; sub eo *merseburgensis* ecclesia renouatur et priuilegii autoritate roboratur, *Ditmarus* lib. 6. *Renouatur*, nempe, postquam metum ruentis mundi annus vnus atque alter ex animis eiecerat, passim ecclesiae et *templa renouabantur*, Glaber, lib. 3. c. 4. Ioh. 18 (aliis 19) vt Baronius narrat, a *Petro*, antioch. ep. (in epistola ad *Michael.* Cerularium,) dicitur Cpoli e diptychis recitatus fuisse tempore *Sergii*, patriarchae; atque in Epitaphio eius id exstat: Nam Graecos superans Eois partibus vnam, schismata pellendo, reddidit ecclesiam; sed recte Muratorius et Epitaphium negat ad hunc pertinere Iohannem, et rem ceteram, vt maxime verum sit de *diptychis*, non opus est nos mirari; cum *Ottones* vel matrimonium cum Graecis inire non dubitarint. Per legatum roman. nouus aep. *magdeburgic.* consecratus fuit, ex priuilegio huius ecclesiae. *Benedictus* 8, antea Ioh. ep. portuensis; in electione *Gregorio* cuidam praeualuit; *iste* igitur cum omni apparatu apostolico ad Heinricum regem ad *Palithi* fugit, expulsionem suam lamentando innotescens; ita *Ditmarus* lib. 6. fine p. 399. Itaque et in notis germanic. ad *Muratorium* dicitur, eruditos falso de Benedicto intellexisse, quod venerit supplex ad Henricum; *Gregorium* enim venisse, qui contra istum rogauerit auxilium. *Ditmari* omnia descripsit Annalista Saxo, 1012; fatentur autem M. *Polonus*, Werner Rolfink, *Cromerus*, aliique, *Benedictum* eiectum fuisse, et postea restitutum; itaque forte *Ditmarus* sic intelligendus: antipapam *Benedictum* per aliquod tempus repressisse, sed Benedictum praeualuisse tandem;

dem; veniſſe itaque Gregorium. Deſcribit autem *Ditmar* Benedictum, qui tunc *prae ceteris* anteceſſoribus ſuis maxime *dominabatur* (itaque et Petrus *Damiani* viſionem aduerſus eum confinxit.) Ceterum dignum notatu eſt, quod Henricus *crucem* Antipapae ſibi ſumſit, in cuſtodiam; a *ceteris* autem inſignibus abſtinere eum iuſſit, poſtea Romae cauſſae diſcuſſionem experturum. Sic clare *Ditmarus*. A Benedicto coronatus Henricus, a 12 ſenatoribus vallatus, ſex raſi barba, alii prolixa, myſtice incedebant cum baculis; *Baronius* eius diploma recitat, a. 1014. n. 7 ſeq. ſed *lacerum* et variis ex notis falſum, vt *Mabillon.* et *Murator.* fatentur. Perſuaſit Henricus, vt *ſymbolum* nicaenum, (lectum antea,) iam cantaretur Romae. Idem Papa *Bambergae* eccleſ. S. *Stephani* conſecrauit; et *Guidonem* aretinum bened. monach. Romam vocauit, vt nouam *cantus* rationem edoceret *Clericos*. *Iohannes* 19 (Baron. 20) *Benedicti* frater, *largitione pecuniae ex laico* factus eſt papa, vt pluribus recitat *Baronius* ex *Glabro*, lib. 4. c. 1. ex *Petro* Damiani vero narrauit, 2 viſiones. Ille igitur impudentiſſimus fabulator ſcripſit: ſi papae hoc accidit, quanto magis aliis! Iohanni enim portuenſi apparuit mortuus papa eumque rogat, vt fratri ſuo, papae, dicat: mittendum eſſe veredarium ad *Odilonem*, vt precibus ſuis e purgatorii poenis liberetur. Idem epiſcopo Capreae apparuit, eumque iuſſit fratrem papam adire, et ei mandare, vt ex iſta tali theca argentum in pauperes eroget, ſicque eum *redimat*. Hic Baronius, quod ſequitur, male intellexit: hic epiſcopus — vbi Iohanni narrauit, *monachum induit*; ſcil. ille epiſcopus; male vero *Baronius* de papa ſumſit, atque ſic poſt abdicationem *legitimum* hunc rurſus fuiſſe papam. Meminerimus hoc ſeculo *nondum penes papam ipſum fuiſſe*, *e purgatorio* animas liberare, ſcriptis decretis. Paulo poſt ſuccreuit iſta noua poteſtas. Idem *Glaber* copioſius narrat, de *legatione Graecorum* ad hunc papam, vt auro impetraret imperator et patriarcha titulum in ſua vrbe *vniuerſalis* epi, ſicut papa *Romae*; apud *Romanos*

philargyriam inexplebile cubile locasse, addit Glaber; sed res non successit; per vniuersam Italiam fama tumultum suscitauit; *Willermus* abbas S. *Benigni*, epistola missa papam dehortatus est, ne Graecis concederet. Tam bello pontifici suffectus *Alberici*, comitis tuscul. fil. puer; auro et pecunia pater id effecit; monstrum, portentum nominat ipse Baronius; et suo more lepide addit: declamaui saepius et exclamare non desinam, vt cardinales pro viribus principibus aditum ad electionem pontificum rom. destruant &c. Vides, quae sint a principibus toleranda! Nempe Baronius homines putabat fore ignauos asinos. Vbi erat ecclesia Baroni! vbi clerici illi, qui ecclesiam soli tam eximie praestant et explent? Cur in Italia, Romae, nemo tam bono pectore erat, vt infandum omen, (*puer* 12 annorum, sic *Glaber* describit;) Christi vicarius, vniuersalis episcopus, vel clamore suo et taedio odioque auerterent! Imperatoris probitate et virtute opus fuit ad eiicienda et prohibenda *sanctissima monstra*; et Baronius terrarum dominis hanc culpam tribuit tot turpissimorum paparum. Bene vero Baronius demonstrat, agnitum fuisse sine controuersia romanum pontificem; pallium ab eo petierunt &c. Bene! Optime; quis enim dubitet similem simili fauere! *Hominem nefarium* (sic nominat, Benedictum) *Baronius* a. 1054 finem viuendi fecisse statuit; postquam (sic Herm. contract.) multis criminatum (ob caedes, rapinas, o sanctissimum!) eum Romani sede expulerant, et *Siluestrum* aliquem eius in locum statuerant; quem tamen Benedictus postea anathematizatum depulit, ipse sedi redditus. Iam vero ob auaritiam alium ordinauit, Iohannem seu Gregor. 6 Post mortem *Clementis* 2 factionis suae ope pontificatum *tertium* occuuit menses 8; Leone 9 vero mortuo, electionem pontificis adhuc turbauit.

Eiecto Benedicto 1054, suffectus Ioh. Sabinensis ep. nomine Siluester 3; sed hunc eiecit Benedictus, et quia intelligebat Romanos a monstro auersos, vendidit papatum Iohanni Gratiano, archipresbytero; qui *Gregorii* 6 nomine

ne vſus fuit; atque Benedicto reditus ex Anglia (ſtultitiae ſacrae iſto tempore monumenta) tribuit, *Otto Friſing.* lib. 6, 32. Idem narrat, diuiſos fuiſſe reditus ad 3 patriarchia; 1) ad S. Petrum. 2) ad S. Mariam maior. 3) in palatio Lateran; turpem vitam vixiſſe Benedictum, audiuit ipſe *Otto* a Romanis, cum in vrbe eſſet. *Petrus* Damiani grauiter deſcribit, quos cruciatus in imo tartaro in aeternum ſuſtinendos ipſe *Benedictus* ſibi tribuerit. Iuſſu imperatoris *Heinrici* 3 ſede deiectum ſcribit *Glaber*, et Hugo in chronico virdunenſi. Ad Gregorium 6 dedit P. *Damiani* aliquot litteras. Qualem inuenerit romanam eccleſiam hic papa, et quam Italia inſidiatorum et latronum agminibus turbata fuerit, narrat *Wilhelm.* malmesbur. lib. 2 c. 13 (a Baronio iam allatus.) Ad hunc papam *Caſimiri*, polon. regis legatio venit, vt *Benedicto* promiſſa (ob diſpenſationem, vt *Caſimirus* monachus et diaconus ad regnum rediret; alii rem ad *Clementem* 2 referunt;) ſoluerentur, *denarius* b. Petri, ſeu vſualis obolus de vno quoque capite, per ciuitates et rura; ab hoc tempore regnum Polon. romanae eccleſiae, imo vicario Chriſti, factum *feudale et tributarium*; *Dlugoſſus.* Hunc *Gregorium* rex *Henricus* ad *ſutrienſem* ſynodum inuitauit; iam dudum regio animo inſederat, *vt tres illos*, qui *iniuſte* (ita ipſe *Victor.* 3. lib. 3 dialog. ap. Murator. e biblioth. patrum maxima tomo 18 p. 853) apoſt. ſedem inuaſerant, cum conſilio totius concilii depelleret, et vnus — clero et populo eligente, ordinaretur. Haec *Henricus* a. 1046, quem annum ille ineptus Baronius ſic orditur: *Henricus* rex periculoſe nimis *eccleſiaſtica iudicia* ſibi ſumens Rauen. aep. et poſtea Gregor. 6 dignitate priuat. Impudentem Baronium! *Hermannus* contr. et alii boni omnes dicunt, aep. hunc Rauen. *crudeliter* et inepte tenuiſſe aepatum; Victor 3 *iniuſte* 3 papas inuaſiſſe ſedem, ipſe ſcribit; *Benzo* in panegyrico in *Heinric.* 3 lib. 7 c. 2 ſcripſit, *tres diabolos* vſurpaſſe cathedram; et *annaliſta Saxo* ad h. a. narrat Henrico Eremitam ſcripſiſſe: *omnipotentis vice ſolue*

con-

nubium triforme; Leo, ostiens. ep. et cardinalis: *caelitus inspiratum* Heinricum id egisse. Tamen malebat sanctam ecclesiam iure suo, si placet, Baronius porro vti, et sancta monstra in cathedra Petri esse, a quibus pallia, licet nihil virtutis et probitatis, episcopi alii peterent! Oblitus est Baronius auctoritatem Caroli M. Ludou. pii &c. qui *iudicia ecclesiastica* felicissime exercebant. Iam *Suidger*, bamberg. ep. in ecclesia vaticana electus; vid. vel *Muratorii* histor. Ital. de rei iustitia, qui *Baronii* naeniis ipse respondit; plura in notis german. *Clementis* 2 nomine is vsus, *Gregorius* in Germaniam abductus, huncque secutus est ille *Hildebrandus*, quem non mirabimur in pectore interea reposuisse romanam iracundiam. *Henricus* nunc coronatus. Collaudat *Henricum* vel *Petrus Damiani*, ob studium abolendae Simoniae; ei deus hoc concessit, *vt ad eius nutum* S. r. ecclesia *nunc ordinetur*, et praeter eius auctoritatem nemo eligat papam; idem faciunt *Glaber*, *Hugo* flauin. et alii, vt facile seriorum et corruptorum hominum sententias spernamus. Paullo post *Henricus Humfredum*, cancell. suum, fecit aep. rauennens. quem *Clemens* consecrauit. Mortuo *Clemente* Romani ab Henrico *poscebant successorem* per legatos, (Lambert. Schafn.) *Benedictus* 9 ausus fuerat sedi se rursus ingerere; sed a. 1048 *Popponem*, brixinensem Henricus Romam misit, qui *Damasi* 2 nomine vsus est; sed ne mensem quidem vixit; *Benno* narrat, famam fuisse, per venenum Benedictum mortem procurasse. Auctoritate *Henrici* a. 1049 *Bruno* ep. tullens. (a sanguine imperatoris non longe seiunctus,) suffectus fuit, *Leo* 9 dictus; quem eximie scriptores laudant; adeo falsum est, quod *Baronius* oggerit, per reges paparum mala exempla intrusa fuisse. Retinuit tamen tullensem ecclesiam; sub eo primum *Berengarius*, diac. damnatus, *Lanfrancus* vero, qui similiter in eius haeresis venerat suspicionem absolutus, etiam in *vercel.* concilio, liber *Ioh. Scoti*, de corpore Christi, publice condemnatus. *Gregor.* vercell. epum, ab *adulterium* et

per-

periurium, deiecit. Cum copiis ipse contra Normannos exiit (descripsit *Guilielmus* appulus, lib. 2.) sed parum feliciter; quod *Petrus Damiani* vehementer reprehendit, lib. 4 epistol. 9 ad Firmanum ep. (etiam *Herman.* contr. *carnalis pugna* eum non decebat;) *Baronius* autem, *Bellarminus* et alii defendunt; quia *Petrus* duplicem gladium habuerit, vid. *Ioh. Carthagena* propugnaculum cathol. de iure belli rom. pontificis aduersus ecclesiae iura violantes, Romae 1609. 8. *Muratorius* gladium papae, si est terrarum dominus, tribuit; quae Maiestas Petro defuit. Episcopium *Bambergense sub ditionem* imper. *remisit*, equo retento; eius in locum *Beneuentanum* ab Henrico recipiens. Longe celebrior est caussa illa Graecorum; *Michael* enim *Cerularius* patr. Cpolit. litteris ad Ioannem ep. tranensem in Apulia, et ad *Petrum* antioch. in roman. ecclesiam publice inuectus fuit; non defuit papa suis rebus, et scriptis, et legatis Cpolin missis. Notemus, hunc papam *donationem Constantini*, in longa ista epistola ad Cerularium, oggerere Graecis; eam et *Petr. Damiani* opusculo 4 collaudat. Eo mortuo 1055 suffectus ab imperatore, ad quem *Romani* miserant, siue in conuentu *Moguntiae*, siue a solo *Hildebrando* subdiac. rom. electus, *Gebhardus*, *aichstedens.* ep. Legere operae pretium est, quae narrat *Benzo* in panegyr. Henrici tom. 9 reliquiar. p. 395 et pag. 390. 91 et antea, contra Sarabaitam *Folle Prandellum*; vnde facile intelligimus, et in Germania quosdam prudentia in romana hac caussa non semper vsos, et *Hildebrandum* odii in Germanos reges et episcopos non habuisse caussas nullas. Huius *Benzonis* libri non seruant ordinem temporis; nisi turbatus forte est ordo; miramur, neminem obseruasse, fere pleraque omnia *rhythmis latinis et metris* constare; luculenter patet p. 324, sed sic et ante et postea. His papis, e Germania, res Italiae committere poterat Henricus; sed res paulo post male vertit, vt papae, sine ista auctoritate, potestatem in Ital. et alios reges auderent arripere. Vix laudare ausim, quod Henricus ipse *Vi-*

cloris

ctoris auctoritate vti voluit, aduersus *Ferdinandum*, magnum, vt interdicto et anathemate Ferdinandum eo adigeret, vt *imperatoris* nomine abstineret. Nempe sic via ad istam in reges potestatem late patebat. *Victor* 2 hic dictus; qui *Henricum* 4, patre mortuo, vt potuit, adiuuit; atque, vt quidem *Petr. Damiani* scribit, Christus sic quasi ipse ad *Victorem* loquebatur, mortuo Henr. 3. Ego te quasi patrem imper. constitui — ego claues totius eccles. — *etiam Monarchias addidi;* imo sublato rege de medio, *totius imperii vacantis* tibi iura permisi &c. Facile itaque ceteram *Hildebrandi* politiam nobis fingimus, regum quorumdam non obscura culpa. Post *Victorem*, (cui subdiaconus aliquis venenum in *calicem sacrum* mittere ausus fuerat,) *Gottfridus*, lotharing. dux, qui 1054 ducta *Beatrice*, potentissimi *Bonifacii*, ducis et Marchion. Tusc. hanc Marcham et alias possessiones sibi vindicarat, et *Henrico* parum placuerat, facile effecit, vt fratrem suum *Fridericum*, abbat. cassin. et cardinalem S. Chrysog. a Victore factum, in sedem romanam cueherent; nec operae iam videbatur pretium, ad Henric. 4. et eius tutores rem perferri. Is *Stephani* IX nomen sumsit. Excerpsit ipse Baronius e *Leone*, ostiensi: iussit papa omnem thesaurum auri atque argenti e monast. cassinensi ad se perferri; cupiebat enim fratri suo, Gottfrido duci, *imperii coronam largiri*, atque cum eo reuerti ad *Nortmannos* expellendos. Nugatur iam Baronius: secundum hominem cogitans, zelum habuit; sed deus voluit Nortmannos sedes ibi figere, pro eccles. romanae subsidio *aduersus schismaticos principes*. His ineptiis tam facile deum immiscet. Tamen idem *Leo* narrat, hunc papam, qui iam morbo graui laborabat, iussisse: vt si forte moriatur, exspectetur reditus *Hildebrandi*, qui ad imperatricem *pro quibusdam reip. negotiis*, missus fuerat. Mortuo papa a. 1058 statim et legati, quos *Cpolin* miserat, reuocati ex itinere; qui haud dubie non ob sacras res solas missi fuerant. Romani argento ducti *Ioh.* velitrens. ep. faciunt papam; *Pet. Damiani* cum aliis for-

fortiſſime reſtitit; et multa turpia narrat, epiſt. ad Henricum aep. Rauen. de hac re; nominat etiam hunc *Benedictum* X, hominem *ſtolidum*, deſidem, *nullius* ingenii; *Lambert.* Schafnab. a. 1059 deſcribit, miſiſſe romanos poſt mortem *Stephani*; *Henricum* regem, habita deliberatione, deſignaſſe *Gerhardum* florentin. ep. is, nomen *Nicol.* 2 ſumſit ſedi rom. impoſitus. *Benedictus* tamen per aliquot menſes fecit, quod alii papae; pallium dedit inuaſori ſedis *vintonienſis;* nempe, quia mali gratificantur ſimilibus; ſic his verbis ſcribit Wilhelm. malmesb. quem ipſe *Baronius* citabat, et tamen *pallia* documenta iuſti papae fecit. *Nicolaus*, retinuit florent. epatum; in *ſutrino* concil. Benedictus ad laicam communionem deiectus. In *lateran.* concilio, electio papae cardinalibus adſignata, ſaluo debito honore et reuerentia dilecti filii noſtri *Henrici*, qui inpraeſentiarum *rex* habetur et *futurus imperator*, deo concedente, ſperatur; ſicut iam conceſſimus, (mediante eius nuntio Longobardiae cancellario W.) et ſucceſſorum illius, qui ab hac apoſt. ſede perſonaliter hoc ius impetrauerint, (et ad conſenſum nouae electionis accedunt) iſta in ( ) addit Muratori e chronico farfenſi, quae in conciliis et Baronio ab hoc decreto abſunt. Dirae multae formulae adhaerent — ſi quis contra agat — contra eum pugnet orbis terrarum — omnium ſanctorum merita eum confundant, et in hac vita ſuper eum apertam vindictam oſtendant. Hinc facile intelligimus, etiam iuramenta ſubiectorum dominis praeſtita, reuocata fuiſſe &c. Sed nec hoc ſatis malum et improbum fuit, itaque et reuocatum poſtea; *Anſelmus*, luc. lib. 2 contra *Guibertum*, papam, in bibl. patrum maxima t. 18. p. 809, Homo fuit Nicolaus, ei ſurripi potuit; et *Petr. Damiani* ap. Baron. a. 1062 *Deſiderius*, caſſin. abbas, iniuſte et *ſtultiſſime* factum hoc decretum dixit; nec pro humana ſtultitia eccleſiam debere amittere ſuam dignitatem; Petrus diac in chronic. caſſin. Vel *Muratorius* ipſe recte hoc papam feciſſe putat; idem probat iſtam ſanctam prudentiam, quod

Nor-

Normannis aduersus imperatores feliciter vsi sunt. *Robertum* donat honore ducis, *feudo*, si placet, Apul. Calabr. Sicil.; a duce vero *iuramentum fidelitatis* sibi praestari passus est. Describit Baronius ex libello cardinalis Deus dedit, hoc a. n. 31, romanus pontifex non modo deponi non potest, sed etiam christiano iure a *quolibet non potest iudicari*, nempe *deponi non possunt papae, nec iudicari*; noua enim iuris forma sensim in Italia succreuit. *Petrus Damiani* papae tribuit titulum, *vestrae maiestatis auctoritas*; e. c. in libello ad papam, aduersus clericorum *matrimonia*, Baron. ibid. n. 39. Hic enim praecipue dedit operam, vt clerici *impudici* (sic vel eos nominare solent, qui matrimonio vtuntur; nomina enim socerorum, socruum, *fratrum* et omnium propinquorum valuisse fatetur;) idem iussu *Hildebrandi*, iam Archidiaconi, in paruum volumen ea omnia compilauit, quicquid apostol. sedis auctoritati competere videretur; (nempe *nouum ius* compilauit; excerpsit quaedam *Baron.* n. 45, e libro, de priuilegio rom. ecclesiae; (multum queritur *Damianus*, Mediolanenses, ad quos legatus mittebatur, contendisse: *ambrosianam* eccles. semper fuisse *liberam*, nec debere *romanis* legibus subiacere; nullam vim competere romano pontifici aliquid *iudicandi* &c. Adeo hoc seculo in Italia etiam fuerunt, qui nouum paparum ius pati nollent &c. Hic primum et mediolanenses *clerici* iussi *ab vxoribus* (hoc nomine ipse vtitur aep. mediol. *Guido,*) vel concubinis abstinere. Sic et in iuramento clericorum mediol. nouo haeresis, quae statuit, sacri altaris ministros *debere vel posse licenter vti coniugibus*, quomodo et laicos. *Guidonem* satis inuitum ista promisisse, vel inde colligitur, quia a. 1066 a papa anathemate percussus fuit, quod faueret matrimonio clericorum. *Arialdus*, diacon. mediol. qui attulerat anathema, postea occisus, inter sanctos collocatus fuit a papa.

Mortuo Nicolao 1061, *Anselmus*, lucensis ep. suffectus fuit, iuuante duce *Gottfrido*, et *Roberto*, normanno,

no, (vt iuramento Nicolao promiserat; *Muratori* tamen contra Baronium intelligit *Richardum*, capuanum, non Norman. adeo clarum est, Italos noluisse Germaniae aliquam auctoritatem pati;) retinuit et hic epatum lucensem; vsus est nomine *Alexandri* 2. Facile credimus, aulam *Henrici* non parum commotam, ob tam malam fidem Romanorum; nec deerant *Lombardi*, quibus ista aliorum consilia et studia minus placebant; Paradisum Italiae, Longobardiam, malebant praeferri. Itaque legati in Germaniam missi, atque sic *parmensis* episcopus *Cadalous*, habito conuentu *basileensi*, (quem P. *Damiani* non parum proscindit, *in disputatione* inter regium aduocatum et romanae ecclesiae defensorem,) antipapa creatus. Anno 1062 de sede apostolica armis pugnatum; victa pars *Alexandri*, sed artibus et studiis *Godfridi* ducis, Parmam recedere coactus fuit *Cadalous*; vel *Normanni* adsciti, ne Henrico in Italia facile amici superesse possent. Operae pretium est legere *Benzonem*. *Hanno* colon. aep. matri eripuit Henricum, suasu *Godfridi*; sic *Cadalous* carebat adiutoribus, atque facile in concilio 1062 abiectus fuit, a *Germanis* certe et plerisque Romanis; a. seq. tamen a quibusdam in vrbem admissus, in arce *Crescentii* biennium obsessus fuit. Post a. 1067 multum turbarum suscitauit, ab episc. Rauenn. aliisque adiutus. Mater regina *Romae* sibi poenitentiam imponi passa est. *Hildebrandus* interea papam regebat, vt vel ex istis versibus *Damiani* patet: Papam rite colo, sed Te (Hildebrandum) prostratus adoro; Tu facis hunc dominum; Te facit ille deum. — Viuere vis Romae? clara depromito voce: Plus domino Papae (genitiuus,) quam Domno pareo papae. Itaque longa exercitia dominandi non defuerunt Hildebrando; simul *Damiani* humile et ignauum ingenium hinc discimus, qui totus solet pietatem et superstitionem crepare; nequam homo. Idem *Hildebrandus* a. 1067 respondit in aula papae *Hannoni* colon. aep. qui in Italiam missus fuerat, et papam non nihil vellicabat, quod ausus esset sine auctoritate

Henrici ſedem rom. occupare; in concil. *mantuano* tamen papa publice et ſacramento interpoſito confirmauit, legitime, ſine crimine ſaltim ſuo, ſe papam factum. A. 1069 aep. *Moguntinus Sigfridus* papam rebus *Heinrici* immiſcuit, (epiſtola ad papam ſupereſt in conciliis,) qui e matrimonio cum *Bertha* exire cupiebat, et nunc aep. pollicitatione *decimarum* e Thuringia ei vindicandarum, vt putabat, eo adduxerat, vt rem iuuare voluerit. *Petro Damiani* papa vſus fuit legato; qui vetuit diuortium. Sed multo magis atrocia odiorum creuit, cum *Guido* aep. mediol. muneris pertaeſus, ſubdiaconum Godfridum *cum anulo et baculo ad Henricum* miſiſſet, atque *Henricus* imprudenter hunc ſedi mediolanenſi deſtinaſſet; interceſſit anathema et mediolanenſium indignatio. A. 1070 aep. *Mogunt.* et *Colon.* et ep. *bambergenſis* Romam venerunt, quos *Lambertus* ſcribit, a papa grauiter reprehenſos fuiſſe, ob vendita beneficia ſacra. In locum *Henrici*, aep. rauennat. qui *anathemate* onuſtus obiit, rex Henricus *Guibertum* deſignauit, qui antea fuerat cancellarius ipſius; nec hic papa auſus eſt intercedere, minis tamen aut propheriae non defuit. A. 1073 mortuus eſt Alex. poſtquam litteras ad regem miſerat, quibus eum vocabat ad ſatisfaciendum, pro Simoniaca haereſi et aliis emendatione dignis, quae de ipſo Romae audita fuerant. Intelligimus facile iſtos, quos imprudentior rex offendere non dubitauerat, tandem Romae locum vindictae quaeſiuiſſe. In locum Alexandri *Hildebrandus*, Gregorius VII ſuffectus; callidior plerisque, et animi dotibus haud parum praeſtantior; licet caruerit, cum cunctis, chriſtiana mentis illa perfectione, quae inde a longo tempore ad dotes papae non ſolebat referri. Diſtulit caerimoniam ſacram, atque ab Henrico per legatos conſenſum magis exſpectauit, quam petiit. Vicit conſiliorum ea pars, quae ratam iubebat electionem, praemiſſo tamen comite *Eberhardo*, qui omnem cauſſam accuratius exquireret. Iam cancellarius Italiae, vercell. epiſcopus caerimoniae intereſſe iubebatur.

Hic,

Hic, cum ad funeſtae tragoediae ventum ſit initium, quae nec Henrico et Germaniae, nec Papae laudem peperit: liceat breuiter tam de Henrico, quam de papa, iſta diuiſo loco, colligere, quae ſcitu et hodie digna videntur. Rem certe et hiſtoriam *eccleſiae* praecipue tangunt; nec operae pretium eſt, quaſi e cathedra ſententiam nos dicere; quam opus eſt, vt lectores ipſi ſuo cum fructu, eligant. Iam ſub Henrici 3 mortem in *Saxonia* non obſcura gliſcebat multorum indignatio; ſub *Agnete* matre Henricus educabatur, quae Auguſtano epo tantum tribuebat, vt ceteri maiores id pati non poſſent; itaque per *Annonem* aep. colon. *Henricus* matri callide ſubtractus fuit. Valebat interea Henrici auctoritas in Longobardia; *capuanum* tamen principatum Normanni occupabant, quia ciuibus auxilia e Germania nulla mittebantur. Iam *Adalbertus* ap. bremenſis, inuidebat honorem tutorum aepo moguntino et colonienſi, regemque quaſi ſuum fecerat; omnes autem lubenter ius regium ea ratione experiebantur, vt rex abbatias concedere addiſceret et eppis et ducibus, quaſi regiminis rudimenta; ſic numquam deerant, qui ſe praeteriri et contemni putabant; a. 1066 in *triburienſi* conuentu Henricus e manibus aepi bremenſis ereptus traditur aeppis mogunt. et colon.; *Hanno* col. non deerat ſibi; impetrauit a rege aepiſcopatum *treuir.* pro *Conrado*, cognato, cui Henricus *annulum* et *baculum* ipſe dedit; ſed ius electionis ita tutabantur treuirenſes *miniſteriales*, vt Conradus vita priuatus fuerit. Talia regem facere ipſi ſuadebant clerici illi maiores; nec eſt dubium, ad ius regium pertinuiſſe; itaque papa debebat potius aeppos reprehendiſſe, quam regem iuuenem. Iam, vt optimates, ita et ſcriptores ſolent partibus ſtudere, regisque multa et magna deſcribunt vitia; (*Bruno*, in hiſtor. belli ſaxonici, apud Freherum; annaliſta Saxo &c.) *Thuringis* et *Saxonibus* rex iuſto minus ſtuduit, arces et munitiones nouas exſtruxit, militibus omnia indulſit; praecipue, Moguntini auaritia *decimas* iniuſte *Thuringis* impoſuit, qui et ſynodum *erfurtenſem* coegit, collectis mul-

tis *sophistis*, qui *canones* in eius rem callide verterent, (*Lambertus* Schafnab.) Itaque tandem *Saxones* et *Thuringi* armis se defendere ausi; intererant etiam alii principes, qui contemni solebant; tandem et fides regis quasi periit, qui contemtis, quibus se pro vario fato, obligauerat, iuramentis, Saxones optimates deportari in alias prouincias temere iussit; beneficia eorum militibus suis concessit &c. Ferocior rex, quia per aliquod tempus (1075) *Robertus Guiscardus* cum rege per legatos, contra papam, iunctus videbatur. Non ignorauit Henricus et eius fautores, *discrimen inter regnum et sacerdotium*; fortissima scripta non desunt, ex isto tempore; papa cum *Decio* tyranno comparatus; sed exscribere ista omnia nobis non licet. Facile certe spreuit rex papae anathema; in comitiis *Wormat.* (in quae non admissi legati,) 1076 episcopi, qui cum *Henrico* faciebant, a papa publice secedunt, anathemate aduersus eum huc illuc misso. Aduenerat commode *Hugo Blancus*, cardin. afferens secum de vita papae scenicis figmentis similem tragoediam, (sic *Lambertus* scribit,) et incredibilia flagitia recensuit. *Rolandus* aliquis Romae, in concil. *lateran.* anathem. formulam contra papam recitare, regis nomine, ausus est. *Ticini* aep. mediol. et alii episcopi, idem faciunt, papam anathemate publice feriunt. Cum papa tamen in gratiam redire maluit *Henricus*, quam experiri eius in comitiis *Augustanis* adfuturi, tot inter aduersarios, auctoritatem; a. 1077 inter muros *Canusii*, triduum positis regni insignibus, lanea veste tantum vsus, pedibus nudus, poenitentis imaginem praebuit impotenti papae; sic anathema sublatum, regia autem causa comitiis tamen permissa. Iam publica indignatio et in papam et in regem, ob turpissimam caerimoniam, secuta; itaque regium decus vindicare Henricus statuit. *Forchemii* autem, legati papae, aep. mogunt. magdeb. aliique duces et episcopi *Rudolfum*, Sueuiae ducem, regem faciunt; inde cruenta plura praelia, vtrimque non sine magna clade, narrantur, quibus et maiores clerici ipsi intererant; occisus aep. mag-

deb.

deb. captus moguntin. wormat. Bernhard, archidiac. romanus &c. Henricus cum eppis 30 Gregorio 7 opponit aep. Rauennenſem *Guibertum*, Clementis 3 nomine vſum; in chronico *Vrſpergenſi* dira elogia contra Gregorium legi facile poſſunt. In quarto praelio Rudolfus e vulnere mortuus; (fabula de ſermone eius, quo manum abſciſſam damnabat,) eodemque die, 1080, 15 Octob. copiae *Mathildis* victae; a. ſeq. *Henricus* ipſe in *Italiam* venit, *Lucca* occupata, alius epiſcopus creatus &c. *Hermannum*, Luzelburg. in Germania Saxones regem creant, ſed parui ominis; *Henricum farfenſes* monachi in ſuam fraternitatem recipiunt, (adeo ſine auctoritate fuit *Gregorii* anathema); atque a. 1084 *romani* Henricum in vrbem admittunt, *Clemens* 3 publice, ſollenni *acclamatione* ſuſceptus; idem *Henricum* in vaticano templo coronauit imperatorem; *Gregorius* in arce S. Angeli obſeſſus, per *Robertum* tandem liberatus fuit; *Henricus* enim ſatius putabat ex Italia nunc redire; Normanni *Saracenos* ſecum habebant, qui magnam Romae partem combuſſerunt; ſic mortuus papa 1085.

Hic papa ſatis prudenter rem ſuam egit; ſuam, non publicam et chriſtianam. Nam vix eſt operae pretium commemorare, *Gregorium* (lib. 2 ep. 31. 37) auxilia circumſpexiſſe, quibus *Muhammedanorum* potentia frangeretur; ſuis certe conſiliis et hic dabat operam, vt Italiam in alium ſtatum vindicaret. Legantur *Baronii* fabulae, de epiſtolis et ſtudiis papae, ob expedit. Hieroſolymitanam, ad a. 1074 n. 49 ſeqq. *duplicem*, imo *multifariam remunerationem* Petrus et Paulus profecturis in hoc bellum dabunt &c. A Comitiſſa *Mathildis*, quae et ipſa malebat ſui iuris eſſe, quam Germaniae regi obſequi, hic papa praecipue adiutus fuit, poſtea etiam *Normannorum*, quibus debere aliquid malebat, quam *Germaniae* regibus. *Concilia* Romae fere annua habuit; eo minus epiſcopi rebus domeſticis chriſtianam operam dare diſcebant, eo vero amplior papae auctoritas ſpectari poterat. A. 1074 regem

Hungariae reprehendit, quod non a S. *Petro*, sed a rege Heinrico regnum Hungariae in beneficium acceperit. In concil. 1075 ista *decreta* lata: si quis deinceps episcopatum vel abbatiam *de manu alicuius laicae personae susceperit*, nullatenus inter eppos et abbates habeatur — si quis *imperatorum* (licet nondum hoc nomine vteretur Henricus,) ducum, Marchionum, comitum — *inuestituram* eppatus, vel alicuius eccles. dignitatis dare praesumserit, eiusdem sententiae (anathem.) vinculo se adstrictum sciat. (Extat ap. *Hugonem* Flauiniac.) Hic etiam anathema in *Robertum Guiscardum* proditum denuo, quia cum *Henrico* clam tractabat. Nempe intelligebat papa, iam opportunum esse tempus, abiiciendi vetustam et humiliorem papatus rom. formulam, atque augustiorem inducendi; sed vel imperitiores facile intelligent, papam hic publice contra ius et fas agere ausum; meminerimus eorum, quae sec. 8. 9. 10 tot claris exemplis et monumentis didicimus. Sed omni auctoritate caruit hoc nouum ius; hoc eodem annno *mediolanenses*, qui papae subesse nolebant, vt antea p. vidimus, miserunt ad Henricum, vt in locum Gotfridi, aepi, qui nec Henrico iam placebat, alius designaretur, licet papa *Attonem* aliquem Romae consecrasset; *Thedaldus* igitur, subdiac. mediol. suffectus fuit. A. 1076, 5 episcopatus Italiae Henricus dedit sorori Adelheidae eiusque filio, Marchioni; queritur et papa in epistola (lib. 1 ep. 10) regem eppos fecisse *firmanum*, *spoletanum*, quorum sedes adhuc ignorarit; Aquileiae patriarcham fecerat rex Henricum quemdam, et hunc papa, cum se ad ipsius partes conferret, passus est; a. 1079 rex priuilegia episcopo *paduanae* ecclesiae confirmauit; viuo Anselmo, *luccensis* alius episcopus, Petrus, a rege suffectus est; *farfensium* studia iam narrauimus; in *Germania* vero, *Lotharingiaque*, Papae decretum nemo hili fecit. A. 1076 papa anathema publice edidit in Henricum, (extat apud *Brunonem* p. 123) omnes subditos a iuramento fidelitatis liberos pronuntians, quod facinus hic paparum primus ausus

est,

eſt, ſed, vt decebat, paruo ſub bono. Eadem ſententia ſeriit et aep. mogunt. ep. traiect. bamberg. (ratispon. conſtant. Lauſan. eppos, comitem Eberhardum, Vdalricum et alios, iam antea excommunicauerat.) Papa et ſculpſa imagine ſynodum ſuam exhibuit: anguis percuſſus, ſpiris ſe colligens, ouum lapideum (*petram*, ſi placet,) morſu appetens (*Domnizo* in vita Mathildis.) Interuenit commodum huic imagini *Rolandus* &c. Ad hanc ſynodum pertinent etiam barbari illi *dictatus papae;* inter quos infandae formulae: ſoli papae licet *nouas leges* condere; epiſcopatus diuidere; ſolus poteſt *vti imperialibus inſignibus*, (ex donatione illa Conſtantini) ſolius papae *pedes omnes principes* deoſculantur; vnicum nomen eſt in mundo, papae; illi licet imperatores deponere; de ſede ad ſedem epos transmutare; nulla ſynodus, absque illius praecepto, debet *generalis* vocari; nullum capitulum, nullus liber *canonicus* habetur, absque illius auctoritate; ſententia illius a nemine debet retractari; ſolus omnium poteſt retractare; a nemine iudicari debet; romana eccleſia *nunquam errauit*, nec *errabit*; papa canonice ordinatus, meritis S. Petri *efficitur* ſanctus; *a fidelitate* iniquorum ſubiectos *poteſt abſoluere.* Haec et plura (ſunt enim ſententiae 27) Baronius, quaſi ſacras ſententias, recitauit, *Lupus* autem autem tomo 5 p. 164-381, illuſtrare et defendere hos dictatus auſus eſt; quod et alii Romani craſſiores facere ſolent; quidam *Galli* negarunt eſſe *Gregorii*, eos enim pudet et piget tam ſoedae cauſſae, *Launoius*, *Alexander*, *Pagi*, vterque; *du Pin;* qui in diſſert. 7 de antiqua eccleſ. diſciplina p. 476 et p. 535 refutauit craſſiores Romaniſtas; et ne multos libros nominemus, leg. *Hiſtoire du droit publique* eccleſ. francois tomo 1 diſſ. 3 pag. 246 ſeqq. de iure inueſtiturae. Ille papa infanas multas epiſtolas et turpes, foedasque ſcripſit in hac cauſſa; taedet legere: a Ihortor, moneo in domino Ieſu — ne honor ſ. eccleſiae et *romani imperii* (nempe ad papam pertinebat; noſtra negligentia ruinae pateſcat — pe-

cudes et beſtiae fuerint oportet Germaniae Galliae &c. proceres, ſi aequo animo talem impudentiam romani cuiusdam epiſcopi paſſi eſſent; licet ex odio in Henricum multi per aliquod tempus papae talia miniſteria viderentur admittere. Regis *triduanam* iſtam *poenitentiam* papa (lib. 4 ep. 12) ad epiſcopos *teutonicos* etiam ſcripſit, etiam iurisiurandi, quam rex recitauit, formulam; ea res vtrum lubenter ab Henrico, an ab inuito, peracta ſit, facile interpretabimur. *Monachis* autem plerisque ſpiritus quaſi nunc ſuccreuiſſe, vt vel ex epiſcoporum et terrae dominorum iurisdictione exire per papae (monachi) potentiam auſi ſint, non eſt dubium. Nec *Rudolfum* papa, quia ſine ipſo electus erat, patiebatur; foedas et ſtolidas epiſtolas eam in rem *Baronius* iam recitauit, a. 1077 num. 50 ſeqq. *neutri regi* aliquod adiutorium promiſimus; nolumus conſentire, *vt eccleſia dei* (papae faſtus,) ad confuſionem veniat. Hortatus eſt eppos: agite, vt appareat, quantum *libertatem eccleſiae* (rebellionem contra regem) diligatis. Contra ius *inueſtiturae* in Angliam et alias terras legatos et epiſtolas miſit; ſed a *Wilhelmo*, conqueſtore, parum commodi reſponſi tulit; vt ipſe Baronius refert a. 1079 n. 25. *diuinitus* tamen *inſpiratum* Gregorium ſic feciſſe vaticinatur Baronius. Omnia regna papa, vel mendaciis foedis, auſus eſt habere pro feudis S. Petri, Hiſpaniam, Saxoniam, Hungariam &c. Mitius cum *Roberto* Guiſchardo egit, et poſt colloquium cum eo, receptumque ab eo homagium, *ſpecialem S. Petri militem per vexillum* S. ſedis apoſt. de ducatu Apuliae et Calabriae inueſtiuit; noua formula, qua papa per vexillum S. *Petri* ducatus donat. Nempe non deſunt ſcriptores, qui confirmant, papam aluiſſe conſilium, hunc *Robertum* et filium *Boamundum* in *thronum imperialem* collocandi, (Murator. hiſt. Ital. a. 1078.) Quis non animo toto commoueatur, his turpis ſacrificuli conatibus! Niſi tot diſſidia prouincias plerasque turbauerant, *Hildebrandus* in infami carcere iam diu poenas luebat. A rege *Daniae* et *Olauo*, Norwegiae voluit nobiles ad apoſtolicam *aulam* (hoc nomine

mine vtitur,) mitti, vt ſub alis apoſtolorum edoceantur. In fauorem *Roberti*, normanni, anathema pronuntiauit aduerſus imper. graec. *Nicephorum* Botoniatem, quia generum Roberti Conſtantinum prophyrogen. et patrem Michaelem, deiecerat, et filia Roberto remiſſa fuerat. Tandem a. 1080 publice *Rudolfo* regi fauit miſſa corona, cum elogio iſto: Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolfo; vaticinatus contra Henricum in *ſynodo* romana: Henricus cum ſuis fautoribus in omni congreſſione belli nullas vires, *nullamque in vita ſua victoriam obtineat*; inſana et ſtolidiſſima formula, quam vel concilium ſine vomitu concoquere potuit, aduerſus Henricum, ap. Baronium 1080 n. 8 ſeqq. exſtat — concedo omnibus ex parte veſtra (*apoſtolos* allocutus erat inſanus homo,) qui Rudolfo adhaerent, *abſolutionem peccatorum*, et veſtram benedictionem. Cum Rudolfus paulo poſt e vulneribus mortuus eſſet, rogat *Baronius* n. 14, ne quis ſcandalum patiatur, cum *Henricus* tot victorias reportauerit, et ipſum papam in arce expugnarit. Nempe ſani homines non pauci reputabant, cum falleret papae promiſſio in rebus terrenis, multo minus certam eſſe de rebus ſpiritualibus et aeternis. *Henrico* autem Romani vrbem iam dediſſent, niſi Robertus immiſſis aureis 30000 animos ſuggeſſiſſet, (*Lupus* protoſpata;) hic enim Apuliae et Calabriae ſuae metuebat, ſi Henrici potentia ſuccreſceret in Italia. Iam Saraceni cum Normannis Romae magnam partem vaſtabant; et *Gregorius*, qui videbatur ſumma imis miſcere, tantis auſibus ipſe immortuus fuit: nulli iam parti carus aut amatus; diris omnibus, exſecrationibus, ſcommatibus, ſatiris, mendaciisque poſt mortem oneratus.

Pergimus in breui recenſione pontificum. *Deſiderius*, ille non ignotus abbas *Caſſinenſis*, eligebatur, (deſignatus a Gregorio,) ſatis inuitus, vt narratur; *Victor* 3; ſed impedita fuit a *Praefecto* vrbis caeſareo, conſecratio, quae in *vaticana* aede fieri debebat; a. 1087 poſita inſignia reſumſit; non defuit autem *Guiberto*, antipapae Henri-

cus; *vaticanum* templum pars altera alteri aliquoties eripuit. *Victorem* (qui in regulum Tunicii Pisanos et Genuenses excitauit, non sine omni euentu,) *Hugo* aep. lugdun. in epistola ad *Mathildem* satis male describit, ap. *Hugonem Flauin.* in chronico virdun. qui et narrat *Victorem*, agnito dei iudicio, se ipsum deposuisse; suffectus *Vrbanus* 2, a. 1088, *Otto* ille antea ep. ostiensis; cuius fautores a. 1089 antipapam in arce quadam obsessum eo adegerunt, vt honori isti omnino renuntiarit. *Vrbanus* effecit, vt *Guelfum*, numero quintum, ducem Baioar. comitissa *Mathildis* maritum eligeret, vt tanto virilius romanae ecclesiae contra schismaticos posset subuenire; ea res Imperatori sic displicuit, vt bello Mathildis ditiones appetierit; *Mantua* occupata alium episcopum creauit; *Hugonem*, Azzonis Marchionis Liguriae filium 2, qui *Roberti Guischardi* filiam repudiarat, (principem nuper Cenoman. seu e *Manso*) papa excommunicauit; a. 1091 antipapam Romani in vrbem inducunt; nec desunt priuilegia eius auctoritate et nomine concessa, *Guibertistis* scil. vt eos solent quidam nominare. *Guelfo* 4, dux Baioariae, Henrico se, filii caussa, opponit. *Vrbanus* rogatu Mathildis *pisanum* aepatum instituit; eadem *Mathildis* et *Vrbani* fautores Henrici filium, *Conradum*, *italici* regni specie, aduersus patrem rebellem efficiunt a. 1093; (infandae res vtrimque narrantur, filius in patrem turpissima quaeque propalauit, vel in Adelhaidem se a patre emissum, vt in scortum; *Dodechinus* &c. cuius nugas *Baronius* grauiter descripsit; exstant et alibi dira elogia Henrici.) O christianum papam Vrbanum, qui talia et ipse adiuuit! Aepus mediol. coronam imposuit. Ea res non caruit atrocitate multa ad imperatorem; *episcopi* passim, quos Henricus creauerat, ab ecclesiis reiecti et refutati; improbi alii episcopi papae, de nouo rege, *ad voluntatem dei* creato, iam gratulabantur; (*Iuo* ipse carnot. ep.) *Bertholdus* constantiens multa huius generis narrat, deditus ipse *catholicis*, i. Vrbanistis. A. 1094 aliquis perfidus homo e seruitio

tio Guiberti, qui palatium *lateranenſe*, et arcem S. Angeli adhuc tenebat, *Vrbanum* adiit, pollicitus, ſi argentum impetret, traditurum ſe palatium; hic *Vrbanus* corrogauit, quae potuit, et *Godofredus*, vindocinenſis abbas, qui Romae commodum erat, mulos, equos &c. vendit, vt perfido homini ſatisfieret; arcem tamen S. Angeli adhuc a. 1097 ſuis militibus tenuit. *Adelheid* imperatrix e carcere fugit ad *Mathildem*, ob fornicationum ſpurcitias, quas a multis paſſa ſit; tandem fit abbatiſſa. A. 1095 *Vrbani* magna ſynodus in campo *Placentino*, quia eccleſia tot numero clericos non capiebat; eppi 200, clerici fere 4000. Legati *Alexii Comneni* rogant auxilia contra Saracenos; itaque *crucem* papa belli cauſſa dedit. *Conradus* rex hic papae *ſtratoris officium* exhibuit; iuramento fidelitatis praeſtito, a papa in *filium ſ. romanae eccleſiae* receptus eſt, eique promiſſa corona imperii. Inde papa concil. in *claro monte* indicit in Gallia; in eo 13 aeppi, et 205 *virgae paſtorales* numeratae, (*Bertholdus*, conſtant.) *ſynodalem papae ſermonem*, de occupanda terra ſancta, ſeruauit *Wilhelmus Tyrius*, de bello ſacro lib. 1 c. 15; eis, qui arma ſuſceperint contra Turcas, *immenſas* pro peccatis *poenitentias* (ſi vel latrones, praedones, fures &c. fuerant, tamen ſancti iam milites futuri erant,) relaxamus; qui deceſſerint in vera poenitentia, peccatorum indulgentiam et fructum aeternae mercedis habebunt; hos autem omnes, qui iter ſuſceperint, *ſub eccleſiae defenſione* et b. Petri et Pauli *protectione* (ſatis callide!) recipimus. *Alium ſermonem* exhibet *Wilhelm.* malmesbur. lib. 4 c. 2 *tertium* aliquem deſcripſit *Baronius* e Vatic. bibliotheca; exſtat etiam in *Buldrici* hiſtor. hieroſ. in eo recitatur annuum miraculum in diebus paſonis, exſtinctis omnibus luminibus, iubare divino lampades reincenduntur. *Beſtialis* homo eſt et inſulſi capitis, cuius cor hoc miraculo non verberatur (nempe, ſi ſemel Turcae iſto miraculo electi fuiſſent ex locis ſanctis, res forte credibilior erat.) Inſunt autem quaedam partes ex hoc tertio ſermone etiam in primo, vt pa-

tea-

tent, esse varie compilatos. Vt res difficillima optato non careret euentu, papa ibidem iussit, *officium* b. Mariae, quod iam quidam monachi solebant resonare, etiam a ceteris clericis digne persolui. Hanc nouam belli sacri imaginem iam delineauerat *Petrus*, Eremita, qui ex oriente redux, vicatim plenis buccis solebat declamare, de miseriis christianorum, et turpi statu *locorum sacrorum*. Itaque in rem inusitatam et nouam plerique erecti et facile parati, crucem sibi quasi praeripiebant. Ceterum pudet et piget sanctum exercitum *latronum*, *furum*, et *furciferorum* magis quam cruciferorum, describere. *Petro* duce *Iudaeos* occiderunt aut ad baptismum compulerunt &c. Plerosque cruciferos Hungari interfecerunt. In *anglicana* synodo actum de *Vrbano;* quia rex *Guilbertum* sequebatur, atque iusserat, vt nemo Episcoporum Vrbano adhaereret; *Anselmus* strenue Vrbani causam egit. (vita S. Anselmi per *Eadmerum.*) Operae pretium est, paucis hic attingere rem ingentem. *Mathildis* illud matrimonium cum *Guelfo*, quinto, quod varia spe luserat coniuges, hoc anno rescissum; non parum irato *Guelfo*, qui ab omni spe ista se deiectum videbat; haud dubie enim iam demum et maritus et pater eius, Guelfus 4, intellexit, omnem *haereditatem Mathildis ecclesiae romanae* addictam esse; itaque et hi iam in imperatoris amicitiam concesserunt, qui antea omnium maxime rebus ipsius obstiterunt. Papa iam matrimonium *Conradi*, rebellis, cum *Mathildi*, *Rogeri* siculi filia, adiuuit; et sacris cruciferorum turmis *benedictionem* tribuit, quas boni omnes exsecrari solebant; sed de ista barbarica turpitudine iam nolumus plura hic addere; cum facile opportunitas redeat. A. 1098 papa interfuit obsidioni *Capuae;* eam vrbem Richardus, norm. copiis *Rogerii*, Sicil. adiutus, expugnauit; huc et *Anselmus*, cantuar. ad papam venit, de rege Wilhelmo 2 questurus. Eodem hoc anno papa celeberrima ista bulla comitem *Rogerium* fecit *legatum apostolicum per omnem Siciliam*; de qua re copiosius agit *Baronius* ad a. 1097 num. 18 sq.

Super

Super hoc diploma, quod in conuentu Salernitano papa scripsit, velut fundamentum immobile, *Siciliae monarchatum* firmiter stabilitum asserunt eius defensores; *Fazellus* Sicul. suae inseruit Historiae; historicus hispan. rerum idem fecit &c. quod *Baronius* aegerrime fert, et grauiter id agit, vt fictum esse demonstret. Primum id descripsit *Ioh. Lucas Barberius* 1513; cum *Ferdinandi* catholici auctoritate, corpus diplomatum colligeret; *Caput Breuium*; in hunc *impostorem* publice conclamatum; prototypon nullibi exstat. Istae autem insunt sententiae: — quia probitas tua in Saracenorum finibus (nam antea Sicilia Saracenis parebat,) ecclesiam dei dilatauit, et S. sedi ap. deuotam se semper exhibuit: nos in specialem atque carissimum filium eiusdem vniuersalis ecclesiae te assumsimus — quod omni vitae tuae tempore, et alterius; qui legitimus tui haeres extiterit, nullum in terra potestatis vestrae, *praeter voluntatem aut consilium vestrum, Legatum* rom. ecclesiae *statuemus;* quin imo, quae per legatum acturi sumus, *per vestram industriam Legati vice*, cohiberi volumus — si vero celebratur concilium, et tibi mandauero, quatenus epos et abbates tuae terrae mihi mittas, *quos volueris*, alios vero retineas — Pergit Baronius: sub *Carolo* 5 imper. ab *Aduocato Fisci* hoc diploma vt aliquid diuinum in sublime sublatum — 1525 d. 7 Decemb. datum legitur edictum *Caroli*, de confirmatione *pandectarum* impressi voluminis, in quo asseritur *Monarchia*, atque ipse seorsim scriptus legitur liber, qui inscribitur *Monarchia*, omnium consiliariorum subscriptione munitus — &c. *Baronii* parum fausta crisis flammis, vt scimus, in Hispania, tradita; In manu nobis est alia editio, cum *Baronii* respons. apologetica ad Cardin. *Columnam* et epistola ad Philip. 3. paris. 1606. 8. Facile intelligimus, *Rogerium* papae nihil *dedisse*, licet ille videri voluerit *dedisse* Rogerio. A. 1099 moritur *Vrbanus*, post concil. *romanum;* suffectus *Rainerius*, tuscus, nuper inter *cluniacenses* mon. iam cardinalis, nomine *Paschalis*

ſchalis 2; qui nuntium iſtum accepit, de occupatis *Hieroſolymis*; rex *Gottfridus* alios milites iam a papa petiit, quia plerique aut occiſi aut in patriam regreſſi fuerant; miſſus *Daimbertus*, aep. piſanus, legatus, ad *Francos* in Palaeſtinam; *Veneti*, *piſani* aliique aduerſarii mutui, rebus enim domeſticis ſtudebant omnes; itaque *reliquiarum* theſauri ex variis inſulis et locis graecis domum abſportati. A. 1100 tandem antipapa, quem omnino opprimere nulla vis poterat, mortuus fuit; eius fautores *Albertum*, et ſtatim *Theodericum* ſuffecerunt, ſed *Normanni* eos in exilium facile pellebant; *Maginulfus* tamen ſeu *Silueſter* 4, adiutore *Berto*, romanae militiae rectore, electus, aliquamdiu pontificis nomen non omnino vanum vſurpauit, quem *Warnerius*, princeps *Anconae*, auctoritate Henrici imper. defendebat. *Paſchalis* etiam bellicis exercitiis ipſe interfuit.

CAP. II.

De ſtatu eccleſiae publico, e conciliis et aliis monumentis.

Rerum ad hunc locum pertinentium tanta eſt copia et varietas, vt pauca tantum eligere nobis liceat; ſed dabimus operam, vt res vtiles et frugiferas hoc capite comprehendamus, licet omnes oculis ſubiicere, ſaluo corpuſculi huius modulo, non poſſimus, ſi maxime nobis improba et ferrea diligentia non deſit. Diuidemus autem ſic iſtam cauſſam, vt *primum e conciliis* vtiliora ſeligamus; *deinde* ex aliis monumentis alia addamus, quae ibi non attingebantur.

1. Concilia Germaniae.

Sequemur *Harzhemii* corpus, licet illiberale eius ingenium etiam per hoc ſeculum facile pateat. Vel ſub ipſum

ipſum tomi 3 initium exhibuit *ſynodalem* ſermonem, incerti auctoris; et ſtatim deſcripſit *Ratherii* veronenſis *ſynodicam* ad presbyteros ſuae dioeceſeos; miramur neminem adhuc id obſeruaſſe, eſſe omnino *eumdem et vnum ſermonem*, ſi quis quaedam ſub initium et finem vtriusque demat. Confer. ibi pag. 6 cum pag. 2, *Ammonemus* &c. Tam multa *clericis* praecipiuntur humilia et mediocria, vt mirum non ſit, tam imperitos et improbos homines boni et ſani, honeſtique nihil ad alios peregiſſe. Omnibus annunciate, vt nullus vxorem accipiat, *niſi publice celebratis nuptiis;* nullus per *poteſtatem ſecularem eccleſiam* obtineat, ſcil. ſine epiſcopi venia. Sequuntur decreta, *de ordine Synodorum* habendarum, ex libro 1. *Burchardi*, quo opus eſt, vt vanas caerimonias eius temporis perſpiciamus; *orationum* magna copia praeſcripta, partes *Euangelii*, pſalmi, cantica &c. Pag. 17 definitio *Adelboldi* ep. traiectenſis, defuncti 1027, quinam *laici* ex vaſallis epiſcopi ſynodo ſuo intereſſe teneantur; numerus *miniſterialium*; addit *Harzheimius:* hinc lectorem catholicum perſpicere, *quantus ſplendor* fuerit vnius epiſcopi, etiam in iurisdictione *temporali*, a regibus conceſſu, ab honorem eccleſiae. Noſtrum non eſt, eius rei aliam cauſſam ſuggerere, *politicam*; res omnino ſic habuit. *Dux Brabantiae* eſt liber feudalis eccleſiae traiectenſis, — et eſt *Dapifer* epiſcopi. *Comes Gelriae*, eſt *venator* Epi. *Comes Hollandiae* — eſt *Marſchallus* Epi. *Comes Cliuenſis* eſt *camerarius* Epi. *Comes de Benthem* — eſt *ianitor* Epi. Dominus *de Duke* — eſt *pincerna* Epi. *Dominus de Choer* — eſt *Signifer* Epi. Hi omnes fidelitatem praeſtiterunt coram domino *Heurico* imperatore &c. in *Tulpiaco* 1021. Nos hic addemus, ſimilia vel in monaſteriis inde ab hoc tempore non deeſſe; annal. corbei. a. 1047 tom. 2 *Leibnit.* rer. brunſuic. Significat rex *Heinricus*, *infeudatis miniſterialibus*, — quod abbati adiudicatum ſit: quod *vniuerſa officia eccleſiae ſuae*, ad ſuum nutum ſint inſtituenda; *exceptis quatuor principalibus*,

quo-

quorum bona nullius iuſtitiae vel aſtutiae interuentu ab ipſis officiis poterunt alienari; et quod *officiatorum filii* ſeniores et legitimi patrum officiis *ſuccedant pleno iure*. Nempe Epis et abbatibus iam a longiori tempore, percuſſura monetae, telonea, ius ſiluaticum, munitionum &c. conceſſa fuerant a regibus, vt aliorum dominorum, ducum, comitum, conatus et rerum nouarum ſtudia eo certius reprimerentur; et ii, qui e regio ſanguine, Epiſcopiis et abbatiis praeerant, regii honoris aliquod inſtar tenerent. Sic iſto tempore dicebant eccleſiam honorari, ſi epiſcopi et abbates inter comites et miniſtros palatii et rei publicae haberentur.

A. 1001 Synodus Romae, praeſente imper. in qua *Bernwardus Hildeshem.* epiſcopus, qui de aepi moguntini conatibus, conſecrandi eccleſiam *Gandersheimenſem*, queſtus fuerat, cauſſam vicit. Huius *Bernwardi* epi vitam *Tangmarus* deſcripſit, tomo 1. *Leibnitii* rer. brunſuic. pag. 441 ſeqq. Operae pretium eſt, ex vno vitae et rerum geſtarum exemplo, Epiſcoporum per hoc tempus in *Germania* amplam perſonam cognoſcere. Anno ſequenti in eadem cauſſa ſynodus in *Palithi* (*Pölde*) habita, praeſente Legato papae; ſed ei aep. moguntinus tam tribuit nihil, vt eo non obſcure contemto diſceſſerit; *ab omni ſacerdotali officio ſuſpenſus*, vsque ad papae praeſentiam; ſed ſine auctoritate manſit ſententia. Nec vel in ſynodo *francfortenſi* ceſſit moguntinus; a. enim 1002 in ſynodo *tudertina*, praeſ. imperatore et legato papae, eadem cauſſa agitata, *Willegiſo* mog. nondum parente; vid. eadem vita Bernwardi. Mors imperatoris interceſſit, poſt eum in conuentu epiſcoporum, ducum &c. *Mersburgi*, *Henrico* regi, *per lanceam ſacram* cura regni committitur, poſtquam *legem*, qua adhuc duces vſi erant, (quaſi *capitula* electionis,) confirmauerat. Iam perfecit *Sophia*, abbatiſſa in Gandersheim, vt a palligero, aep. mogunt. conſecraretur. A. 1004 Henric. in *Merſeburg* coram multis epis et *Leone* rom. eccleſiae bibliothecario, (qui nihil con-

tra-

tradixit) capellano ſuo Wiberto *tradidit* epatum merſeburgenſem, *dato ei nouo* archipraeſulis *baculo*, per quem ea reddidit, quae a Giſilario (magdeb.) iniuſte ablata erant. In ſynodo epiſcopus Conſtantienſis a. 1005 damnauit *litteras*, quas quidam *de caelo* ſe accepiſſe dicebant, quarum obſeruatione diuina ira mitigari poſſet. *Synodus* in *Arneburch*, praeſ. Henrico, prohibuit iniuſtas nuptias, et *chriſtianos* vendi gentilibus; ſed omiſit hic *Harzhemius* longe ampliorem *Synodum*, in loco *Trotmanni*, quam idem *annaliſta* Saxo hoc a. 1005 deſcripſit (ex *Ditmaro*, Leibnitii tom 1 p. 380); interfuit aep. colon. bremenſ. magdeb. epiſcopi XI, plurima eccleſiae inconuenientia prohibita, in obitu cuiusque epi, ſinguli miſſam pro defunctis celebrent; presbyteri *forenſes* miſſas 3, diaconi, X pſalteria; rex et regina infra 30 dies 1500 denarios erogent pro animae redemtione, totidem pauperes paſcant, 30 denarios impendant, et 30 lumina. Dux *Bernhardus* 500 pauperes paſcat, et 15 ſolidos impendat. *Vigiliam* S. Ioh. *Bapt.* app. Petri et Pauli, S. Laurentii, et omnium SS. *in pane, ſale et aqua decernimus ieiunandum* &c. Auctor vitae S. *Adalberonis* metenſ. ep. (in *Labbei* bibliotheca MSS.) narrat de ſynodo in *Theodonis villa*, in qua de matrimonio *Conradi*, ducis Auſtraſiae (Carantanorum) et *Mathildis*, burgundicae, controuerſia agitata. Priuilegium *Henrici* ep. *Wurzeburg.* de *bambergenſi* epiſcopatu, et commutatione locorum quorumdam inter regem *Henricum* et epum; (e codice *Vdalrici* ap. *Eccardum* tom. 2 corporis medii aeui.) Concil. in *Francfurt*, 1006, de epiſcopatu *bambergenſi* inſtituendo; nolebat iam *wurzeburg.* epus rem perfici, quia intelligebat, *pallium*, quod ſperabat, ſe non adipiſci. Interfuerunt epi 15; Henricus legatos ad papam miſit, qui confirmauit; Henrici *diploma* fundationis; in *viennenſi* exemplo apud *Gretſerum*, non parum differt ab excuſo; rex *Cancellarium* ſuum fecit primum Epiſcopum. A. 1007 in *Palithi* vetuſtam contentionem de *Hildeshemenſi* iurisd. in *Gandersheim* ſua ipſe

auctoritate compoſuit, *Willegiſus* paruit, et *ferulam* epiſcopalem *Bernwardo* tradidit; rex *conſecrandae* eccleſiae diem ipſe praefixit; haec cauſſa 1008 *Werlae* confirmata; praeter epos ſubſcripſit, dux *Weſtfalorum*, dux *Sueuorum*. A. 1009 rex *ſumta chirotheca* in locum mórtui epi paderbrun. dedit epiſcopatum *Meinwerco*, qui ipſe fatebatur, ſe *excellentiorem* epatum conſtruere valere e bonis propriis; iuſſus itaque inopiae huius ſubuenire; vita *Meinwerci* tom. 1 Leibnitii brunſuic. A. 1012 ſynodus *bambergae* pro *conſecratione* nouae eccleſiae per Ioh. patriarch. aquileg. *Ibidem* magna ſynodus, in qua 1) ratisbon. ep. a ſuo aepo arguitur; (incertum, quam ob rem,) 2) *Theodoric.* metenſis ep. a rege *Henrico* increpatur, eo, quod epiſtola ſuimet hunc iniuſte *apud papam accuſaret;* (paulo poſt epi *Confluentiae* hunc epum miſſam cancre vetuerunt *ante purgationem ſuae relationis*; rex hunc ep. et *alios rebelles* in hac ſynodo damnari iuſſit; chronic. *Quedlinburg.*) 3) *Ditmarus* ep. merſeb. poſcit, vt ſuae eccleſiae reſtituantur, quae *Giſilerius* olim diſtraxerat; magdeb. aep. reddidit 4 vrbes, *Scheudiz*, *Cothyn*, *Buchen*, *Wurcin;* et 2 villas; rex poſtea *Magdeburgi* ſenteptiam tulit: vt *parochiam cis Muldam* teneret merſeburg. quod vero vltra eſſet, *Miſnenſis*, (*Ditmar.* annaliſta Saxo.) Ineptum illud *priuilegium*, quod *Henricus*, coronatus iam imper. papae 1014 conceſſiſſe dicitur, (cuius exempla 4 Baronius contulit,) continet etiam, *Fuldenſe* monaſterium et *omnia monaſteria*, curtes et villas, quas in vltramontanis S. Petrus habet, confirmamus vobis, iis exceptis, quae Bambergenſi epiſcopo noſtro collata ſunt a S. Petri eccleſia, per commutationem; in quodam exemplari, ep. bamberg. ſubſcribit, ero rom. eccleſiae *ſubditus ſeruus;* ſic et *Wurzburgenſis*. A. 1017 in Conuentu in *Lietzgo*, de abbatia *Helmwardeshuſen*, *ab haeredibus* comitis Ekkeharti prolatae; ea abbatia, *regno eſt adiudicata*, quia nec in facultatibus nec in *miniſterialibus*, *regno ſeruitio* eſſe potuit; iam *Meinwerco* data. A. 1018 ma-

gna

gna ſynodus in *Niumagen:* ibi conſtitutum: antiquo exemplari *perlecto* (ſic in *Ditmaro* corrigendum p. 420 ex annal. Sax. loco, *periculo.)* vt corpus dominicum *ad ſiniſtram et calix* ad dextram ſacerdotis poneretur. Plures *ſynodi* ſequuntur, in *Gozlar*, *Mogunciae* &c. *Henrico* ſemper praeſente; in ſynodo in *Gruona* 1022 Henricus *bannum* aepi moguntini contra *Hildeshemenſem* ep. ob Ganderſheim, *ſoluit.* A. 1022 Synodus *prouincialis* in *Salegenſtadt*, ab *Aribone*, aep. mogunt. conuocata; canonum variat numerus; c. 3. quibus temporibus nuptiae non fiunt; 4. ſi presbyter poſt Galli cantum bibit, miſſam ſeq. die non celebret. 5. presbyter in die non amplius, quam 3 miſſas. 6. de *ſtultiſſimis* presbyteris, vt, quando *incendium videant*, corporale ad exſtinguendum proiiciant in ignem. 10. ne miſſae fiant, pro aliqua diuinatione. 15. vt nullus *Romam* eat, niſi cum licentia ſui epi. 17. quibus poenitentia impoſita eſt, ne eant Romam, pro indulgentia, niſi poſt poenit. Quod *omnes Slaui* decimas dent, ſicut alii. Idem hoc concilium ex copioſiori recenſione ſupereſt. Ex Epiſtolis quibusdam aep. Moguntini, (Harzhem. p. 61 ſeqq.) et ſuffraganeorum epiſtola ad papam, intelligimus: ex vnius *mulieris anathematizatae delatione* papam aepo interdixiſſe pallium; rogant hi papam, vt *dignitati ſuae conſulat* et ſi quid *incaute actum* ſit, id caute *reſarciat;* adeo de infallibilitate aut imperio papae nondum conſtabat. Ea hiſtoria nondum ſatis nota eſt. Synodus *Atrebatenſis* 1025, contra *haereticos*, qui *ab Italiae finibus* venerunt; erit autem haereſibus deſcribendis poſtea locus; ſunt potius hi homines aliis plerisque et peritiores et probiores. 1028 ſynodus ſeu conu. in *Francfort*, eporum 23, in cauſſa *Gandershemenſi*; *Sophia*, abbatiſſa, *nonnas* ſuas ab aep. moguntino recipere iuſſu. Synodus in *Geislere:* in qua aliquis *candenti ferro* ſe purgat, annal. Hildeshem.; frater imperatoris arma poſuit, et *inuitus* tonſuram accepit; *Gandershemenſis*, controuerſia in ſynodis 3 aliis vsque a. 1029 agitata; (vita *Godehardi*,

epi Hildesh. tom. 1 Leibnitii.) In ſynodo eius a. paderbrunnenſi aep. mog. *Aribo* petiit a *Conrado* et confratribus licentiam *Romam* eundi. Iſto tempore quaſi ſynodus ἐνδημουσα locum habuit, vt Cpoli; cum rege enim ad *Natalitium*, *Paſcha* &c. celebrandum ſemper aliquam multi epi verſari ſolebant. Sigebertus a. 1032 ſcribit, *Gerardum*, ep. cameracenſem, contra *litteras*, *quae coelitus delatae* dicebantur, ſententiam edidit; iſtae litterae *pacem* in terris ſuadebant, vltioni renuntiandum; *poenitentiae* multa genera reiiciebant &c. A. 1033 *Hermannus* contractus narrat, abbatem Augiae, *Bern*, miſſis Romam nuntiis a papa Iohanne impetraſſe, vt cum *ſandaliis*, epiſcopalibus indumentis, miſſas ageret; ſed ep. Conſtantienſis per imperatorem cum coartauit, donec *id priuilegium cum ſandaliis* epiſcopo traderet, publice in ſynodo ſua, *in coena domini*, *incendendum*. Tam mediocris adhuc fuit papae auctoritas. 1036 Synodus triburienſis, in qua Germanitas XL (numerus hic addendus ex annaliſta Saxone, annal. Hildesheim.) eorum priora decreta redintegrauit — *Otto*, de Schwinfurt, *cogente ſynodo* (et haec verba deſunt ap. Harzhemium) Mathildem, polonicam, iuramento a ſe abalienauit. Papa *Clemens* 2 *canonizauit* S. *Wiboradam*, inſtituto die anniuerſario, *Burchardus* de caſib. S. Galli c. 6. In Synodo *Wormat.* 1048 praeſ. romanis legatis, Tullenſis ep. *papa* conſtitutus ab imperatore, Leo IX. Hic 1049 *moguntiae* ſynodum habuit; aep. moguntinus *Legatus* rom. eccleſ. declaratur; legenda S. *Seruatii* lecta et *canonizata*; *Sibico*, ſpirenſ. ep. de adulterio accuſatus, ſacramento dominico ſe voluit purgare; contra *coniugia clericorum* conſtitutio per Synodum edita; et, *vt nullus fiat monachus*, niſi legitima aetate vel *ſpontanee*; (vita S. *Leonis*, tomo 2 April. in actis SS. &c.) In *Synodo* romana 1050 canonizatio S. *Gerardi*, epi tullenſis; (in ſynodica: quia nondum in *catalogo ſanctorum* humana corroboratione fortitus numerum,) In conuentu *Ratiſpon.* 1051 *Leo* S. *Wolfgangum* et *Erhardum*, ca-

noni-

nonizauit; *Wormatiae* papa *diaconum* moguntinum ab officio fuspendit, quia contra morem romanum lectionem cantaret; fed aep. mogunt. negauit fe facrificium peracturum, nifi miniſter ipſi reſtitueretur; *ceſſit papa ſtatim;* Hirſaug. chronicon. Conuentus in *Goſec* (prope Naumburgum,) a. 1053, fundatur ibi monaſterium, per aep. Bremenſem, e ſuo fratrumque (*palatini* praefides) patrimonio; *liberi homines* ſubſcribunt; poſt eos, *miniſteriales. Bambergam* papa confirmat, in alio conuentu, ſub *mundiburdio romano; canonicis* concedit ius certis diebus *geſtandi mitras: (Hoffmanni* annales bamberg. in corpore *Ludewigii.)* A. 1054 Moguntiae in conuentu Hildebrandus eligit *Gebehardum*, ep. aichſted. inuito imper. et epiſcopo, (qui ideo *monachos* non amauit,) quia cunctis in regno poſt imperatorem potentior et ditior fuerat, *Leo* Oſtienſ *Synodus dioeceſana* bambergenſ. 1058, de decimationis finibus inter *wurceburg.* et *bamberg.* dioeceſin. A. 1059 lites de decimatione Saxoniae, inter abb. *Hersveldenſem* et ep. Halberſtad. Burchardum; abbas moriturus epum citauit ad dei tribunal; is ipſe iam moriturus monaſterio reſtitui iuſſit; eius archipresbyter dicebatur *a diabolo ſuffocatus.* Chronic. Hirſaug. In *baſil. concilio* 1061 contra Alexandrum *Cadalous* papa conſtitutus, per *Guibertum*, cancellarium Ital. quia romani ad aulam german. non miſerant. Synod. *Auguſtana* (*Osbori* nominat Damiani) per aep. *Colon.* Annonem, contra *Cadaloum.* Diſputatio Synodalis, inter *Regis aduocatum*, et *romanae* eccleſ. defenſorem, transmiſſa ad hanc ſynod. auguſtanam, antequam haberetur, eſt *Petri Damiani*, qui *fingit* ſic in ſynodo actum, *et recte Romanos* papam elegiſſe, ſine *regia venia.* Ediderat iam *Baronius* ex Mſtis; quod *Harzheimius* non notauit. Inſunt *Hildebrandina* axiomata; *romanam* eccleſiam nemo homo, ſed *ille fundauit* &c. (ſic dictatus *primus.)* Miſſus a Romanis *Stephanus* cardin. *ab aulicis* Germanicis ita fuit ſpretus, vt per 5 dies ei *prae foribus* manendum fuerit &c. Facile credi-

mus, regis defenſorem hic ſuccumbere. Idem *Petrus Damiani* hortatus fuit *Annonem* colon. aep. *vt generalem ſynodum* cogeret, contra *Cadaloum*. Conuentus *tribur.* 1066, in quo tandem *Albertus*, aep. bremenſis, qui *monarchiam* tyrannidis vſurpabat, ex aula eiectus fuit, et *rerum publicarum adminiſtratio ad epiſcopos rediit* &c. *Lambert.* Schaffnaburg. Epiſcopi comitem *Wernher* in Ingelheim letaliter vulneratum, minis excommunic. cogunt reddere villam *Kirchberg* Hersfeldenſibus. *Synodus moguntina*, in cauſſa *Caroli*, qui ab *Henrico* de epiſcopatu *Conſtantienſi inueſtituram annuli et baculi acceperat*; mira eſt declamatio in laudes horum epiſcoporum; ineptus ſcriba omnia compilauit elogia, tunc caeli enarrabant gloriam dei &c. cum mundi conueniſſent vera luminaria; ad *papam* iſta etiam ſcribunt, *cuius mandato et hortatu coepta* et perfecta ſunt &c. *Gretſerus* primus edidit cum epiſtola aep. moguntini ad papam, in eadem *Caroli*, conſtant. epi cauſſa; vnde diſcimus, aepum *Romae* fuiſſe, et papam prohibuiſſe ei eius conſecrationem; *rogat papam*, vt *Petrus* claue ſua ipſum defendat, et *papae auctoritas contra regem* defendat. Prodromus Synodi *Erfurtenſis* a. 1073; ſeu epiſtola *Sigfridi*, mogunt. ad papam: — quia *corona regni et diadema romani imperii in manu veſtra eſt* — repetit querelam, de *decimis Thuringiae*. Synodus ipſa: noua partitio *decimarum* Thuringiae, inter aep. mogunt. abbatesque *Hersfeld.* et Fuldenſ. deſcribit malam aepi cauſſam *Lambertus*; abbatibus rex interdixit, ne rem ad papam deferrent. *Conuentus* abbatum et clericor. ſub epo Leodienſi, eod. a. contra abbatem S. Huberti, qui *exemtionem* a papa quaeſiuerat; (vita huius abbatis andagin. Theodorici ap. Mabillon. 6. ſeculo bened.) Confirmat Heinricus a. 1075-1077 decimationes *oſnabrugenſi* eccleſiae, contra abbatem corbei. et Herfordienſem abbatiſſam, *aureis litteris*; (vita *Bennonis* ep. osnabrug. per *Norbertum*, ap. Eccardum tom. 2.) Ex epiſtolis *Gregorii* 7 multae ad cauſas *germanicas* pertinent;

tinent; sed nimis longum esset, omnes hic recensere. A. 1074 miserat papa legatos, qui *Synodum* haberent, in causis *Simoniacis*; sed *Liemarus* aep. bremensis, et aep. moguntinus obstiterunt: quia *ipsi essent legati* apostolici; sed hi legati respondent: nec canonicam auctoritatem nec morem ecclesiasticum pati, vt *vltra obitum* eius papae, qui dederat, *protendatur* &c. (nempe, vt noui semper sumtus Romae faciendi essent.) Synodus *patauiensis*, sub *Altmanno* epo, a. 1074, qui recitauit papae litteras, *vt clerici abstinerent ab vxoribus*; sed hi responderunt: se *nec velle nec posse hanc consuetudinem deserere, quam ab antiquis temporibus constaret ipsos habuisse* sub *omnibus* antecessoribus episcopis. Praecipue oppositit se maioris eccles. praepositus et scholasticus: licere, dicens, *imperatori*, nec iccirco ecclesiae consortium amittere, si, non spiritualia, *sed regalia sua*, gratis, pretioue, impendat *cui voluerit*; tandem insanus epus (hunc *Vicarium* suum papa fecit,) e terris istis electus fuit; (*Hansiz* tom. 1 germaniae sacrae ex vita S. *Altmanni*, et gestis treuerensibus apud *Gretserum.*) Obseruabimus *hanc liberalem et iustam sententiam* in istis turbis. Similiter *Lambertus* Schafnab. de concilio *erfurtensi*, cui vel legatum suum, *curiensem* epum, papa interesse iusserat, narrat: *clericos* nouae legi, contra matrimonia, fortiter se opposuisse, vt aep. moguntinus in vitae periculum adductus fuerit, legatus autem ille vix saluus euaserit — se malle sacerdotium quam coniugium amittere; videret ille, cui homines forderent, vnde angelos ecclesiis pararet; etiam *Trithemius* in chronico Hirsaug. *Gregorius* 7 *Leodiensem*, ep. Theodoinum, iubet *Simoniam* et matrimonia clericorum reprimere; *peccatorum tamen absolutionem ei scribit*, vt apostolorum interuentu *inter electos* reperiatur. Synodalis aep. mog. *Sigfridi*, contra *matrimonia* clericorum. Epistola papae ad *Annonem*, colon. aep. in eadem causa. *Synodus* illa *wormatiensis* 1076, in qua *Hildebrandus* negatur papa esse aut posse esse; *Rolandus* publice Romae

formulam contra papam pronuntiauit. (*Lambertus*, Trithem. &c. *Bruno*, de bello Saxon. e quo deſcripſit ſua, et *epiſtolas Heinrici* ad Hildebrandum *monachum*, et Italos, annaliſta Saxo.) Conuentus *triburienſis*, eod. a. contra *Henricum*. A. 1079 conuentus *Vltraiecti;* ad miſſas, in omnium audientia, papa per epiſcopum Tullenſem, *Pibo*, anathematizandus erat, iuſſu Heinrici; ſed is timidus aufugit; peregit caerimoniam *Wilhelmus*, traiect. ep. quem, *vt aſſerunt*, ſtatim poena ſecuta eſt, vt clamauerit, *ardeo*; paulo poſt mortuus; *Lambertus*, *Hugo* Flauin. Facile credimus, tam ineptis mendaciis fingendis non defuiſſe inſana capita. Incerta eſt tamen mors *Wilhelmi*, quam alii iam 1075 ſtatuunt. Iam facile credimus atrociſſimam et foediſſimam rerum omnium perturbationem tot prouincias ſceleribus et flagitiis impleuiſſe; nomine *Simoniae* et impudicitiae, laici eiiciebant clericos; *gemini* epiſcopi et clerici, ius et fas confuſa, vt eſt in *chronico auguſtano* ab a. 1075 ſeqq. contra vbi *Henrici* partes ſuperiores erant, eiectis aliis rurſus ſchiſmatici et ſimoniaci dicuntur intruſi; (vita S. Altmanni.) In concilio *Moguntino* et Brixienſi, *Gregor.* 7 denuo anathemate percutitur et omnes eius fautores; (Conrad. *vrſpergenſis*, qui tam in papam inuehit, quam *Hugo*, flauiniac. in Henricum.) *Colloquium* iam ex vtraque parte; pro *Henrico*, epi *Colon. treuir. bambergenſis*, *ſpirenſ. traiectenſis*; pro papa, *Moguntin. Magdeburg. Paterbrun. Hildeshem.* orationem habuit *Gebhardus*, aep. Salisburg. ſed nil effectum fuit. Papae epiſtola ad *Altmannum*, ep. de eligendo, poſt *Rudolfum*, alio rege; hortatur, vt perſuadeat *Welfoni* et aliis, vt adhaereat b. *Petro*; et ſic ſperat, *Italicos* remoueri poſſe, (ſpe beneficiorum magnorum) ab Henrico. Formam *iuramenti* ſcribit papa, quod rex nouus *praeſtare* debet — fideliter per manus meas *miles S. Petri* et papae *efficiar*. (de iſta formula, *miles S. Petri*, plures ineptiae facile colligi poſſunt, ex hoc ſeculo, quo primum reperitur, vsque ad ſec. 15.) Papa *vult concedi*

tan-

tantiſper *matrimonia* clericorum. Conuentus in *Thuringia*, 1085, apud villam *Pertheſtad* (Berchach corrupto nomine;) nouus aep. Moguntinus, *Wecilo* defendit cauſſam Henrici aduerſus excommunicationem, iſto canone: *nullum rebus ſuis ſpoliatum ad ſynodum poſſe vocari, damnari*; pluribus deſcribit chronographus Saxo. Hic *Harzheimius* p. 199 nominat alium conuentum in *Gerſtungen*, ex *Apologia* Henrici 4 ap. *Freherum*; ſed eſt *idem ille* conuentus; nomen villae varie corruptum fuit. annaliſta Saxo eadem habet; *Harzheimius* nihil oculis ſuis vidit, aliter iam id obſeruaſſet. Hoc eodem anno *Hermannus*, aduerſarius rex, cum papae legato *ſynodum quedlinburgi* habuit (*Berthold.* conſtant.) Interfuerunt, Salzb. Magdeburg. Wurzeburg. Paſſau. Strasburg. Cizenſ. Moeſianis (Miſnenſis) Wormat. Halberſtad. Mettenſ. Mindenſ. Auguſtan. Conſtantienſ. Bambergenſis. Excommunicati, cum candelis, bremenſis, Hildeshem. Conſtantienſis (alius) Baſilienſ. Spirenſ. Mogunt. Auguſtan. Curienſis. c. 1. contra *Henricianos*, quod nulli liceat iudicium ſedis apoſtolicae retractare; *bambergenſis* aliquis clericus, *Cunibertus*, in mediam ſynodum ſe contulit, et dixit: rom. pont. hunc *primatum ſibi adſcripſiſſe* (recenter,) non aliunde conceſſum haereditaſſe; is a laico quodam refutatus per hoc: non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum. 3. contra *ſectam Wezilonis*. 6. indicta clericis, — ſubdiac. perpetua *continentia*. Concil. *moguntinum*, 4 aepporum, 10 eporum, contra Gregor. pro *Clemente* 2; *Gebehardo*, epo *pragenſi*, fratri *Wratislai*, ducis Bohem. et Poloniae reſtituta *Morauia*, ex priuilegio Ottonis 1, (annal. Saxo 1087.) Supereſt Epi *ſpirenſis* epiſtola, qua inuitat epos, Marchiones, Comites *Longobardiae* ad concil. Mogunt. — ego et *ceteri principes regni* decreuimus conuenire Moguntiae — ſcite, leuius extorqueri clauam de manu *Herculis*, quam in hoc negotio diuellamur a vobis. Conuentus *aquisgran.* 1087 eporum 9; imperator Henr. confirmat eccleſiae S. *Seruatii* in Traiecto libertatem per-

petuam; dominium *praepoſiturae* recipit, ille, quem regia manus in curia vel capella ſua *cancellarium* ordinauerit &c. incipit: In nomine SS. et indiv. trinit. et *victoriosiſſimae crucis* et S. *dei genetricis* Mariae (ſi placet formula,) Henric. &c. (ex Tomo 7 Maii, Bollandiſtarum.) Epiſtola *Vrbani* papae, e ſynodo romana, qua *Gebehardo*, conſtant. epo (e ducibus Zaringiae) *legationem* apoſtol. et procurationem ecclesiarum in Saxon. et Alamannia confirmat; ſed *Henricus* eum ſede eiecit. *Vlmae* 1093 conuentus magnus, per iſtum *Gebhardum* coactus; qui *Welfonem*, baioar. per manus in militem (Papae) accepit, et ſuum fratrem, *Bertoldum*, fecit ducem *Alemanniae*; ibi et alii principes promiſerunt, hunc epiſcopo in rebus eccleſ. obedientiam, et *Bertoldo, ſecundum legem Alamannicam*; *pax* in 2 annos *iurata*. A. 1094 idem *Gebhardus* ſynodum magnam *Conſtantiae* habuit; hic coniux Henrici publice inauditas ſpurcitias confeſſa &c. A. 1097 *atrebatenſis* ſynodus, epiſcopalis tantum; ex Synodo romana 1099 ad *Pibonem* tullenſem, reſponſa ad quaeſtiones; *ſubdiaconis* non licet matrimonium inire.

Adiecit *Harzhemius* digreſſionem ad ſeculum XI; agit, de *canoniſtis huius ſeculi*, tam in Germania, quam alibi. De defenſoribus *Henrici*; *Henricus*, e ſcholaſtico treuir. epiſc. vercell. ſcripſit ſub perſona *Theodorici* virdun. epi, ad Gregor. 7 *de diſcordia regni et ſacerdotii:* (edid. *Martene* tomo 1 theſaur. anecdot. p. 214 - 230.) *Walramus*, numburgenſ. epiſtola ad *Ludouicum*, Thuring. Landgrau. vt accedat ad Henricum; (appendix *Dodechini*) et, de vnitate eccleſia conſeruanda inter imperatorem et pontificem; edid. *Hutten* 1520. Moguntiae; poſtea *Schardius* et *Freherus* (*Apologia* Henrici; auctor ſcripſit *poſt mortem* Gregorii. Eruditus homo liberalique mente praeditus, quem legere eſt operae pretium;) verus auctor videtur adhuc ignari; *Alboinus* aliquis, antea aduerſarius caelibatus, poſtea ſententiam mutauit, *Bernaldi* auctoritate; *Palinodiam* edidit *Gretſerus*. §. 3. de *hiſtoricis*

huius

huius-seculi, quos *Henricus* et *Gregorius* habuit; *papae vitam* scripsit *Paul. Bernriedensis*, canon. in Bauaria; edid. *Gretserus*, et acta SS. tomo 6 Maii. *Gerhohi*, *Reicherspergensis* praepositi, syntagma, de statu ecclesiae sub Henrico 4. 5. Gregorio 7 &c. Acta vaticana apud *Baronium*; e *Bertoldo*, *constantiensi*, excerpta habentur in actis SS. tomo 6 Maii. Numerat *Harzheimius*, vt numerum faciat, libros XI registri Epistolarum Gregor. *Acta electionis* Gregor. 7. *Lambertum*, *Brunonem*, *Domnizonem*, in vita Mathildis, *Leonem* Marsic. in continuat. Leon. Ostiens. *Marianum Scotum*. Gloriabundus rogat, quid his et tantis coactis opponent fautores *Henrici*? *Benno* (auctor 2 librorum de vita Hildebrandi) a. 1535 primum editus, quo parente, deus scit, sine ratione enim cardinalem *Albensem* a Flacio, *Goldasto*, *Wolfio*, *Fabricio*, nominari; (omisit, etiam in *Gratii* fasciculo exstare, reiecerant *Bennonem* iam *Bellarminus* et *Gretserus*.) *Anonymus* auctor vitae Henrici 4. *Sigebertus*; confictae *orationes* pro Wilhelmo, traiect. et *Hugone*, blanco, sunt *Auentini* et *Goldasti*. *Conradus*, abbas vrsperg. nullam fidem meretur &c. Tam negligenter agit *Harzheimius*, vt nec *Menckenii* tom. 1. nec *Ludewigii* reliquias, tom. 9, ante annos tamen tum iam 30 editas adhibuerit; ille *Benzo* etiam *Muratorio* non ignotus fuit. Sed operae non est pretium, recensere ceteras Harzheimii digressionis partes; adeo abest diligentia, eruditio, et liberalis animus.

2. Concilia alia.

In Gallia inde a seculi initio quaedam synodi habitae, vt refert *Rudolfus Glaber*, sed exigui momenti; e. c. quaerebatur, vtrum *dies adnuntiationis* dominicae alio tempore, quam d. 8 Kalendar. April. coli posset; an *more hispanorum* 15 calend. Ianuar. celebrari possit — Concil. in *Anglia*, (sunt potius leges publicorum *comitiorum*, *sapientes* decernunt &c.) *Aenhamense*, inter annum 1006

1006 et 1013. canones 32 pro restituendo statu ecclesiastico. *gentilium superstitio* abolenda; contra *sagas*, *incantatores*; pax manu regis data, inuiolata sit; c. 11. de denario S. *Petri* soluendo, ad festum S. *Petri aduincula; animae symbolum*, (pecuniam sepulcralem vocant,) semper dependatur, cum sepulcrum sit effossum; etiam, si corpus alicuius *extra parochiam* sit positum. *Viduae* ad minimum bis senos menses se contineant. 20 vnusquisque christianus curet *suam christianitatem*, *confiteatur* — eucharistiam *saltim ter* quotannis percipiat. De correctione *numismatis;* c. 26, purgatio (de insidiis in regem) *ordalio triplici.* c. 30, eximia admonitio, ad clericos — christiani mercaturam *in die solis* omittant; 31, *mulctae* veniant in vsum sacrum; supereſt et *alia recensio* huius synodi. Leges ecclesiasticae, apud *Habam*, in Anglia, 1012 circiter, conditae; tres dies ante festum *Michaelis* ieiunium seruandum; nudis pedibus ad confessionem; presbyteri *processionem* — seruus si ieiunium frangit, *corio suo* componat; 3. cantetur missa pro rege, quae inscribitur, *contra paganos.* presbyter in monast. 30 missas; monachus, 30 psalteria. iudicia debent esse sine *Haderunga.* Concil. *tirnense* sub Benedicto 8, incerti anni. Contra matrimonia clericorum — ampla praedia de bonis ecclesiae infames patres infamibus filiis acquirunt, (haec est vera ratio *vetitorum* matrimoniorum, non vero sanctitas, aut mandatum dei) *filios suos* faciunt transire in *militiam* nobilium, vt diabolus voluit rapere diuinitatem — sic ecclesia et seruos perdit et acquisita — sic mendicat — filii clericorum, seruorum ecclesiae, *licet ex matre libera*, tamen nec matrem sequuntur in *libertate*, nec patrem in *haereditate* — Haec longa praefatio *praecipue* ad hanc caussam *de matrimon. clericorum pertinet.* can. 5 nihil perficiant, *per manus aut nomen* liberi; in carcere teneantur; quamdiu ecclesiae tradant *scriptiones.* c. 7. *iudex* aut *tabellio*, qui tales *illicitas chartas* scribent, anathemate feriantur. Hoc ecclesiae dei *testamentum* (sic

saepius

saepius occurrit, etiam de *Ottone*, qui *Brandenburg.* episcopatum condebat) — lege *Heinrici* Augusti firmari volumus. Epistola Papae *Iohannis* 18, ad *Iordanum*, lemouic. ep. de *apostolatu Martialis;* miras historias narrat de Martiali, a *Petro* baptizato, et cum Christo versato. Nempe inde ab a. 1023 de inani re magna lis in Gallia agebatur; *Lemouicenses* enim hunc Martialem, primum epum, alii, cum *Iordane* inter *Confessores*, alii cum abbate S. Martialis, Hugone, *Apostolis* addebant. Quia 2 synodi in Gallia rem tantam non composuerant, ad papam res delata. Ad papam *Benedictum* 8 iam *Iordanus* contra Apostolatum scripserat; epistola epi in *Gallia* christiana exstat, tomo 2.) Iam Iohannes secundum abbatem respondit, cessit *Iordanus;* in concilio *bituricensi* 1031 et *Lemouicensi* alio eiusd. anni, publicus hic honor agnitus, acta conciliorum ap. *Labbeum* in biblioth. noua mstorum, et ap. *Harduinum* pag. 848 seqq. tom. 6 parte 1. Tanti non est, vt hic verbum addamus, apud recentiores scriptores *Francicos* plura facile reperiuntur. *Launoius* in dispunctione Epistolae, de tempore, quo primum in *Galliis* suscepta est fides, tom. 2 opp. parte 1. cap. 9. p. 95 recitat potiora capitula; vnde eruditis satis constat, fabulis adnumeranda esse, quae vel *Papa* repetere sustinebat; ante sec. 11 in numero *confessorum* tantum habebatur. *Gregorius* tur. Martialem *sub Decium* ponit. Synod. *Helenensis*, in prato *tulugiensi* (e Baluzii de concordia qui retulit in a. 1047) *treuga* confirmata, vt nemo in episcopatu habitans assalliret inimicum, ab *hora sabbati nona* vsque *in die Lunae hora* 1; *treuga dei* solebat dici — nec assallire ecclesias aut domos in circuitu 30 passuum positas. — cum *excommunicatis* nemo debet loqui, nisi de satisfactione, non edere, bibere, nec pro mortuis iis orare — in anathemate mortui, damnantur in aeternum — Epistola *Canuti* regis, ad anglicos proceres, a. 1031. (Romam iuerat *pro redemtione peccaminum*, et pro salute regnorum suorum.) erat magna solennitas Romae cum papa Iohanne,

Con-

Conrado imper. impetraui, vt mercatores mei, et viatores, qui orationis causſa romam eunt, non per tot clauſuras et telonea fatigarentur; *Rudolfus* rex, dominator clauſurarum &c. hoc mihi firmarunt. Conqueſtus ſum, quod mei aepi *immenſitate pecuniarum* nimis angariantur, *pro pallio recipiendo*; decretumque eſt, ne deinceps fiat. (Iam hoc tempore!) eadem via redeo, per *Danamarchiam.* Synodus *bituricenſis* 1031; c. 2. *corpus domini* non vltra ſeruetur, quam a dominica ad dominicam. c. 8 vt filii clericorum non ſuſcipiantur ad clericatum; ſemen maledictum ſunt; c. 15 *caragium* vel *ſagmagium* in die dominica non fiat, niſi — 20. vt nullus filiam, aut vxorem clerici ducat. Plura concilia in Gallia, de *pace publica*, ſeu *treuga*, a. 1031 et *Glaber* 5, 1; *Gerardus*, camerac. non intereſſe voluit, quia *regalis iuris* eſt, non vero ſacerdotis, Hard. pag. 894. Leges *Canuti* regis; e ſaxonico; 1032. n. 4. magnum eſt, quod facit *ſacerdos*, ideo ei honor tribuendus; miri ſunt *exorciſmi et conſecrationes*, quibus in baptis. et euchariſtia hoſtis humani generis pellitur; *angeli circumfuſi* ſacra cuſtodiunt. Multa de *tributis eccleſiaſticis* — contra *barbarum adorationem* i. e. ſolem, lunam, fontes, ſagarum ſuperſtitiones — p. 908 ſeq. *vetuſta verſio latina* harum legum. *Leonis* 9 epiſtola ad *Thomam*, epiſcopum *africanum*; audimus, vix 5 ſupereſſe epiſcopos *in tota Africa*; *carthagin.* epiſcopus eſt totius Africae metropol. — non tamen vobis licet *absque conſultu rom. pontificis* — Epiſtola eius, ad *Petrum* et *Iohannem*, 2 alios epos Africae; ex epiſtola *decretali Clementis* patet, in ciuitatibus, in quibus olim *apud ethnicos* primi *flamines* eorum et primi legis doctores erant, *primates* vel patriarchae poſiti ſunt — *vbi archiflamines* fuerunt, ibi *archiepiſcopi* &c. haec comparatio omnino ſuo iure locum habet, et rem publicam chriſtianam corrupit. Alia epiſtola ad *Petrum*: *antiochena* eccleſia tertiam a *romana* eccleſia dignitatem retinet, quam te defendere monemus — *credo* ſanctam trinit. &c. abeſt *deſcenſus ad inferos*. Epiſtola

ſtola ad omnes epos Italiae, contra *rapaces abbates*, qui *ſeculares* illaqueant, vt res ſuas monaſteriis dent omnes, eccleſiis vero parochialibus, nihil; iubet *dimidium* dari eccleſiae. Papa p. 962 dedicat Petro *decimam* oblationum; beate Petre, ego &c. Epiſtola ad omnes epos Franciae, qua confirmat: corpus S. *Dionyſii* eſſe Regensburgi, excepta *particula minima manus dextrae;* Francos iubet, ſe conſolari, voluntate dei et *Dionyſii*, qui ſe per *Arnulfum* imperat. absportari paſſus ſit; fuit *deuotus et pius fur* — praecipimus igitur ne porro *vos et alios fallatis*; confer. *Launoii* liberalis diſputatio aduerſus *ludicram* hanc monachorum Galliae et S. *Emmerammi* controuerſiam, inter *varia opuſcula* de 2 *Dionyſiis*, tom. 2. operum parte 1 p. 571 ſeqq. obſeruat. XI. papae *diploma falſum* eſt, et ſerius *confictum;* ille *areopagita* dionyſius nec in Gallia nec in Bauaria vmquam ſepultus. Haec cauſſa ad huius temporis hiſtor. *eccleſ.* maxime pertinet, licet *Harzhemius*, *Moſtemius* aliique non attigerint; *Harduinus* vero vel verbo admonere debuerat, *falſum eſſe diploma;* huius generis fraudes multae adhuc latent, quia deſunt, qui *Launoium* ſequantur. *Baronius* ad a. 1052 X. ſeqq. dicit, laudandam eſſe *tenaciſſimam* pietatem vtriusque populi in ſanctos, (vel cum mendacio,) *deo ſic permittente*, ad maiorem gloriam *ſanctorum* ſuorum. Ineptit, vt ſolet, cardinalis; cur igitur, *ad maiorem* dei et ſcripturae gloriam, non patiebantur *diuerſas et contrarias* chriſtianorum doctorum *ſententias?* Confirmatio *priuileg. corbei.* et *cluniac.* fere eadem formula, vt ſolet; *corbeienſi*, quia ad ſedem ap. deuotus venit, vſum *dalmaticae* et *ſandaliorum* concedit. Epiſtola ad *Petrum Damiani*, tunc eremitam; approbat eius librum, *Gomorrhianus*; in eo *clerici* reprehenſi, qui *quadrimodam pollutionem*, contra naturam admittebant. Nempe, *matrimonium* tamen prohibetur? Pudet calamo deſcribere ea, quae papa breuiſſime ſignificat; pluribus autem ille *Petrus*, infanus matrimoniorum aduerſarius; exſtat tom. 3

ope-

operum, opusculo 7. Canones *Aelfrici* regis, ad *Wulfinum* epum, incerti anni; multa aduersus matrimonia clericorum; de 7 gradibus in ecclesia; *ostiarius*, campanarum sonitu &c. *lector est*, — et praedicat populo; *exorcista*; *acolythus*, qui candelam fert, subdiac. diac. *presbyter* et episcopus tenent eundem gradum, licet dignior sit epi pars. c. 20 presbyter habet arma, seu libros, psalt. epistol. Euangel. Missal libros canticorum, *manualem* seu *enchiridium*, *passionalem*, *poenitentialem*, et lectionarium. 23. presbyter euangelii *intellectum* populo dicet *anglice* et ipsorum etiam *pater noster* et credo. (linguae *vulgaris* vsus *in sacris*, *in diebus solis et missalibus* obseruandus; quia alii solent aliter sibi fingere, quos inter et *Moshemius* adhuc est, pag. 434.) n. 32, quidam *nihili pendunt oleum*, (seu *extremam unctionem*) et in *sua aegritudine non concedunt se vngi* — nemo praesumat vngere, *nisi exoratus* (non ergo inuitos vexat.) 33, 4 synodi sunt; (nihil de 3 aliis.) 34 vos sacerdotes — mundanis delectati, vultis *vicecomites* fieri, *bailliui* — in ecclesia *non potandum*, turpiter ludendum &c. quod tamen saepe fit. Leges *Edwardi* regis confessoris, incerti anni; quas *Wilhelmus* rex post *acquisitionem* regni confirmauit. Clerici et scholares habent *pacem dei* et ecclesiae. qui ad ecclesiam it, *pacem* habeat eundo et redeundo; 7. de omni annona, *decima garba* deo debita est. — decimum *caseum*, aut *decimo die* lac. 10 qui 30 denariatus *viuae pecuniae* in domo sua habet: lege anglorum, dat denar. S. Petri, lege Danorum, *dimidiam marcam*. 11. *Danegildum*, 12 denarii, ad milites conducendos, qui piratis obuiarent; ecclesiae liberae, vsque ad tempus Wilh. rufi, quo a baronibus auxil. requirente, ad *Nortmanniam* retinendam, de *Roberto*, fratre suo, curtehose, *Ierusalem proficiscente*, *concessum est*, ecclesia non excepta — 12. *pax regis* multiplex est; — *alia*, manu regis data; — *alia*, *die*, quo primum coronatus est; in natali domini, pascha, pentecoste &c. *Thesauri* de terra,

terra, regis sunt. 15, Archiep. epi, comites, barones, qui habent *sacham*, *Suche*, *sol*, — *infangthefe:* etiam *milites suos et proprios seruientes*, scil. *dapiferos*, *piacernas*, *camerar. coquos*, *pistores*, sub suo *friborgo* habeant; (confer. pag. de *ministerialibus* ecclesiae.) Concil. *Remense*, 1049, e Baronio; Papa ab abbate S. *Remigii* rogatus ecclesiam dedicare; in Gallia multi regi suadent, vt prohibeat; iam non tempus esse synodis; abbatem ex abundantia rerum pro vana gloria ista praesumere; longa narratio de S. *Remigii* corpore deportato — in concilio epi 20, 50 fere abbates; disceptatio de primatu *Galliae*, vtrum sit Remensis aepi an *Treuerensis?* — publica sententia et hic opus fuit, rom. epum esse vniuersalis ecclesiae primatem. Epis varia obiecti; epo *lingon. sodomiticum* flagitium, coniugem alicuius abstulit et post adulterium *monacham* fecit; eius satellites presbyterum, qui hic accusabat, cruciarunt, clauis acutissimis *genitalia* eius confixerunt; *niuernensis* epus fassus est, a parentibus plurimum pecuniae pro Epatu datum, sed ipso ignorante; *constantiensis* fassus, a fratre sibi, ignoranti, emtum fuisse epatum; *namnetensis*, genitorem suum fuisse epum, mortuo illi se surrogatum per pecuniam. Excommunicatus etiam S. Iacobi epus *Galliciensis*, quia sibi vindicaret *culmen apostolici nominis* — poculum ab abbate Herimaro papae donatum, casu fractum; papa *clam* crucis signum fecit, et coaluit, merito S. *Remigii*; nec aurifice iam opus fuit. Concilia in caussa *Berengarii*, capiti de *haeresibus* seruamus. Concil. coyacense, dioec. ouetensis. c. 3, — ita vt inter vinum, hostiam et aquam *trinitas* sit significata. c. 5 clerici, *qui ad conuiuia defunctorum venerint*, aliquid boni pro anima defuncti agant. Concil. *narbonense* 1054, *de treuga dei*, concil. *tolosanum* 1056. c. 5 ne clericus fiat monachus spe abbatiae; querimonia *Berengarii*, narbonae vrbis proconsulis, aduersus Guifredum, aepum narbon. — comes Guifredus adiuit parentes meos, et me pro aepatu, filio suo, decem annorum, acquirendo et

ſpopondit *dare* 100000 *ſolidorum;* ego feci, vt parentes ei darent, et dedit iſtos ſolidos — iam vero agit ſicut diabolus in me, aedificauit caſtra, fecit mihi guerram — idem poſt mortem vrgelitani praeſulis acquiſiuit hunc epiſcopatum, promiſſis 100000 ſolidis. — iam vaſa ſacra in manus *Iudaeoram aurificum* dedit, diſſipauit omnia, et quod peius eſt et inhoneſtum, commendauit ſe *manibus* ad comitiſſam Vrgeli. Nicol. 2 epiſtola ad epos Galliae, Aquit. Vaſcon. decreta concilii *romani* 1059 mittit; de *Iulianiſtis*, (clericis, qui tonſuram abiiciunt;) monachis, qui e monaſterio exeunt; ſic et in concil. *turonenſi*, 1060, c. 10, qui fuerit deſertor monaſticae religionis. Eadem omnia ex hoc turonenſi, *in remenſi* recitantur, pag. 1074, quod *Harduin* non obſeruauit. *Alex.* 2 epiſtola ad *Haraldum*, Nortmannorum regem, vt obediat *Hamburgenſi* aepo *Adalberto*; idem papa *cenſum* poſcit a *Suenone*, rege *Daniae:* cenſum regnum tui, quem *praedeceſſores* tui eccleſiae apoſt. ſoluere *ſoliti ſunt.* Idem pallium miſit ad *Petrum*, *Dalmatiae* et *Slauoniae* aepum. *Conſtitutiones*, quae a. 1067 *mediolanenſibus* praeſcriptae, contra clerio. matrimonia. Papae eiusdem epiſtola ad epos *Daniae*, pro ſynodo celebranda. Quaedam eius epiſtola ad *Wilhelmum* reg. Angliae; vt *denarius* Petri mittatur; pars rom. pontifici, pars eccleſiae S. Mariae, quae vocatur *ſchola Anglorum* — idem confirmat *Annoni*, aepo colon. abbatiam *Sigeberg* — qui pia deuotione obſeruarit, *peccatorum ſuorum omnium conſequatur veniam.* Epiſtola ad clericos *neapolit.* quidam *gradus* ſic computant, vt fratrum filios *quartam*, nepotes *ſextam*, pronepotes *octauam* generationem dicant; diuidunt vnum gradum in 2. epiſtola 38 ſimiliter, ad epos *Italiae*, agit de computatione graduum; reiicit *ciuilem.* 44, concedit *Gebehardo*, ſalisburg. aep. vt vnum *epiſcopatum* in ſua parochia conſtituat. conf. regiſtrum lib. 2 ep. 77. *Fragmenta* epiſtolarum; pag. 1114. (eſt et apud Gratian.) ſufficit presbytero *vnam miſſam* in die celebrare; — qui pro pecuniis *plu-*

res

res missas vno die faciunt, non existimo euadere condemnationem. p. 1115, *monachos* per vicos, castella, ciuitates *peragrare* prohibemus. *Roman. concil.* 1063. nemo missam audiat presbyteri, quem scit concubinam habere — *laicus*, vxorem simul habens et concubinam, non communicet — Concil. *barcinonense* per legatum papae, 1064. *abrogatae leges gothicae*, nouae sancitae; *sed ritus sacri gothici* vt abrogarentur, non potuit impetrare. a. 1068 recensentur concilia, quibus peractum sit, vt *romani ritus inferrentur.* Vid. corpusculum *Liturgia* antiqua *Hispan. gothica Isidoriana*, mozarabica &c. tom. 1 Romae 1746 fol. *Ioh. Pinii* tractat. historico chronologicus cap. 6. de variis vicissitudinibus, *officii mosarabici* seculo XI. *Moshemius* tantum ad *Mabillon.* et *Bonam*, ablegauit; sed operae non est pretium eos ad hanc rem aduocare. Conuentus westmonasterienſis 1066. de dotatione huius ecclesiae; — recensentur reges *Dani*, qui inuaserant regnum, *Suegen* (Suein) Cnuth, eius fil. *Harald*, *Hardecnut*, eius filii — concil. 1072, pro confirm *primatus cantuarienſis*, contra aep. *eboracensem.* Pag. 1178 sequuntur, b. *Lanfranci* aep. cantuar. epistolae canonicae. ep. 10, *infantibus* ante vsum rationis non esse necessariam *eucharistiam*; — non solum *ore edendum*, *sed et amore* et suauitate cordis; in conscientia habendo, quod pro nostra salute Christus — et imitando vestigia eius. — *quaestiones secularium litterarum* nobis soluendas misistis: sed episcopale propositum non decet operam dare his studiis. *Rothomagense*, 1072. c. 7. vt confirmatio, (donum spiritus s.) non detur nisi ieiunis et a ieiunis, *nec absque igne fiat.* 12, vt monachi et monachae compellantur ad monasteria sua redire. *Registrum Gregorii* 7 libr. 1 n. 7. omnibus principibus in Hispaniam proficiscī volentibus: non latere vos credimus, *regnum hispaniae* ab antiquo proprii iuris S. Petri fuisse; — qui velint terram ad honorem S. Petri ingredi, atque a paganorum manibus eripere, *sub conditione*, vt ex parte S. Petri possideant. (de iure S. Petri in

Hiſpaniam, libro 4, 28.) n. 17 ad ducem *Wratislauium*, Bohemiae; agit gratias, quod legatos apoſt. ſedis bene exceperit; queritur de *pragenſi* epo, *Iaromir.* 22 ad *Carthaginienſes*, vt patienter ferant impetus *Saracenorum.* 33 ad fratres monaſterii b. Mariae; non vult confirmare priuilegium Alexandri; manifeſtiſſimis indiciis patet, non ratum eſſe; *latinitatis corruptione* et *diuerſitate canonicae* auctoritatis. 35 ad ep. cabillon. Inuehit in *Philippum*, regem Francorum, eccleſiarum venditorem. — 36, mandat vt ab *Humberto*, lugdun. ep., ordinetur aliquis ep. matiscon. etiam *contra regis voluntatem*, et vel cogatur. 38 ad *Wratislaum*, bohem. confirmat *mitram*, quam poſtulans ab *Alexandro* impetrauerat. 44, ad *Iaromirum*, pragenſem ep. ei reſtituit reditus epiſcopatus; iubet cum *Ioanne*, moraueni epo, Romam veniat. 47 hortatur *comitiſſam* Mathildem, vt frequenter ſumat eucharistiam, et ad deuotionem erga Mariam. 58, ad *Geiſam*, ducem Hungarorum. 59 ad fratres ducis Bohemiae, Ottonem et Conradum, ne *olomucenſi* eccleſiae inferant moleſtiam. 60 ad Sigeſr. aep. mogunt. arguit eum, quod cauſam inter *Iaromir*, prag. ep. et *Iohannem*, morau. ep. ad apoſtolicam ſedem ſaepe iam delatam, *tamen ad ſe conuertere praeſumſerit*; (iure *metropolitani.*) 64. Hortatur regem *Alfonſum*, caſtellae, et *Sancium*, aragon. vt recipiant *romanum officium*, reiecto *toletano.* (ſic libro 3, 18 ad Simeonem ep. Hiſp. vt curet obſeruari romanum ordinem.) Liber 2 regiſtri 2. arguit *pictauenſem* epum, qui papae excommunicat. nihili fecit, eiusque legatum a rebus gerendis per ſuos milites abſtinuit. 5. ad Epos Franciae; mandat, vt regi reſiſtant; ſi obtemperare noluerit, totum regnum interdicant; idque de eius manu eripiant. 7. ad ducem *Bohemiae*, qui cenſum *centum marcas* argenti, romam miſerat. 13. ad *Salomonem*, regem Hungar. qui regnum a teutonicorum rege acceperit, cum ſit S. Petri. — *Henricus* 2 regnum illud ad honorem S. Petri expugnans, *lanceam coronamque* miſit ad

cor-

corpus b. Petri. 28 ad *Licmarum*, bremenſ. aep. quem murum pro *romana eccleſia* (papa) putabamus, prohibuiſti legatos apoſtolicos, a concilio habendo. 51. ad *Suenum*, regem *Danorum*: ſcire cupimus, ſi ſancta rom. eccleſia *tuo auxilio in militibus et materiali gladio* opus habeat, quae ſpes ſit de te? Eſt etiam non longe a nobis prouincia quaedam opulentiſſima, iuxta mare, quam viles et ignaui tenent *haeretici* (an Normanni?) in qua vnum *de filiis tuis*, ſi eum apoſtolicae *aulae militandum dares* cum multitudine militum, ducem ac principem et defenſorem chriſtianitatis fieri optamus. 53. concordia de controuerſia inter *pragenſ.* et *moraueńſem* epos. 63 ad *Geiſam*, Hungar. ducem; merito *Salomonem* dominio excidiſſe, quia non a romano pontifice obtinuit; ad eumdem eſt 70 — *quae hic minus ſcribimus, portitoribus tibi dicenda relinquimus*, quia de eorum fidelitate confidimus. (Sic ſaepe, iam a longo tempore, actum, itaque multa hiſtoriae deſunt adiumenta.) 73, ad *Boleslaum Poloniae* ducem; mittit legatos, pro eporum cauſſis, qui pauci erant, et metropolitano carebant; iubet reſtituere pecuniam, *regi Ruſſorum* ablatam. 74 ad *Demetrium* regem Ruſſorum; filius veſter ad nos venit, et quod regnum illud *dono S. Petri* per manus noſtras vellet obtinere poſtulauit — *nuntii noſtri alia multa, quae litteris non continentur*, viua voce explebunt. 75 ad *Suenium*, reg. *Danorum*; *plus terrarum* lex romanorum pontificum, quam imperatorum obtinuit — bonam de te famam accepimus — Liber 3. 15, Normanni *beatum Petrum* ſolum dominum et *imperatorem* habere deſiderant. 19, in *Africa* tantum 2 epiſcopi ſuperſunt; ideo tertius ad conſecrationem romam mittendus. 21. ad *Anzir*, regem Africae; qui chriſtianum epum Romae iuſſerat conſecrari; (adeo aequus et mitis dominus in chriſtianos; qui ergo vera ſunt, Saracenos oppreſſiſſe omnes chriſtianos, itaque opus eſſe *cruciatis?)* finis: vt deus te *in ſinum patriarchae Abrahae*, poſt longa vitae ſpacia perducat, rogamus. (Haec

formula notatu omnino digna; Papae eſt.) libro 4. omittimus, vt iam lib. 3, epiſtolas in cauſſa *Henrici*. 25, ad *Nehemiam* epum ſtrigonienſem. — viua voce plura hic nuntiabit lator, cuius in ore poſuimus. Lib. 5. 4. ad *Corſos;* inſula fuit antiquitus S. Petri. 10, ad regem *Daniae;* hortatur, vt imitetur patris fauorem in S. Petrum; patri ſuccurrat mortuo eleemoſynis. 12. ad *Michael*, regem *Slauorum* — in *dono vexilli* et conceſſione pallii audiemus Petri filium, ſi finita erit cauſa *raguſanae* eccleſiae. lib. 6. 2. ad Manaſſem, remenſ. ep. *legati* rom. non modo ſunt illi — 13. ad *Olauum, norwegiae* regem; 29, ad *Ladislaum*, Hungaror. regem. 40, ad Boſonem, vt eccleſ. *S. Sepulcri* de nouo vico, quae *iuris* eccleſ. *Hieroſolymitanae* et cenſualis eius eſſe noſcitur, liberam dimittat. Liber 7. 1 ad *Hubertum*, legatum in Anglia; quae *Teuzo*, aduerſus Regem Angliae dixit, ex nobis mandata non fuerunt; rex ille, quod paganorum reges non faciunt, *prohibet epiſcopos* ab apoſtolorum liminibus (a. 1079.) 4. Ad *Wezelinum*, nobilem militem, vt regem *Dalmatiae*, quem apoſtolica conſtituit auctoritas, non inſeſtet. 5. Ad *Haconem*, regem *Danorum*. 6. ad *Alfonſum*, regem Caſtellae; mittit *clauiculam auream*, in *qua de catenis* b. Petri continetur; cetera, quae non ſcribimus, poſuimus in ore legati noſtri. 11. ad *Wratislaum*, Bohemorum regem; nobilitas tua poſtulauit, vt ſecundum *ſlauonicam linguam* apud vos celebrari diuinum officium (*Miſſae*) annueremus: ſcias non poſſe nos petitioni tuae fauere. — non immerito deo placuit ſcripturam ſacram quibusdam in locis eſſe occultam (haud dubie papa metuebat, ſi *ſlauonica* in lingua, chriſtiana omnis religio deſcriberetur, lapſura adiumenta nouarum artium papalium.) 21. ad *Aconum*, regem Danorum; vt patrem imitetur; reprehendit gentem iſtam, quod aeris corruptiones ad *ſacerdotum* culpas conferat — aut in *mulieres*. 24, ab abbatem *Hirſaugienſem*; abrogat priuilegium, (aduocatiae) ab *Alexandro* 2 olim, decepto, conceſſum *Euerardo*, comiti; Liber 8. 6, ad

ad epos Calabriae et Apuliae, vt ſubueniant *Michaeli,* (paropinaci,) qui iniuſte Cpolitano imperio priuatus fuerat; ſi qui *militiam* eius intrare ſtatuerint, eos admoneant, vt ſtrenue agant, atque *ſic a peccatis abſoluant.* 8 ad epum Salernitanum; gratulatur, de inuentione corporis *Matthaei* apoſtoli. 10 ad iudicem *Calaritanum:* ne aegre ferat, quod aepum Iacobum, *more romano,* iuſſerit barbam radere; mandat, vt et ceteri epiſcopi barbam ibi radant. 21 ad epum *metenſem;* demonſtrat auctoritatem ſedis apoſtolicae, in excommunicando rege *Henrico.* Liber 9. 1. ad aep. rotomag. *iubet pallium* impetrare, interea ei abſtinendum ab ordinatione &c. 2. ad *Alfonſ.* regem Caſtellae; fatetur, ſe in odium multorum incurriſſe, atque etiam apud regem male audire. 20. ad ep. *cantuar. Lanfrancum,* quem ſaepius Roman venire hortatus, iam mandat intra 4 menſes comparere; aliter ab officio ſuſpendit. Liber decimus in exemplari vacat. liber XI. et appendices 2. Concil. ſub *Gregor.* romanum 1. can. 24. de rebus temporis eius; contra matrimonia clericorum; papa non ſolum epos, ſed etiam *eorum ſubditos* damnare poteſt; parochiani *debent papae plus obedire,* quam proprio epo. Concil. *london.* 1075 repetuntur vulgati canones; ne *oſſa animalium* mortuorum ſuſpendantur, pro auertenda *animalium peſte. Wintonienſe* 1076, — ne *tintinnabula pulſentur,* quando Miſſa celebratur, tempore ſecreti. Concil. *Roman.* 5. 1078 — vt omnes epi in ſuis eccleſiis *doceri faciant artes litterarum.* Synodo *Iuliobonenſi* in Anglia 1080 praefixa eſt deſcriptio *treugae* dei. *Hugo,* ep. lugd. ſcribit ad *Mathildem, filiam b. Petri* vnicam; Epiſtolae 2 ap. Hard. parte 2 initio tomi 6. *Vrbanus* 2, narrat *Alexio,* imper. cpolitano, 300000 nomina in bellum ſacrum, ad *clarum* montem cenſa &c. Sub *Vrbano* tolet. aep. *Bernardus* Romam venit, iurauit papae, pallium et *primatum* Hiſpaniarum accepit. Concil. *Melfitanum* 1089 — c. 9. ne clerici *acephali,* in curiis morantes, viris et feminis ſubſint. Concil. *Sueſſionenſe*

aduerſus *Roſcelinum* pag. 1695 ſeqq. *Rochinghamenſe* 1094, vtrum ſalua reuerentia in papam, archiep. *Anſelmus* poſſit fidem ſeruare terreno regi? Concil. *placentinum*, 1095, in cauſa *Praxedis*, imperat. *Philippi* regis Francor. et *Alexii*, imper. graeci, auxilium petentis contra Sarac. can. 15 plerique contra Simoniam. *Claromontanum*, 1095. can. 35. 2. qui iter Hieroſolym. faciunt, his loco omnis poenitentiae eſt. 17 nullus clericus regi vel laico in manibus faciat *ligiam fidelitatem.* 28 ne quis communicet de altari, niſi ſeparatim corpus, et ſanguinem ſimiliter; *niſi per neceſſitatem et cautelam* (nondum laicis *vna* ſpecies tantum data.) Superſunt 2 aliae recenſiones canonum; 10, nullus princeps capellanum habeat, niſi quem epus *procuratorem animae* conſtituit. *Vrbani* decretum, de *primatu* Lugdunenſi, cui ſubeſt aep. ſenonenſ. Idem papa praefuit *lemouicenſi* ſynodo anni eiusdem. *Rotomagenſe*, 1096, *de treuga dei* confirmanda. *Turonenſe*, a papa indictum ob expedit. *Hieroſolymitanam. Nemauſenſe*, eiusd. anni; c. 3, quod *monachi ſacerdotio rectius fungi poſſunt*, quam *ſeculares.* Concil. *romanum*, *Guibertiſtarum*, 1098, ad *deſtruendas haereſes Hildebrandi* nouas, aut nomine pietatis renouatas. *Paſchalis* 2 epiſtolae; 3, ad Anſelm. cantuar. *inueſtituras* laicis non eſſe concedendas. 6. ad aep. *Poloniae*, defendit, legitime ſe poſcere *iuramentum fidelitatis*, aliter *pallium* ſe non daturum; *obiectiones* refutat. Iſta ſunt potiora ex *conciliis huius ſeculi;* nominantur plura: ſed nihil occurrit, quod ſit praeterea notatu dignum.

Ex aliis monumentis.

E longo monſtrorum et documentorum numero, quibus recte licet de ſtatu ſacrae rei arbitrari, pauca iſta eligimus. Multa habet *Rudolfus Glaber*; inde a libro 3 hiſtoriae. c. 7, multa ſanctorum *pignora reuelata* ſunt; reperta *pars virgae Moſis*; ad eam concurrerunt ex gallicis pro-

prouinciis et *Italia*; inde *senonensis* vrbs facta *ditissima*; hac plebis insania abusi non pauci; lib. 4, c. 3 narrat de mangone quodam callido, qui ossa hominum posuit in cassella et feretro, et dixit esse per angelum sibi reuelata; rusticos poenitet, quod non morbo quodam laborant, vt experiri possint tanta miracula; eo is plura sanctorum nomina confingebat. c. 6 de confluentia populi *ad sepulcrum domini* in Hierusalem; fatetur *Glaber*, multos ob vanitatem profectos, vt *solummodo mirabiles habeantur; Odolricus*, praesul aurelian. narrauit, se ibi vidisse *illud lumen* seu ignem, die magni *sabbathi*; emit *lampadem talem* cum suo oleo, libra auri, a *Iordano*, hieros. patriarcha. c. 7, in *Africae* partibus christiani voto se obligarunt, quicquid a Saracenis reportarent, *cluniaco* se oblaturos; *Odilo* abbas fecit inde ciborium. (Sic *Aldefonsus*, rex, dicitur *cluniac.* abbatis fuisse obedientiarius, contra paganos (muhammed.) feliciter pugnasse et *Cluniaci* aedificasse nouam ecclesiam, missa infinita pecunia; ap. Baronium a. 1093 n. 10.) *Liber quintus* inde ab initio prodit varias quaestiones. c. 1. apparuit monacho diabolus, et reuelauit secretum hoc: omnibus annis, die, qua Christus resurrexit, ab eodem vniuersa spoliari tartaro, et suos reduci ad supera. Auctor describit *formam daemonum*, cuius generis picturam seculo 8 iam e vita S. dedimus. Frater quidam solebat inter orandum in ecclesia *exspuere;* in visione aliquis eum reprehendit, itaque se continuit. — quidam culpabilis clericus, sumsit audacter *iudicio examinationis*, donum eucharisticae; cui protinus *per medium vmbilici egredi visa est pars candidissima*, quam sumserat; (S. Francisci *aranea* in conformitatibus in mentem redit;) *Chrisma*, quod a quibusdam *corporalis* (vide ante pag. 595 in concil. vetitum) appellatur, praestat multa remedia, si fides non sit dubia; *contra incendia* saepius eleuatum compescuit aut retrorsum pepulit; febricitantibus, salutem contulit; in monasterio *reomensi* fratres *chrismale* conto impositum eleuarunt contra flammas; statim se retorsit;

panis autem ille dominicus aura flante a contulo elapsus plus minus 2 milliariis auolauit. *Calix* sanguinis e manu sacerdotis labebatur; statim 3 monachis poenitentia pro ea re imposita, ne culpa sacerdotis et alios inuolueret in vltionem — alius confirmauit in *Africae* partibus: *prae cunctis* romani orbis valet *coenobium* maioris *monasterii in liberatione* animarum a daemonica dominatione; erat enim ibi a prima aurora vsque in horam prandii *continua missarum celebratio*, tam digne et pure, vt magis angelica esset quam humana. (adeo falsa notio de sacra coena valuit, vt, eius omnis caussa ad solum sacerdotem tracta sit.) c. 5, *Simonia* non solum in gallicanis epis sed etiam in omni Italia — *omnia quippe ministeria ecclesiastica ita* eo tempore, (circa medium seculi,) *habebantur venalia, quasi in foro seculari mercimonia.* Sed alia addimus. *Baronius* ex codice *Cassinate* ad a. 1001 n. 19 narrat, *Ottorem* 3 gestasse cum coronaretur, *mantum, in quo omnis Apocalypsis opere Phrygio erat auro insignita;* hoc altari S. Bonifacii et Alexii obtulit; abbas dedit ob nequitiam in pignus; sed S. confessor *Alexius* id vindicauit. *Pandulfus*, capuae princeps, calicem aureum e monasterio S. Benedicti abstulerat; sub eius mortem visiones non defuerunt; puer vidit eum, monstrantibus 2 monachis, in coeno immersum, mali spiritus eum sursum deorsum traxerunt; ipse per puerum iussit calicem reddi; solitarius aliquis autem noctu vidit nigros aethiopes foenum portantes, dicentes: praestolamur capuanum principem, vt in ignem eum ponamus. Eo mortuo *Vesuuius* torrentem resinae sulphureae eiecit &c. Ecclesiae *romanae formam*, in vrbe, descripsit *Baronius*, ex antiquo *codice vaticano rituum*, ad a. 1057 n. 19. Sunt in eccles. rom. 5 ecclesiae *patriarchales;* 1. (Iohannis) *Lateran*, quae et constantin. et *basilica Saluatoris* dicitur; habet *septem* cardinales episcopos, hosque dictos epos *collaterales*, itemque et *hebdomadarios*; sunt autem, *ostiensis*, *portuensis* &c. (nempe loco maiorum *ministerialium* quasi, vt papae maiestas

ieſtas augeatur.) 2. *patriarchalis* eſt S. *Mariae*, maioris; in ea ſunt 7 cardinales *presbyteri*. 3. patriarch. S. *Petri*, in ea 7 cardin. *presbyteri*. 4. eſt baſilica S. Pauli, in qua 7 card. 5. S. *Laurentii*, extra muros, 7 cardin. — ſunt praeter titulos, *diaconiae*, iisque praefecti *diaconi* cardinales, dicti *regionarii*, numero 12. *Diaconiis* regionariis praefecti diaconi *palatini* 6, cantant euangel. in palatio *lateran*. *Subdiaconi* ſunt numero 21. 7 Regionarii. 7 palatini, 7 alii, dicuntur *ſchola cantorum*. in vrbe ſunt abbatiae 22 &c. Praeter 7 collaterales, erant epiſcopi alii, qui dicuntur *ſuffraganei* Romani pontificis, nulli alii primati vel aepo ſubiecti. Haec ex Baronio breuius excerpſimus; ille vero conferendus cum *indiculo* tomo 1. ſcriptor. rer. german. *Menckenii* pag. 35, qui et illuſtrari et emendari e Baronio debebat. Aduerſus cardinalium et epiſcoporum *faſtum et pompam* multis inuehitur *Petrus Damiani;* leg. vel apud *Baronium* ad a. 1061, num. 51. A. 1021 dedicatio *Halberſtad.* eccleſ. in chronico *quedlinburgico* deſcribitur; *innumerae reliquiae*, altare *in medio* eccleſiae; altare *auſtrale; aquilonare*; in occidentali parte, *altare auſtrale*, *aquilonare* — Epiſcopus *Arnulfus*. halberſt. poſt initium ſeculi, ciuitatem pontificalibus veſtimentis indutus circumeundo *aſperſit et benedixit*; ab imperatore impetrauit *Mercatum* in *Oſterwick et Halberſtad*, cum teloniis ac monetis et regio banno, et regalem *Heribannum ſuper milites* liberos et ſeruos Halberſtad. eccleſiae; ſcribi etiam fecit terminos *dioeceſeos halberſtadienſis* in hunc modum; exſtat in chronico *Halberſtad.* tomo 2. *Leibnitii* pag. 120 ſeqq. Poſt mortem *Henrici* ſancti imperatrix veſtem religionis in Bamberg ſumſit. Epiſcopus Halberſtad. *Branthog*, ob paupertatem terrae, ſpontaneum elegit exilium, aſſumens *Conradi* regis legationem *ad Graecorum* regem. Alibi legimus tale exilium *in terram ſanctam* poenae loco decretum, vt narrat *Dlugloſſus* a. 1039 de *Wratislao* duce Bohemiae queſtos legatos *Poloniae*; atque fuiſſe, qui ſtatuerent,

tuerent, per triennium ei suscipiendam esse salubrem peregrinationem ad terram sanctam. Rex *Hungar. Stephanus Romae* iussit aedificari hospitia *Hungarorum*, qui orationis caussa *Romam* iuerint; idem et *Cpoli* ecclesiam condidit splendidam.

CAP. III.

De propagatione et impedimentis sacrorum publicorum.

Non desunt narrationes, de prolatis per hoc tempus sacris christianis; *Transiluania* subacta a rege Hungariae, et christianis sacris addicta; princeps *Geula*, et coniux cum filiis captiuati, post ipsum initium seculi, 1002, vt *Thwroczius* in chronica Hungar. c. 29, qui et narrat c. 30 de felici expeditione contra *Bulgaros et Slauos* gentiles; ex occupata *gaza* multum auri et gemmarum contulit ecclesiae *albanensi*; inter cetera 2 *rationalia*, vtrumque habebat oram contextam 74 marcis auri purissimi, et lapidibus pretiosis &c. Paulo post initium seculi *Bruno* ille cum 18 sociis inter *Prussos* occisus, ob praeconium Euangelii, seu quia speculatores *Prussi* pati nollent; *Ditmar.* lib. 6 et multi alii; Chronic. *quedlinburg.* (cum Sigeberto) ponit a. 1009, S. *Bruno*, qui cognominatur *Bonifacius*, aep. et monachus, anno XI suae conuersionis *in confinio Russicae* et *Lithuaniae* a paganis capite plexus; vita *Brunonis* d. 14 Februar. *Petrus Damiani*, in vita *Romualdi* de *Bonifacio* narrat, qui inter *Russos* feliciter praedicarit, regem et magnam gentis multitudinem baptizarit; postea a regis fratre interimitur. *Russi* nempe et isti *Prussi*, (complectitur *Pruzia* etiam *Liuoniam* et *Samogitiam*) non multo interuallo remoti; dicuntur etiam *Pincenati*. Dictus hic Bruno et *Bonifacius*, quia in monachatu nomen aliud susciebatur. Satis incerta ista sunt; reliquias *Bruni* dicit *Ditmar* a *Boleslao*, Chrobri, emtas fuisse; *Ademarus*

marus autem: *Russos* emisse magno pretio, et monasterium eius nomine exstruxisse; episcopum graecum post dies paucos venisse, et mediętatem prouinciae, quae adhuc paganica erat, ad morem graecum conuertisse. *Reinbern*, primus *colbergensis* (*sacrae* colb. non *falsae* colberg. legendum iam *Pagi* monuerat,) epus, filiam huius *Boleslai*, *Vladimiri* filii sponsam, in Russiam comitatus, hic et ipse hac occasione vsus, fana idolorum incendit; sed et *Wlodimiri* iussu in carcerem missus. Sensim et hic *Boleslaus* ad papae partes sic secessit, vt eo facilius e Germaniae nexu exiret; excusauit se papae, (*Ditmar*. lib. 6 a. fere 1013) quod *promissum* s. Petro censum nondum persoluerit. *Longinus*, (Dlugossus, eius *autographum* Romae exstat, Baron. a. 1020. n. 7.) narrat, Boleslaum ecclesias sui regni eximie auxisse et ditasse; idem tamen a. 1022 fatetur, nobiles quosdam Poloniae, ob onerosam decimarum solutionem *ritus christianos onerosos* dixisse, ad ritus pristinos rediisse, neglectis ecclesiis; conspirationem subnascentem tandem a Boleslao repressam. Facile credimus, cum inde ab *Alcuini* admonitione sciamus, clericos magis amasse *decimas*, quam *doctrinas*; itaque et anno 1012 *Slauos*, ob multas exactiones, ex auaritia noui ducis, Bernardi, ad *paganismi* necessitatem *coactos* scribit *Helmoldus* lib. 1, 16, et *Adamus* Bremensis, lib. 2, 32 qui ipse recitat narrationem regis *Danorum*, de inusitata christianorum sacerdotum caede &c. omnes *Slaui*, inter Albiam et *Oderam*, qui per annos 70 christianitatem coluerant, plus iusto a christianis iudicibus compressi, in commune odium talium sacrorum consenserunt. Idem *Helmoldus* saepius, cap. 24. 25 confirmat odium in christianos. Nempe humanitatis et iustae comitatis vix vlla apparent vestigia in tot narrationibus, conciliis &c. omnia ad fastum et luxum siue clericorum siue dominorum christianorum; vix de *Anselmo*, cantuar. narratur (in eius vita, apud *Baronium* 1097 n. 12) humaniter eum omnes accepisse, tam *paganos* (Saracenos) quam christianos; eos etiam mensae suae adhibuit; itaque

pluri-

plurimi etiam eius doctrinae se summisissent, si crudelitatem *Comitis* (christiani, Rogerii,) non formidassent; nam is reuera nullum eorum pati volebat christianum impune fieri. Hic *Rogerius* feliciter *Saracenos* ex omni *Sicilia* tandem eiecit, atque restituit *publica christiana sacra*, quae sub istis antea desierant; Rogerius passus est *Saracenos*, quotiquique vellent, magno numero, suis *ritibus sacris porro vti*; prudentissime omnino sic statuit *Rogerius*: non raro melioribus his, quam tam barbarice christianis, vsurus incolis. In Epistolis *Gregorii* 7 multa occurrunt alia, recitauimus ad regem Daniae, Sueciae &c. (sunt circa 1081); et libro IX ep. 14 ista est narratio, quae omni luce caret. *Ad reges Visigothorum* — gloriosis *Wisigothorum* regibus, L - - et A - - et populis: frater noster *episcopus vester*, suggessit nobis, *de noua gentis vestrae conuersione*, qualiter *relicto gentilitatis errore* ad christianae fidei veritatem peruenerit — enitimini, vt, qui velut *in fine orbis* ita et seculorum, ad laborandum in vineam domini introiistis — agite, vt quemadmodum de *praedecessoris vestri* laudabili fama sumus gauisi, — quia vero nouiter conuersos nondum doctrinam fidei et relig. sufficienter vos sumsisse putamus: volumus, vt frequenter ad hanc sedem clericos vestros mittatis &c. Negat *Baronius* se aliquid illustrationis caussa addere posse; nomen *Visigothorum* nobis imponit; an papa *Suecos*, an *Slauos* aliquos regulos intellexit? *Aduersus paganos* i. Saracenos tam in *Africa*, quam in *Sicilia*, pugnaturis promissa peccatorum venia, *poenitentibus* tamen, si placet, i. sacerdoti confessis et poenitentiae impositae loco militiam hanc amplexis. Sic certe propagata aut recuperata ditio christianorum, ergo et religio illa publica. Atque haec tandem caussa consilium quasi nunc maturum persuasit, terrae sanctae recuperandae, quae tam malignae fuit indolis, vt *Iudaeos* multos simul atrociae et caedi sacrae obiecerit. Liceat breuibus hic *Iudaeorum* dira fata describere, vt ab infando isto zelo, si placet, purae doctrinae et re-

religionis catholicae eo magis abhorreamus. Narrat *Rudolf. Glaber* lib. 3 c. 7, et praeter eum alii, *sepulcrum domini* a Saracenis euersum a. 1019, et quidem *Iudaeorum* artificiis, qui in vrbe *aurelianensi* et numero multi et audaciores fuerint; ab eis *Robertum* aliquem ad principem *Babylonis* missum, cum epistola hebraica, quae ferri baculo fuerit indita, eius argumenti: nisi istam domum quantocius subuerteret, propediem christianos istud omne regnum occupaturos. Nempe iam *Syluester* 2 eius generis consilia agitauerat, sic proferendas esse res christianas in *Asia;* atque haud dubie, inusitata peregrinantium hoc tempore multitudo, facile rei fidem faciebat. Euerso templo statim patuit, per Iudaeos rem administratam; itaque, vt id per orbem diuulgatum est, communi christianorum consensu decretum est, vt omnes Iudaei e terris et ciuitatibus pellerentur; iam caedes Iudaeorum fieri; alii in flumina mersi, alii se ipsos interemerunt; non pauci *ad baptismum* metu compulsi; litterarum ille baiulus redux viuus combustus. Eodem tamen anno *babylonici* principis mater, e christianis, *Maria*, reaedificauit templum politis et quadris lapidibus. Idem tamen *Glaber* c. 6, narrat de comite *senonensi*, qui Iudaeos adeo dilexerit, vt *se regem eorum* suis omnibus imperarit. Nempe argenti amore, et hic fauit Iudaeis, et alii eis graues fuerunt; vt *Baronius* recitat, a. 1017 n. 6 Iudaeum aliquem fassum *Romae*, quod in Parasceue *in Synagoga Iudaeorum* imaginem Christi deluserunt, sicut fecerant domino parentes illorum; Iudaeis decollatis, cessauerunt venti, qui vrbem fere euertebant. In variis conciliis *contra Iudaeos* durae leges renouatae; praecipue autem illi, qui *contra Saracenos*, etiam in *Hispaniam*, proficiscebantur, Iudaeos interimebant; sic iam *Alexander* 2 in Epistola ad omnes Epos *Hispaniae* mandat, non occidendos Iudaeos esse; disparem esse eorum et Saracenorum causam. *Gregor.* 7, a. 1080 ad *Alfonsum*, regem Hisp. monemus, vt in terra tua *Iudaeos* Christianis *dominari* vel supra eos potestatem exercere,

cere, *vlterius nullatenus finas.* Tandem cum facerrimae ista turmae *cruciferorum* coirent 1096, etiam in *Iudaeos* quidam se coniecerunt, duce *Emicone* quodam comite, qui *reuelationes* non minus crepabat, tempus esse vlciscendi Christum in Iudaeis. *Moguntiae* circiter 900 interfecti, nec vel epus tutari Iudaeos ad ipsum cum thesauris confugientes poterat, aduersus *Hierosolymitas.* Sic et qui per *Boemiam* transierant, in *Iudaeos* irruebant, alios *baptizabant* inuitos, alios occidebant; nec profecit *Cosmae*, prag. epi studium. Idem *Emico* in alias ciuitates *Rheni*, *Moeni* atque *Danubii* desaeuiit; nec *Hungaros* a paganis distinxerunt, quia non tam religione quadam, quam barbarica cupiditate ducebantur; *Annal. Saxo*, ex *Vrspergensi* et aliis; nec desunt iam hoc tempore, qui impostoras *Petri*, (qui epistolam *caelo lapsam* ostentabat,) et aliorum, et turpitudinem publicorum scelerum, et gregem mendicorum, pigrorum, latronum, auersantur. Recte Heinricus his Iudaeis, qui ad baptismum coacti erant, *rursus concessit ritum iudaizandi*, *Ratisponae* 1097. Nempe nec iam valebat de baptismi sacramento ista opinio, quod vim quasi physicam secum ferret; aliter hoc imperator, si maxime vellet, efficere non potuisset. Etsi sic fere *Vrban.* 2 in Epistola ad Lucium, Harduini p. 1448, ex *Hieronymo:* quos baptizat *ebriosus*, *homicida*, *adulter* (tales hi cruciferi plerique) hos baptizat Christus; nobis sufficit, apostolorum neminem tam inepte iussisse baptismi vim describere. Non iam plura addimus, de *propagatione* sacrorum christianorum per *cruciferos*, qui eleganti illa, si placet, oratione: qui me sequitur, *crucem suam tollat*, et *viam domini* arripiendam, a papa *Vrbano* iussi sunt tam immania et scelera et propudia in se admittere; (*gesta Francorum*, ipso initio, edit. *Bongarsii.*)

De Haeresibus.

Iam vero, si placent tales auctores, *haereses* hoc seculo non paucae feliciter repressae fuerunt, atque sic religio chri-

christiana confirmata. Nempe, si *formulam* illam huius seculi patimur, *haereticus* est, qiucunque non sentit cum ecclesia romana. Ipse papa Leo 9, ad imper. et patriarch. graecum (1054 Baron. n. 14) quaecunque dissentit natio a romana ecclesia, iam non est ecclesia. Eos canones sacri vocant *haereticos*, qui cum rom. ecclesia non concordant *Petrus Damiani*, (eximius auctor,) in epistola ad *Cadaloum*, Baron. 1061. n. 13. Sed et *ius nouum* hic succreuit, si placet; epistola *Deodwini*, leod. epi, in caussa *Berengarii;* is ita statuit: huiusmodi homines *non oportet audiri*, neque tam pro illis est concilium aduocandum, *quam de illorum supplicio*, (quasi dei iure vtantur domini episcopi,) *exquirendum.* Tunc haeretici audiendi adhuc erant, cum quaestiones nondum ad unguem discussae, in dubium venire potuerunt; sed *nunc fieri non oportet*, quia *conciliis* et clarissimis patrum sententiis, omnia sunt eliquata. Hoc ius satis iniquum multos homines non solum emendatione et, si aderat, certiori doctrina destituit, sed etiam vita omnino priuauit. Bene etiam *Glaber*, lib. 2. 12 dicit, sic impleri Iohannis praesagium: satanam soluendum *post mille* annos; itaque haereticos multos ortos fuisse; plerumque ex Italia. *Rauennae Vilgardus* aliquis *studio artis grammaticae*, sicut hic *Italis* mos semper fuit, ceteras artes negligere solebat, stultior factus; ei daemones apparuerunt, eique gratias egerunt — coepit turgide multa docere *fidei sacrae* (eam fidem et nos iam nouimus,) *contraria*; dicta poetarum *credenda* esse asserebat; ad vltimum *haereticus* est repertus, et ab epo vrbis damnatus. Plures etiam per Italiam hoc tempore reperti huius pestiferi dogmatis, qui aut *gladiis* aut *incendiis* perierunt. Ex *Sardinia* quoque, quae his plurimum abundare solet, ipso tempore aliqui egressi, partem populi in Hispania corrumpentes, et ipsi *a viris catholicis* exterminati sunt. cap. 11, narrat de *Leuthardo*, haeretico, qui negauit, *decimas dandas* esse; Lib. 3, 8 de *Haeresi*, anno tertio de vicesimo infra millesimum, apud *aurelian.* vrbem reperta. Fer-

tūr a muliere quadam *ex Italia* haereſis in Galliam illata; a clero, genere ac ſcientia valentiores, *Hcribertus*, (qui capitale ſcholae tenebat dominium,) et *Liſoius*, ſuſceptam haereſin ad ad alios tradebant; presbyter *Rotomag.* quem volebant in ſocietatem adſciſcere, rem *comiti* et hic Regi aperuit. Rex concil. *aurelian.* coegit. Fatentur: deliramenta eſſe, quicquid in veteri ac nouo canone, de trinaque vnaque deitate, de creatione &c. exſtet; dictum eſt iis, niſi ad fidei ſanam mentem redeant, regis iuſſū *et plebis conſenſu* eſſent protinus cremandi. XIII igni traditi; ſectatores, ſi qui reperti, ſimiliter vbique fuerunt perditi; praeterea fidei catholicae vultus — vbique terrarum clariori emicuit. *Ademarus* addit: et cantorem aliquem, canonic. aurelian. *Theodatum*, iam ante triennium ſepultum, e coemeterio proiectum. Quaedam alia narrantur tom. Spicilegii *Dacheriani* (e quo etiam *Bulay* exhibet tomo hiſtor. vniu. pariſ. pag. 364); *Gerbertum* eruditionis cauſſa adiiſſe vrbem; ibi a *Stephano* et Liſoio corruptum; porro longam fabulam narrat, quomodo haereſis per fictum diſcipulum *Arefaſtum*, (qui cruce ſe muniit,) detecta fuerit: Chriſtum de Maria natum non eſſe, nec pro hominibus paſſum — *in baptiſmo*, nullam eſſe ſcelerum ablutionem, nec ſacramentum conuerti in corpus Chriſti, in conſecratione ſacerdotis. SS. *martyres implorare*, *pro nihilo ducebant*. — congregabantur certis noctibus lucernas tenentes, ad inſtar letaniae daemonum nomina declamabant; donec ſubito *daemonem* in ſimilitudine *beſtiolae* viderent deſcendere; iam exſtinctis luminibus, quam quisque primam arripuit mulierem, ea abutebatur, matrem, ſororem &c. Infans ex hoc concubitu generatus octaua die in medio eorum igne accenſo probabatur, more antiquorum paganorum; cremati cinis colligebatur, ad dandum morituris ad viaticum — rogati de ſua doctrina in concilio harum rerum nihil faſſi ſunt. *Arefaſtus* vero omnia dixit — poſt ſermones varios: dicunt iſta narrare potes iis, qui terrena cupiunt; *nobis autem*, qui legem ſcriptam habemus in

inte-

interiori homine, a spiritu s., nihil aliud sapimus, nisi, quod a deo *omnium conditore* didicimus. Notemus falsos testes; *Glaber* dixerat, negare trinitatem et *creationem*; aeternum statuisse mundum. Hic, *spiritum sanctum* et deum omnium *conditorem* laudant. Vix poterat regina, in ostio stans, plebis manus in haereticos cohibere; *Stephani*, confessoris sui, oculum baculo eruit — inde cremati sunt *cum nefario puluere*, praeter vnum *clericum et monacham*, relipiscentes. Facile perspicimus, hos homines saniores et probiores ceteris fuisse; alienos a superstitione, inuocatione sanctorum, a Mariae cultu, a transsubstantiationis fabulis &c. Nono seculo sanctos in Gallia nemo iubebat inuocari vid. *Agobardus*, &c. Iam frequentiores ardent rogi; *Manichaei* omnes statim dicti: regnant clerici, reges et comites adiuuant, si placet, religionem, armata manu, vt eo securius, vel improbe viuentes, clericorum amorem sibi concilient. Ista barbaries ad cetera secula vsque ad sec. 16 pertinuit. *Helgaldus* et hos *Aurelianenses* vocauit Manichaeos, et *Tolosae* et per diuersas partes occidentis inuentos fuisse *Manichaeos*. Porro *Glaber*, lib. 4, 2, de *haeresi* in Italia inuenta narrat (post 1024,) in Longobardia fuisse castrum, plenum nobilioribus gentis, qui ab haeretica prauitate recedere nolebant, vel mortem praeferentes. Colebant *idola paganorum*, et *cum Iudaeis* inepta sacrificia litare nitebantur. Ex eis mulier venit ad aegrotum in alio castro fidelium, et cum ea nigerrimorum exercitus; eius dux dicit, mihi fide — mea industria *Conradus* hoc tempore imperator est creatus; in transmarinis post *Basilium* regnum tradidi *Michaeli*, mihi obedienti &c. sic fabula finit. Nempe *nobiles*, qui clericorum continuis miraculis nihil credunt, *pagani* statim sunt; alii, *manichaei*. Anno tamen 1052 in *Germania*, *Goslariae* manichaei inuenti, et iussu *Henrici* imper. omnes in patibulis suspensi; *Hermannus*.

Sed ad alias veniendum *haereses*, quae eodem, i. e. nullo iure, non sine magno strepitu, hoc seculo *per catholicos*

licos fuerunt refutatae, repreſſae ſaltim. De *Euchariſtia* continuata fuit iſta controuerſia, quam inde a ſeculo 9, *Ratramni*, *Ioh. Scoti*, aliorumque ſtudiis ſcimus fere ſemper agitatam fuiſſe. Hoc ipſo initio ſeculi, 1004 *Baronius* narrat, de *Leutkerico*, ſenon. aep. (*Gerbertiis* olim diſcipulus, atque ab eo papa ad hanc dignitatem et primatum elatus,) eum, de *veritate* corporis et ſanguinis D. N. dubitantem, a *Roberto* rege correptum; *Helgaudus* in vita regis, dicit ſcripſiſſe regem: miror, qua ratione quaeſieris, pro tuo odio in ſeruos dei (monachos), *examinationem* (antea, *probationem*, an per ordalium?) in corpore et ſanguine domini, et, cum ſoleat dici a ſacerdote, corpus dom. n. *I. C. ſit tibi ſalus animae et corporis*, cur tu temerario ore et polluto dicas: *ſi dignus es*, *accipe* — priuaberis honore pontificis, niſi reſipueris. Quieuit et obmutuit aep. et ſiluit *a dogmate* peruerſo — quod iam creſcebat in ſeculo. *Bulaeus*, in hiſtor. vniu. pariſ. tom. 1 p. 355, vult quidem, eum tantum dubitaſſe, vtrum etiam indigni accipiant corpus Chriſti; atque eum ſecutus eſt *Moshemius:* ſed facile patet, qui ſic ſtatuit, tantum dignos accipere corpus Chriſti, negaſſe etiam transſubſtantiationem. Atque fatetur ipſe *Bulay*, *hinc* haereſeos de Euchariſtiae myſterio ſumi poſſe exordium; nempe, quod ad hoc attinet ſeculum. Scripſit *Fulbertus* carnot. ad *Leothericum;* atque idem Epiſtola 1 ad *Adeodatum*, ſcribit: tria eſſe neceſſaria ad ſalutem; trinitatem, baptiſmum, et *euchariſtiam* — eſt *myſterium*, non *disputandum* ſed metuendum; *fide*, non ſpecie aeſtimandum — deus aduerſus quotidianas offenſas ſacrificii nobis prouidit expiamenta — Chriſtus reliquit nobis — pignus corporis ſui, non ſymbolum, ſed *compaginante* Spiritu ſ. corpus verum — in nobis ille manet, non tantum per concordiam voluntatis, ſed etiam per *naturae vnitae* (humanae) veritatem, ſumimus enim verbum carnem cibo dominico; — quid indignum deo, ſi virginis vterum ſubiit, (nempe, vt *naſceretur* homo,) ſi virginibus creaturis *infunditur?* (ohe!

(ohe! magnifice!) quae substantia panis et vini apparebat exterius, iam corpus et sang. Christi sit interius. — Sapit ni fallor cibum illum angelicum, non *quod ore discernas*, sed quod affectu *interiore* degustes; exsere *palatum fidei* — per salutaris eucharistiae infusionem influit Christus in viscera *animae sumentis* — si deum omnia posse credis, ergo et *potest* has creaturas in excellentioris naturae dignitatem *conuertere* et in sui corporis substantiam *transfundere* (*posse* scil. nemo dubitat; sed an *velit* et sic faciat?) ista et plura ex *Fulberto* ap. *Bulaeum*. In *scholis* porro illa quaestio agitari solebat; itaque et in *parisina schola*, a *Berengario*, qui inter dialecticae magistros florebat; inde *Turonos*, atque porro *Andegauum* secessit. *Lanfrancus* dicitur dialectica eum facultate superasse, itaque maluisse iam ad *theologiam* accedere; sic *spretis maiorum auctoritatibus, scripturae sententiis* maxime vsus, contra *paruulorum baptismum* et *eucharistiam* disputare coepit. Solent *Berengarium* multi aequales contemnere, quasi liberalium artium imperitum; sed eis vel *Bulaeus* contradixit, nouitatis tamen studium ei exprobrat. Alii eum *necromanticum*, vna nocte Turonis Romam a diabolo portatum, &c. tales calumnias scimus populo rudi placere, vt eadem fabula in *Luthero* ostendit. *Ioh. Scoti* libros praecipue legit. Sub medium seculum, 1047 seq. publica controuersia orta, auctore *Lanfranco*, qui contradixit *Ioh. Scoto*, et defendit *Paschasium*, cum contra facere soleret *Berengarius*; inuidiae non fuerunt nullae partes; itaque *Berengarius* epistolam scripsit *Lanfranco*, offert, vt iudices et auditores eligat: se probaturum, si *Scotus* sit haereticus, etiam *Ambros. Hier. Augustinum*, esse. Epistola venit in aliorum plurium manus; *Hugo*, lingon. epus scribit contra *Berengarium*, (ille ob *Simoniam* ex sede deiectus.) — dicis, panis et vini naturam et essentiam non mutari, corpus Christi statuis *intellectuale* &c. *Adelmanus*, ep. brixiensis, scripsit similiter ad *conscholasticum* Bereng. (in *academia carnotensi* tecum vixi) auctoritatem

eccleſiae opponit. *Leo* papa, hoc tempore concil. *remenſe* habuit; ſed nihil de hac cauſſa exſtat in monumentis. A. 1050 epiſtola Berengarii ad *Lanfrancum* Romam allata; *Lanfranco* praeſente, qui narrat in libro de Euchariſt. ſacram. *in ſynodo* hic Berengarium damnatum fuiſſe; alia porro narrat *Durandus* abbas primus troarnenſis in tractatu de corpore et ſang. domini, parte 9. in concilio *brionenſi*, in normannia, victus dicitur; porro a conc. *pariſienſi*, totius Franciae, abfuit Berengar. cum *Brunone*, epo andegauenſi, fautore ſuo; damnatus hic *Scoti* liber. Fauebat ei et ſiluanect. epus. Nec interfuit concilio *vercellenſi* a. 1052, ſed miſit 2 clericos; itaque certum non eſt, eum hic aliam ſententiam profeſſum eſſe. *Victor* nouus papa poſt *Leonem*, per *Hildebrandum* 1055 iuſſit *turon.* concilium haberi. Hic *Berengarius* (archidiaconus ipſe turon.) cum optio data eſſet, aut *defendendi* ſuam ſententiam, aut accedendi ad ſynodum *vercellenſem*, communem eccleſiae fidem confeſſus eſſe et iuramento firmaſſe dicitur; ſic *Guitmundus* narrat. Dicitur et *Henricus* imper. 2 dediſſe operam, ne per *Berengarii* haereſin Germania inficeretur, Noua ſynodus in prouincia remenſi indicta, a. 1057, ob papae mortem, locum non habuit. Per egenos *ſcholares*, quos quotidianis ſtipendiis ſuſtentabat, haereſin ſuam clam dicitur propagaſſe; etiam libellis emiſſis. Itaque *Nicolaus* 2 papa concil. *romae*, ſeu laterenſe, 1059. (alii 1060) coegit, de 4 cauſſis, *inueſtitura* (hic *cardinalium* dignitas augere coepit;) *coniugio* cleric. *inuaſione* Norman. et quaeſtionibus *euchariſt.* In colloquiis *Nicolaum* tantum non ad ſuam partem traxerat *Berengarius*; itaque non haeſitauit publice ſententiam dicere, *figuram* tantum eſſe; diſputauit *Lanfrancus* et *Albericus* caſſin. diac. cum eo nullus valeret obſiſtere; et poſt multos conflictus neuter ceſſit; tandem *Albericus inducias hebdomadae* accepit, et librum ſcripſit contra Berengar. *patrum auctoritatibus roboratum.* Iam petit hic *formulam* credendi ſibi tradi; ſcribit eam cardinal. *Humbertus*; exſtat etiam in *Gratia-*

no

no, Ego Berengarius — anathematizo — consentio autem rom. eccles. — panem et vinum *post consecrat.* verum corpus — esse et *sensualiter* non solum in sacram. sed *in veritate manibus* sacerdotum tractari, frangi et fidelium *dentibus* atteri, iurans &c. librum *Scoti* ipse in ignem coniecit; suos etiam libellos, vt alii addunt. Hanc formulam misit papa per omnes prouincias. Sub alio rege Galliae, liberior iam Berengarius libellos *contrarios* scripsit; per vim istam formulam ipsi extortam. Epistola ad *Ascelinum*, monachum, defendit *Ioh. Scotum*; satis imperite respondet *Ascelinus*. *Arnulfus*, carnot. cantor (in spicilegio) fatetur: hodiernam ecclesiae consuetudinem alio et pene *contrario ritu* porrigere corpus domini, nempe *hostia sanguine intincta*; quod etiam *Iulius* papa dicit, potius *buccellam Iudae* esse. Ineptissime respondet, de *mutatione* variorum institutorum; — ne peccemus, debita deficiente cautela in *labris*, aut manibus; barbati pilos inficiunt — sacerdos si multis infundit, facile effundit aliquid. (Hic prima fundamenta ποτηριοκλεψιας.) — *ecclesiae praeualuit* consuetudo — ; nempe licet amentium et stolidorum hominum sit ista auctoritas, ne *sanguis Christi* barbae et pilis adhaereret! O ecclesiae curam et sapientiam! 2 quaestio, cur *hostiae pars quarta* (auctor, *tertiam*) in calice ponitur? sic olim 1) sacerdos. 2) diac. 3) subdiac. si alii non adsunt, et ceteras partes sumit sacerdos. Sacramentum *trinitatis* tamen inest; corpus domini est sacram. ecclesiae, haec constat 3 partibus, *praepositis*, *continentibus* et *coniugatis*; alii *aliter* (facile credimus,) explicant. 3. quaestio: si *totum corpus Christi* sumitur, cur separatim sanguis sumitur? — de quaestione *modestius* esset colloqui, quam discutiendo scribere. 4. quaestio (nempe ad *vanas quaestiones* nos Christus et Paulus respicere iussit,) si integer Christus sumitur, an etiam cum corpore anima? Solent *philosophice* multi, (*Berengariani* vtique) sic quaerere; si est *animatum*, cur non ex se monetur; si est inanimatum, quomodo est illud, quod surrexit

a mortuis? — omnia *credenda*, quae Spir. ſ. praecipit credenda (ſcilicet o bone!) — *qualitates* panis permanent, *ſubſtantiam* eius, quia ſacroſancta eſt, credimus non manere. — Anno 1061 in ſynodo *andegauenſi* (in conſecratione noui monaſterii) adfuit etiam *Berengarius*, eiusque haereſis damnata; *Bruno* autem epiſcopus *andegauenſis* reſpondit epiſtolae *Berengarii*, qui iudices cauſſae contra *Lanfranci* ineptias et inſanias petierat. — credimus fieri corpus poſt conſecrationem, ſecundum dei omnipotentiam; negat huius ſe cauſſae nouam quaeſtionem procuraturum. A. 1065 in *mantuano* concilio *Berengarius* dicitur ad palinodiam redactus fuiſſe; (ex *Lanfranco* recitat *Genebrardus* et *Bulaeus*, ſed temporis ratio falſa eſt.) Formula profeſſionis fidei contra *Berengarium* etiam in prouinciali concilio rothomag. edita, ſub aep. *Maurilio*, qui obiit 1067; quo tempore et *Guitmundus*, monachus, ſcripſit; qui libro 3 contra *impanatores* inuehit; non oramus, vt ſit *in* pane corpus, ſed vt fiat corpus.

Harum diſputationum occaſione in academia pariſ. *originem* ſectae *nominalium* ſeu, qui in *voce* legebant, et *realium* deſignat *Bulaeus* pag. 443. nempe non ſic intelligendum, quaſi hoc tempore iſta diſciplina duplex primum orta ſit, quae iam diu *Platonicos*, (ideae *aeternae*, reales) et *Ariſtotelicos*, *Stoicosque* (eſſe *notionem* in mente) diuiſit; eadem ſectae varietas per ſecuta ſecula locum habuit. Nos iam ſaepius admonuimus, rem eamdem inde a quaeſtione, quomodo *naturam humanam* ſuſceperit Chriſtus, atque per Monophyſitarum diſputationes, agitatam fuiſſe. Haec cauſſa tamen *auctoritate eccleſiae* vicit; iſta lis fuit ad eam parui momenti. A. 1073 Synodus in Pictonibus, ſub Aepo burdegal. contra *Berengarium* praeſentem; alia 1075 Pictaui, apud S. Hilar. praeſide legato Apoſtolico hic Berengar. fere interemtus eſt; 1078 (alio computo 1079 putat *Bulaeus*;) concil. *Romae;* eadem, quae *Hugo* Flauiniac. recitat, a. 1078 acta eſſe, in eccleſia Saluatoris, in *Synodica* ipſa *Gregorii*, quam *Baronius* cum

eum aliis, a 1079 exhibet, habentur; acta nulla supersunt, nisi illud instar, quod *Thomas* Waldensis se in annoso libro decretorum reperisse dicit. *Berengarius* satis benigne tractatus, atque papa ipse videbatur parum abesse ab eius sententia — quidam coecitate perculsi, *figuram* tantum adstruebant — (sic et seculo 9 adfuit, p. 353) *Berengarius* tandem errasse se confessus (nempe, sic sibi persuaderi passus) iurauit *in aliam formulam*, cuius ipse auctor fuit, (reiecta ista alius *concilii*, quod cum *infallibilitate* parum videtur consistere;) ego — confiteor panem — per mysterium sacrae orationis et verba Christi *substantialiter conuerti* in veram et propriam, viuificatricem carnem Christi, et esse verum Christi corpus, quod natum est de Maria &c. non tantum *per signum* et virtutem sacramenti (i. panis) sed in proprietate naturae et vnitate substantiae &c. papa praecepit, ne porro disputet cum aliquo, nisi ad reducendum ad fidem. Disputauit in hac synodo cum Berengario *Bruno*, postea epus signinus, et *Wulphelmus* abbas brunuillar. qui voti causa *Romae* fuit. Supereſt eius epistola ad *Meginhardum*, abbatem — Berengarius oculos corporis habet ad videndum panem et vinum, sed *oculos mentis* non adhibet, ad perspiciendum *in eisdem* carnem et sanguinem. — sed vt *dicente* deo olim facta sunt omnia, sic nunc (nempe, si sciremus deum velle hic *creare*;) — excitat acta Andreae. Post aliquod tempus redeunti *Berengario* papa litteras protectionis publicas dedit; mandat, Aepo turon. et epo andecau. vt comiti andicauensi, Fulconi praecipiant: ne porro *Berengario* molestus sit; aliud diploma, ad *omnes* fideles, vetat, ne quis porro *Berengarium* dicat *haereticum*. Hac in fide iam *Bulaeus* dicit eum mortuum, licet *Bertholdus*, constant. aliter narret; eius autem discipuli non defuerunt, quos inter *Hildebertus*, cenomanensis. Edidit *Martene* tomo 4 thesaur. anecdot. p. 103 seqq. *acta concilii Romani* huius, scripta ab ipso *Berengario*, ex codice *Gemblacensi*. Hic obseruandum, distingui *synodum* in *festiuitate omnium*

ſanctorum; (in hac dicit illam in formulam a ſe iuratum: profiteor panem altaris poſt conſecrat. eſſe verum corpus Chriſti, quod natum eſt de virgine — et vinum &c.) a *concilio* in *quadrageſima* (vſitato et fere annuo); papam iuſſiſſe, haec omnibus ſufficere. Sed *Paduanum* ſcurram et *Piſanum*, antichriſtum, effeciſſe, vt aliam formulam, ab iis ſcriptam, ſuſceperit, addito, *ſubſtantialiter*; (quod dicit facile ſic valere, ſalua ſubſtantia eius, panis ſcil.) oculo autem *cordis*, (non manui, denti,) eſt idem panis *ſubſtantia* corporis Chriſti. Ita verum (aliquando) enuntiatum eſſe ab ipſa veritate, vt eos lateret, quibus enuntiabatur, quid ipſa veritas diceret, exempla non deſunt. — duo ſunt in ſacrificio Chriſti; ſacramentum (panis,) et res ſacramenti; ſacramentum non amittens per corruptionem ſubiecti, quod erat; et res ſacramenti, minime nunc primum incipiens eſſe per generationem (creationem alii) ſubiecti, quod (iam diu) erat. — Chriſtus benedicendo pani et vino, *prouexit* panem et vinum in eam dignitatem, vt *praeter* (non *ſine*) *naturaſem* ſuſtentationem, ſint etiam ad ſalutem animae efficaces — ſic panis et vinum *non eſt tantum ſignum* vel ſacramentum, quod eſt impoſſibile, quia duo *ſunt ſemper*, ſignum et ſignatum, ſacramentum et res eius. — ego ita ſenſi: panem et vinum, *ſacrata*, eſſe *non alius cuiusquam* (corpus) ſed proprium Chriſti corpus, non fantaſticum, ſed *verum* et *humanum* — paratus eram *ad confirmationem per ignitum ferrum*; — iſtorum erraticorum putaui licere *inſonare voces*, non ad eorum ſenſum accipere; — papa dixit mihi portuenſe epo audiente: te puto recte ſentire ſecundum ſcripturas; ſed quia, *ad Mariam*, de his quae me mouent, ſoleo recurrere (pro inſpiratione; non ad deum, quaſi Paulus mulierem, ſed Maria excepta, tacere iuſſerit,) impoſui igitur monacho pio — is a Maria audiuit: nihil de ſacrificio Chriſti cogitandum nihil tenendum, *niſi quod haberent authenticae ſcripturae* (nempe ita *Maria* fauet *proteſtantibus* locuplete teſte Gregorio 7);

con-

contra quas Berengarius nihil habebat. 'Lepidum papae refugium! — iam papa postulauit, vt humi prostratus me erraſſe confiterer; ne a papa ſtatim anathematizarer et vulgus in necem, quam vellet, me raperet, feci, quod iubebat. — iam veniam a deo petit huius peccati. In epiſtola ad Alemannum: corpus Chriſti *immortale* et *impaſſibile* nunc — ergo concedo, poſt conſecrationem, panem et vinum facta eſſe *fidei et intellectui* verum corpus Chriſti! in ſcriptura non appellantur ipſae *res* ſacramenti, nec ipſa in ſcriptura ſacramenta, *figura*, *ſimilitudo*; patres vero ſolent ſacramenta ipſa ſic appellare — ipſum corpus Chriſti *verum* proponitur in menſa, ſed *ſpiritualiter*, *interiori homini;* ſpiritualiter manducatur tantum ab his, qui Chriſti membra ſunt; ab impiis tantum ſacramenta (i. panis, vinum.) Supereſſent, ex comparatione aliorum ſcriptorum eius temporis, multa; ſed iſta in hac cauſſa ſufficerint, vt quis ipſe arbitretur, quid omnino *Berengarius* ſenſerit; optandum erat, omnes chriſtianos id agere, vt *ſpiritualiter interiori homini* verum corpus Chriſti, noſtro bono traditum, ſemper apud ipſos inſtauretur, quoties ſacra coena vtuntur; phyſicum enim illud corpus, quod e Maria natum eſt pro nobis tum traditum eſt; hoc vero traditum corpus, *νοητον* iam vtique, niſi fides id repetat et cogitet, cetera diſputatio inanis et ridicula eſt. Qui plura velint, e maioribus libris facile colligent, ſed non ſine multo taedio; ad *Mabillonium* (in analectis, diſſert. de multiplici damnatione &c. ipſe *Martene* nos relegauit, qui non ſine ſpecie contendit: *transſubſtantiationem* praecipue negeſſe Berengarium;) idem in praefat. ad tom. 9 actor. Bened. parte 2. *Basnage* in hiſtoire de l'Egliſe, minus luculenter; *Oudin*, in diſſertatione de Berengario, tomo 2 commentar.) *Nat. Alexander* ſatis verboſus; e *Bulaeo* excerpſimus meliora; ipſa eccleſia publice nondum ſententiam ſtatam praeſcripſerat, licet transſubſtantiationem plerique amplecterentur. In hoc tamen ſeculum etiam pertinere videntur, illae et ſententiae ſeu opiniones variae, et quaeſtio-

ſtiones 23, de euchariſtia, quas ediderunt *Benedictini* ex *anonymo* quodam de *viduitate*, pag. 125 ſeqq. libri, *voyage litteraire*, pariſ. 1724. 4.

De *Haereſibus* aliis, quarum nomina varia ſolent a parte illa *catholicorum*, ſeu maiori, celebrari, vix operae eſt pretium plura addere. Haereſin *Nicolaitarum* dicebant, quod clerici in coniugio viuerent; de qua re plura ſuo loco excerpſimus; atque hic addimus, quod eſt ſatis dignum memoria: *Robertum*, comitem eburonicum, *archiepiſcopum* rothomagenſem per annos 48, cum vxore vixiſſe publice, et ex ea filios tres ſuſcepiſſe, quibus tres partes ſui comitatus diſtribuit; *Orderic. Vitalis*, et ex eo *Bulaeus* tom. 1 pag. 404. *Henricianam* et *Wecilianam* haereſin fatetur ipſe *Harzheimius*, exiguo iure ſic nominari. *In Italia*, e qua, vt ſupra narrabamus, tam multi haeretici in alias prouincias exibant, videntur iſti maiores *Waldenſium* occulte vixiſſe; quod ſatis patet ex concilio *atrebatenſi*, a. 1025 (ex *Dacherii* ſpicileg. edidit *Harzheimius*, tom. 3 pag. 68.) Ab *Italiae* finibus veniſſe auditores *Gundolfi* cuiusdam, qui hanc haereſin confeſſi ſint: mundum relinquere, carnem frenare, de labore manuum victum parare; neminem laedere, caritatem cunctis exhibere; ſeruata hac iuſtitia, *nullum opus* eſſe baptiſmi (nempe, a *catholicis,*) ea vero praeuaricata, baptiſmum non proficere ad ſalutem; *Sacramentum* ſi quis dicat latere in baptiſmo, hoc *tribus ex cauſſis* euacuatur, 1) vita improba miniſtrorum baptizandis nullum praebet remedium; 2) quicquid renuntiatur vitiorum, poſtmodum in vita repetitur. 3) ad paruulum non volentem, fidei neſcium, ſalutis et vtilitatis ignarum, aliena voluntas, fides et confeſſio nequaquam pertinere videtur. Longa refutatio epi additur; in ea: legimus omnes, quos Iohannes baptizauit, *rebaptizatos* a diſcipulis domini fuiſſe. Apparet porro, hos iſtas caerimonias, oleum &c. noluiſſe, *inuicem vero pedes lauiſſe*, cap. 1 fine. Tranſimus ad aliud *ſacramentum*, euchariſtiae, c. 2. — carnem particulatim

tim inciſam credentibus diſcipuli putabant, quaſi contra naturam hominum, humanam carnem edere; — ſed ſpirituali gratia me illis dando, *ipſos in meum corpus* transfundo — videtur panis ille ſanctus, quo conſecratur corpus domini; ſed *virtus dei verbi*, i. diuinitas, videri non poteſt. Adſcendit ergo Chriſtus perfecto corpore ſuo, et reliquit nobis ſacramentum corporis ſui. — non impoſſibile ei eſt, corpus, *quod incorruptibile* eſt (vt *Berengarius)*, et in caelis ſeruare, et in terris nobis communicandum praebere. Allegauit *acta Andreae;* ſed et pannos, in quos ſanguis Martyrum e reliquiis intrauit; *Plexis* aliquis monachus vidit, *quod fideliter credendum, et credduliter admirandum*, panis portionem *in infantem transformari*, et angelum domini particulatim illum *diuidere*, (o ſcythicam anatomiam!) *haeretici* his narratis ſtatim poenituerunt — c. 3. de eccleſia, quae eſt domus dei. — dicitis, eſſe caementa, lapides — conquirit omnia loca, de templo, in quo Chriſtus fuit — c. 4. de ſacro altari: dicitis eſſe aceruum lapidum. De *Thymiamate*, et incenſo, quorum vſum *et in caelis angelico miniſterio*, et in terris per patres obſeruari legimus. De vnctione ſacri olei. c. 5. de ſignis, (cloccis.) Moſes *tubas* argenteas. c. 6. de ſacris ordinibus, quos vos reiicere audiuimus. c. 7. de ſepultura, quam *auaritiae ſacerdotum aſcribitis*. c. 8. de poenitentia, quam abiicitis. — in eccleſ. hiſtoria audiuimus, apud Epheſum iuuenem a b. Apoſtolo Iohanne *in monaſterio* recluſum; (bene audiſtis! de *monaſterio* certe!) abſit igitur, vt lapſis poenitentiam (iſtam eccleſiaſticam) nihil proficere credant — c. 9. quod poenitentia poſt mortem proſit; defunctis etiam; qui pietate ſuorum viuentium a poenis releuati ſunt; nempe in hoc aut *futuro* ſeculo; iure a ſanctis doctoribus purgatorius ignis eſſe dicitur — vnde *Paulus* ait, quia vir fortiſſimus Iudas &c. (eſt ex 2 Maccab. 12, 43 ſeq. Epiſcopus autem mavult *Paulum* iſta dicere.) cap. 10, de connubiis, quae vos reiicitis dicentes, coniugatos in ſortem fidelium nequaquam com-

computandos, c. 11. de confessoribus; dicitis, praeter apostolos et martyres neminem iure venerari; in confessoribus nullum donum virtutis esse. c. 12, de psallendi officio, quod quasi superstitiosum cultum errori imputatis. c. 13 de veneratione dominicae crucis; quam dicitis ex errore hominum sic honorari; citat acta *Andreae*. c. 14, de imagine saluatoris in cruce; similiter de imaginibus sanctorum; non vt adorari debeant, sed vt per eas interius excitemur ad contemplandam gratiae diuinae operationem. cap. 15 de ordinibus ecclesiastici regiminis; quos in nihilum redigere laboratis; ad ordines angelorum sunt; e *Dionysio* areop. c. 14, de eorum falsa iustitia; omnia propriis meritis adscribitis, (sine caerimoniis et adiutorio sanctorum.) c. 17. iam episcopus, abbates et omnes: hanc haeresin, quae baptismum nil profuturum contendit, ad abluendam originalis culpae maculam et actualia delicta; et per poenitentiam peccata non posse relaxari; et sacramentum corporis et sanguinis nihil esse aliud, quam quod oculis cernitur — anathematizamus. — sed quia haec *latina oratione* non intelligebant isti haeretici, audita *per interpretem vulgarem* excommunicatione — credere se professi sunt, et ad confirmandum suae fidei *testamentum* vnusquisque signum crucis scripsit &c. Operae pretium fuit, haec copiosius excerpere; ergo hi homines *in lingua vulgari* de re christiana summa satis bene solebant tractare; haud dubie autem fecerunt, quod fecit *Berengarius*, promiserunt se credere, quod credit (sanior) ecclesia.

De *Roscelini*, compendiensis canonici, qui dialecticam *in voce* profitebatur, quadam *haeresi*, scriptores multi et eius temporis et recentiores egerunt; sed parum certae lucis illa causa adhuc ad nos secum fert; licet multi dicant circa *trinitatem* eum haeresin aluisse. Rei primum publicum monumentum constat epistola *Anselmi*, tunc adhuc *Beccensis* abbatis, postea aep. cantuar. quam ad *Fulconem*, beluac. epum scripsit, vt ipsum excusaret, quod indicto concilio *sueſſionensi* interesse non posset; falso *Roscelinum*

iacta-

iactare, idem sensisse *Lanfrancum* aepum et Anselmum; Concilii *Suessionensis* acta ipsa non supersunt; itaque solent repeti, quae narrantur, ex *Anselmi* quibusdam locis et *Iuone;* itaque ex *aduersariis* hominis, quorum fides satis certa non est, vt ad *Tritheitas*, cum plerisque, referri possit. Certius est hoc, *Roscelinum abiurare* quidem in concilio coactum, (ne a populo, orthodoxiae vindice, interficeretur;) sed postea suam sententiam porro defendisse. Scripsit contra eum *Anselmus* (librum de fide trinitatis et incarnatione); *Petrus Abaelardus*, *Theobaldus*, stampensis, (epistola in *Spicilegio* Dacherii, atque inde apud *Bulaeum* tom. 1 pag. 489 sed haec epistola agit tantum de hac causa, quod clericorum filios *Roscelinus* negabat ad sacros ordines admitti; haud dubie aliquos aequales e clero tangebat.) *Iuo* carnot. per epistolam, aliique. Recte *Moshemius* iam admonuit, ne *Anselmum* quidem ipsum satis certum esse, de *Roscelini* sententia, sed tantum hypothetice, si *narrata* vera sint, (si ipse similitudinem addiderit hanc,) *tres res* sunt personae diuinae, sicut tres homines, tres angeli; itaque separatas, eum multiplicare deum statuit, aut non intelligere, quid dicat. Nisi sint personae tres res: sequi patrem et Spir. s. ab incarnatione non excludi; sed minus constat, quibus rationibus et quorsum vsus sit. *Tria* vnum esse (vt dicitur Roscel. *vnam* trium voluntatem confirmasse;) iam a pluribus seculis *latini*, *graecique* dicebant. Id facile credimus, odii in *Roscelinum* haud dubie alias coiisse rationes; *dialectici* enim hominis prouincia ad theologiam clericorum publicam, atque ad concilium, nihil pertinebat. Admonuit iam d'*Argentraeus*, in collect. iudiciorum tom. 1. abbatem *Faydit* nuper fere in eandem sententiam gallice scripsisse. Vixit adhuc seculo sequenti *Roscelinus*, sed satis misere, et vix sine vitae periculo.

Grae-

Graecorum cauſſa.

De rerum eccleſiaſticarum ſub orientem ſolem ſtatu, hoc loco quaedam recenſebimus; omiſſis iis, quae remotiora atque obſcuriora adhuc videri poſſunt, etſi ipſa ſatis certa; cuius generis ſunt, quae de propagatione religionis chriſtianae per *Neſtorianos*, in Aſia narrantur, inter *Tataros*, in *Casgar*, *Tanguth*, *Turkeſtan*, vid. *Aſſemani* bibliotheca orient. vatican. tomo 3 parte 2. *Le Quien*, oriens chriſtianus, et *Moshemii*, hiſtoria Tatarorum eccleſiaſtica. Clariora illa ſunt, quae *latinorum* graecorumque ſcriptorum monumentis produntur; e. c. auctor vitae S. *Simeonis*, Armeni; ille tandem ſanctorum viſitandorum gratia etiam *Romam* venit, atque 1016 *Mantuae* mortuus eſt. Hic pro *haeretico* habitus fuit Romae, quia *in viſu*, inceſſu et totius corporis geſtu videretur haereticum agere. (Notabimus, quod poſtea ſaepius locum habuit, haereticos *pallore*, &c. diſtinctos.) Forte fortuna *armenus* aliquis epiſcopus *Romae* etiam fuit, qui cum Simeone plura *armenica* lingua locutus, tandem eum papae commendauit; et clericus, qui ad necandum haereticum populum excitauerat, a malo daemone obſeſſus fuit. *Baron.* hoc anno. Mira eſt conſiliorum *romanorum* varietas; *Graecos* ex Italia electos volunt, de religionis tamen, ſi placet, ſocietate, magnis ſtudiis actum, tandem et per cruciferos *Alexio* auxilia aduerſus Saracenos miſſa. Nempe iam a. 1018 *Benedictus* papa *Nortmannos* aduerſus Graecos in *Apuliam* miſit; (Rudolf. *Glaber* lib. 3, 1.) *Henricum* imper. et *Normanni* et *Papa* adierunt; is 1022 in *Italiam* exercitum duxit. Graeci non raro ſatis feliciter in Italia progreſſi fuerunt; ſed res iſtas bellicas facile ex *Muratorio* aliquis colligat. *Atenulfus* caſſin. abbas, *Graecis* ſtuduit, atque in itinere epolitano naufragio periit. A. 1024 graeci tentarunt a romano epo redimere titulum *vniuerſalis* epiſcopi. In actis S. *Martialis* lemouic. mentio fit 2 graecorum fratrum, qui ex monte *Sinai* venerunt in *Engolis-*

lismam vrbem; *Simeon*, manſit in galliis. Sub *Conrado* imperatore, epus Halberſtad. *Brantog* legationem *graecam* obiit. A. 1053 narrat *Baronius* de litteris *Petri*, antioch. patriarchae ad *Leonem* 9, quibus papam rogauerit, de cauſſis ſchiſmatis et diuiſionis eccleſiae vniuerſalis; (*Cerularius* dignitatem alex. et *antiocheni* patriarchae, quos ſibi ſubdidit, minuebat, Leonis epiſtola ad Michael cerular. anno 1054) cui papa reſpondit. Eodem anno celeberrima illa epiſtola *Michael. Cerularii*, patriarchae cpol. et *Leonis*, Acridiae aepi, ad Ioh. epum tranenſem, in Apulia, aduerſus omnem *latinam* (*Francorum*) eccleſiam innotuit; eam *Fr. Humbertus*, ſiluae candidae epus, latine transtulit. Contra *azyma*, (ἄζυμος, ab ἀιρω, a fermento eleuatus,) et Sabbatha in quadrageſima; ſuffocata edunt; *alleluia* non pſallunt in 40. Reſpondit ſtatim eodem anno *Leo* papa, (*Harduin* pag. 927.) Non eſſet iniucundum, ſi quis iocandi velit materiam quaerere, comparare inuicem, quid epiſcopi ex ſacris libris ſoleant congerere in mutuam inuidiam -- n. 7. *nonaginta* et eo amplius *haereſes* ab orientis partibus, vel ipſis Graecis, ortae ſunt; Cpoli vero olim *Ariani* &c. 12. Romam Conſtantinus – imperiali poteſtate et infulis et miniſtris *ornauit imperialibus*. 13. pauca ex priuilegio *Conſtantini*, eius manu cum cruce aurea ſuper Petri corpus poſito proferemus. 16. *Petri* perſonalia decora enarrat. 21. Paulus in epiſtola ad *Romanos fidem* eorum corrigere neceſſe non habuit. 23. abſit, vt credamus Cpoli eunucho promoto *feminam* aliquando ſediſſe; 29. vt fertur, *latinorum* baſilicas penes vos clauſiſtis – donec veſtris viuerent inſtitutis. Sed intra et extra *Romam* plurima ſunt *graecorum* monaſteria ſeu eccleſiae; ſed nullum perturbatur in ſua conſuetudine. Miſſae *Romam* alius et mitioris argumenti epiſtolae, haud dubie iuſſu graeci imperatoris, qui intelligebat, hac via parum ad rem publicam, (Apuliam &c.) profici; miſit itaque papa legatos *Cpolin*, pro arctiori eccleſiae ſocietate; *Conſtantinum* aliquem, monachum, *Humbertum*, cardinal.

et *Petrum*, *amalfitan.* aepum. Exstant epistolae papae ad *patriarcham* et imperatorem graecum ap. Harduin. p. 955 et *Baronium* a. 1054. Ad Constant. monachum scribit: tu enim post *nimium longas et pernitiosas discordias*, primus pacis et concordiae monitor — sub finem satis clare patent politica consilia, contra *Nortmannos* — postquam Roma diu obsessa fuit *a mercenariis, et non pastoribus*, (tamen Baronius contra dicit, fuisse legitimos papas,) — Descripsit ipse *Humbertus* legationis et colloquii, cum patriarcha et Niceta, monacho, (στηθατος dictus,) historiam. Anathematizatae scriptiones superiores contra Latinos atque in ignem missae. Nihil tamen actum, siue, quia *Cerularius* in imperatoris consilia politica non consentiret, siue quia fastu romanorum legatorum graeci absterrebantur, siue, quod latini queruntur, quia *Cerularius* nequiter et praue omnia impediret. Post legatorum latinorum discessum, qui *anathema* contra graecos latinis ecclesiis reliquerunt, ad *Petrum* Antioch. scripsit *Cerularius*, legatorumque superbiam reprehendit, atque ista omnia tantum *Argyri* technis tribuit; repetit etiam omnia quae *latinis* solebant a Graecis obiici, atque anathema in istos et hic praeit. Respondit *Petrus* sic, vt fateatur *Baronius*, hominem bilinguem fuisse, negat se Papam in sacris diptychis recitasse; distinguit errores latinorum; esse alia ita comparata, vt Graecorum nihil interfit, vtrum barbam radant, annulum gestent &c. inuenies etiam Cpoli multos, qui *sanguinem suillum* comedunt; munera, quae e Cpoli attulerant legati romani, *Thrasimundus* theatin. comes abstulit, tandem a *Victore* papa restituere coactus. Sub *Michaelis* huius patriarchatu, *Nicetas* protosyncellus edidit constitutionem, ne nuptiae fiant septimo gradu, quae exstat pag. 38 seqq. *Iuris oriental.* edit. *Henr. Stephani* 1573. *Constantini, Chliareni*, pag. 46, de iis, qui latrones occiderunt; sequuntur *Iohannis Xiphilini*, p. 48 seqq. Ad res eccles. etiam pertinet *Isaacii* Comneni, constitutio, περι τῶν κανονικῶν, hic pag. 36 seq. vt antiqua sanctio obtineat; nec capiat

piat epus, in ordinatione sacerdotis, praeter 7 numos aureos; *vnum*, quando eum facit λιτον παπαν, seu lectorem; *tres*, si diaconum: *tres* alios, si sacerdotem. Similiter a vico, qui habet 30 fumaria, *aureus* vnus datus, argentei 2, aries vnus; hordei, modii sex; vini, mensurae 6; farinae, modii 6, gallinae 30. *Patriarchae* ius auxit, interdicta administratione imperatoria; a patriarcha pendet delectus personarum et administratio rerum *ecclesiae Magnae*. *Sed et monasteriorum bona* fisco addixit, relictis tantum iis sumtibus, quibus opus esset monachis ad victum; quod supererat, aerario publico additum, sic ii, qui agros finitimos haberent, a monachorum auaritia liberati; rem recte laudauit *Curopalates*. Interea romanus epus rebus suis, vt potuit, studuit; fauorem tamen in Graecos prae se ferre non desiit. *Gregor.* 7 in Epistola ad *Guilelm.* burgundiae comitem, Harduin. pag. 1231 (a. 1074) rogamus, vt praeparetis vestrae militiae fortitudinem, et moneatis comitem — et ceteros, quos scitis S. Petri fideles; — hanc militum multitudinem non aceruamus, ad effusionem sanguinis christianorum, sed vt facilius subdantur iustitiae; speramus etiam aliam vtilitatem; vt pacatis *Normannis* transeamus *Cpolin* in adiutorium christianorum, qui a *Saracenis* afflicti, flagitant manum auxilii — certus esto, quod S. Petrus et Paulus te et alios duplici remuneratione donabunt. Sequitur pag. 1234 astuti papae epistola ad omnes christianos, — cognouimus per praesentium portitorem, qui rediit de vltramarinis partibus, paganos inualuisse contra christianorum imperium, et iam fere vsque ad muros Cpoleos omnia vastasse — debemus igitur pro fratribus animas ponere. Repetit idem alia epistola ad *Henricum*, regem, pag. 1284, satis callide de suo in Henricum amore concionatur, — christiani ex transmarinis partibus *ad me miserunt* — ego procuraui christianos prouocare, vt animam pro fratribus ponant — iam vltra 50000 se praeparant; *si me possunt in expeditione pro duce* ac pontifice *habere* — volunt vsque ad se-

pulcrum domini peruenire. Illud etiam me *ad hoc opus maxime inſtigat*, quod Cpolitana eccleſia de S. ſpiritu a nobis diſſidens, *concordiam* apoſtolicae ſedis *expetat*; *Armeni* etiam fere omnes a catholica fide aberrant, et paene omnes orientales praeſtolantur, quid fides Petri *decernat* — ſi illuc iuero, tibi poſt deum *romanam eccleſiam relinquo* — *Baronius* etiam ad *vltramontanos* epiſtolam recitat (exſtat apud *Harduin.* p. 1088) de adiutorio fratribus (graecis) faciendo, quos diabolus *a fide catholica conatur* auertere — ſatis intelligimus, papam ſuam auctoritatem etiam in Graecos iuiſſe propagatum. Sed *Henricum* non fefellit iſta papae fiſtula. *Alexii* ad *Henricum* litteras (ap. *Annam Comnenam* pag. 77 edit. *Venetae*) conferre opus eſt, vt intelligamus, quid adiutorii graecus imperator a papa exſpectaret, quem κακομηχανον, παλαμναιον, ἀλιτηριον, dei et chriſtianorum hoſtem appellat. *Vrbanus* ſub a. 1096 ad *Alexium* imper. ſcripſit, de ducibus romani exercitus, pro recuperanda *Hieroſolyma* — ad hos apparatus illud eſt neceſſarium, vt tuo praeſidio et commeatu tantae copiae adiuuentur — A. 1097 concil. *barenſe* de Graecis conciliandis cum Latinis; nihil ſupereſt, praeter deſcriptionem, in vita S. *Anſelmi*, cantuar. et apud *Wilhelm.* malmesbur. de *proceſſione Spiritus ſ.* actum; latini *clamore teſtantur gaudium*, ob *Anſelmi* facundiam, Graeci dolebant ſe praebere ridiculum; ſcripſit poſtea in libro de proceſſione Spir. ſ. copioſius. Anathema in alios dictum, Papa autem, *ſedato fragore*, *quem eius laus* excitauerat, dixit, benedictum ſit cor tuum, ſpiritus tuus, os tuum &c. Harduin. p. 1754. Iſta de Graecorum ancipiti cauſſa, ex Latinis; quae ſufficiunt, vt perſpiciamus *romani pontificis* conſilia. E graecis multa poſſent colligi, niſi breuitati obſequendum eſſet; narrat *Anna Comnena*, alex. libro 5 ſp. 103 edit. Venet.) a ſacris etiam pecuniis ſubſidia in bellum contra *Normannos* petita fuiſſe; donaria ex templis, quae minus iam ſolerent frequentari, ne a nocturnis furibus rapiantur, ſubtracta, in

mo-

monetam, vt exercitus posset ali. Res paucis placuit, et iam praecipue *Leo*, chalced. epus, homo nec eruditus nec a virtute commendatus, obstitit, cum auri argentique laminas valuis et parietibus detractas videret; inde multa inuidia in *Comnenos* succreuit. Eo homo venit, vt diceret, non σχετικως, sed λατρευτικως sacras imagines coli; in contumelias adeo prolapsus. Consenserant vero imperatori clerici maiores alii, itaque iste *Leo* sede sua deiectus fuit. Notatu dignum est, etiam *Manichaeos* 2500 fuisse in copiis, eorumque ducibus *Alexium* dedisse multam operam, paulo post poenas ab iis, contumaciter militiam negantibus, sumta, lib. 5. Alex. A *Sultano* Alexius *Turcas* impetrauit 7000, auxilii causa; tandem *conuentus* senatus militarium et clericorum habitus: vt quaestio de sacris bonis agitaretur. Edidit *Montfaucon* in bibliotheca *Coislin.* pag. 103-110 acta synodi, contra sententiam *Leonis*, chalced. metropol. qua iusto maiorem honorem imaginibus tribuebat. A. 1099 monasterium S. *Nicolui* Casularum (καστελλων) a *Iosepho* conditum, in diebus *Baimundi*, principis Antiochiae; (vid. codices Mstos bibliothecae regii *Taurinensis* Athenaei, fol. 308.)

De nouis ordinibus monasticis.

Adiumenta *Latinorum* sacrorum et papalis dominii non mediocria accesserunt hoc seculo, per nouos ordines monasticos, satis feliciter enim ista monastica consilia succreuerunt, per ista dissidia continua regni et sacerdotii. Nobis non videtur operae pretium, *sacrae*, si placet, *politiae monasticae* copiosius exponere et flagitia plane immania, et artificia callida; sanctitatis opinione plerosque omnes vincebant monachi *cluniacenses*, seu ad hoc *sodalitium* pertinentes. De *oeconomia* interna, quae magnis sumtibus constabat, leg. *dispositio rei familiaris*, facta a domno *Petro*, abb. cluniac. tomo 5 miscellan. *Baluzii*, pag. 443-453. *prouinciale cluniacense*, dedit *Miraeus*

libro 5, origin. monastic. pag. 296 seqq. idem lib. 2 c. 3 recitat *abbates*. Abbatiae sunt 17; prioratus maiores 250, praeter cellas, et decanatus; *Mabillonii* annales, et *Helyotum* et collection. *ampliss. Martenii* tom. 6 praef. non exscribimus. A. 1023 *Romualdus* in campo malduli fundamenta posuit ampliſſimae societatis *camaldulensis; Ziegelbaueri* centifol. camaldulense, seu notitia scriptorum camaldulens. fol. 1750. ordine alphabetico congestum. *Romualdi* vita est in actis SS. *Februar.* tomo 2. *Miraeus* lib. 2 c. 5. *Ioh. Gualbertus*, Florent. qui et ipse Camaldulum viserat, instituit paulo post monasterium in *valle vmbrosa*, abbas primus; vita eius apud *Mabillonium* seculi 6 actor. Bened. parte 2. alia *documenta* et *antiquas leges* edidit *Lami*, in *deliciis eruditorum* tomo 2. Monasteria sunt tam virginum quam virorum. Capite 6 *Miraeus* ordinem *grandimontensem* (quia *Muretum* prope hunc montem erat,) in Gallia auctoritate *Gregorii* 7, 1073, institutum recenset; auctor *Stephanus* sanctis additus, vt facile est ad credendum; legibus propriis vtuntur, non *Benedictinorum*. Nouus ordo etiam *Carthusianorum*, (a *Cartusia*, loco in rupibus, prope Gratianopolin,) 1086 institutus, a *Brunone;* de vera causa secessus Brunonis *Launoius* scripsit, atque trucem fabulam refutauit. Nec huic ordini defuerunt feminarum sodalitia. *Benedicti* regulam strictius, quam alii, sequuntur *Cistertienses*, quorum familia a. 1098 per *Robertum*, molismens. abbatem, instituta. Is enim cum sociis 21, quia compescere monachos non posset, *Cistercium* secessit, in comitatu beluensi; annales ordinis scripsit *Manriquez*, *Lugduni* 1642 fol. sed parum inest historiae frugiferae. Sanctos et beatos huius sodalitii recensuit Miraeus c. 8 et cap. 9 de ordine *vallis caulium* agit, sub reformatione cistertiensi. Sodalitas *Antonii*, sub finem seculi in Gallia coiit, aegris et miseris curandis studiosa, quibus S. *Antonius* in cella prope Viennam sepultus, dicebatur praecipue auxilium tulisse; *Antonio* igitur *Gasto* pater cum filio *Guarino*, quia eius beneficio valetudinem recuperassent, se et

om-

omnia sua donauit. De *Canonicis* multa hoc seculo colligi possunt, quorum mores non minus corrupti et praui esse solebant, quam monachorum; et profecto parum iucundum spectaculum praebent ista christianae religionis exempla, si placet, perfectiora. Nempe, si quis rem aestimaret, ex graui *formula professionis canonicorum* regularium, (qui bonis fere vt monachi renuntiabant, cum *seculares* sacerdotiorum fructus et reditus suos retinerent,) meram et austeram sanctitatem eos sequi statuendum esset. Exstat formula in annal. benedictin. tomo 4 in appendice, num. 76. — promitto — emendationem morum, praecipue in castitate, in communione, in obedientia. Ablegat ibi *Mabillonius* ad *Odonis*, canon. regul. epistolam praeclaram, in *Spicilegii* tomo 2 (edit. prima) pag. 525 sq. Ibidem n. 77 edidit *Mabillon.* concilium romanum sub *Nicolao* 2, de emendatione *regulae* canonicorum; ne propria retineant, et contra nimium victum, qui est pro *marinariis*, et *matronis*, vt habeant, vnde concilient sibi greges liberorum. In histoire de Languedoc tomo 2, inter documenta, habetur *Vrbani* 2 diploma, pro institutione *canonic.* regular. S. Pauli narbon. num. 304: *canonicos* instituit S. Martyr *Vrbanus*, *Augustinus* et *Hieron.* informauit, &c. Edidit *Miraeus* in auctario Regulae *canonicorum* cap. 19, ex *Wazonis*, decani, epistola monitoria, de officio praepositi et praelati, seu decani in ecclesia *Leodiensi*, ad Ioh. praepos. leodicensem circa a. 1030 scripta — instruat nos *colonienſis* disciplina claustri; vbi domnus Aepus saepe scholas visitat propositis quaestionibus, vtiliores donis magnificat &c. quaedam ex *Iuone*, carnot. Idem pag. 141 collegit indicem *collegiorum canonicorum*, sed non satis copiosum; plura de *ordinibus* in etat des lettres, historiae litterariae Franciae praemisso, tomo 7. Monasteriis multa accesserunt per venditiones eorum, qui *hierosolymitanam* militiam subierant; vid. histoire de Languedoc ibid. num. 219. 321.

CAP. IV.

De eruditione et scriptoribus huius seculi.

1. Sub occidentem solem.

Succreuit hoc seculo eruditionis corruptio atque impedimentorum copia. *Scholae* quidem satis multae, et virorum, qui ab eruditione varia laudantur, numerus non paruus potest recenseri; sed vel *graecae linguae* atque scriptorum *latinorum* vetustiorum illa consuetudo deficit, quae superiori seculo hic ibi supererat. Exemplis satis constat; vid. quae *Tangmarus* narrat, in vita *Bernwardi*, epi hildesh. qui ipse *primicerius scholae puerorum* et hunc instituit; *legendo*, *poetizando*, — saepe *syllogisticis cauillationibus* — artes etiam *mechanicas* coluit; in *scribendo* enituit; *picturam* exercuit; *fabrili* structura, *arte cluſoria*; omnique structura (architect.) excelluit — cap. 1 et c. 5 similiter haec commemorat, *musiuum* in paiimentis ornandis studium addens. Artificia acupictoria, sculptoria &c. non parum floruerunt; testes sunt illi ornatus templorum, vasorum, vestimentorum, (leg. e. c. vitam *Meinwerci*, c. III *stolae* — ex quibus vna habuit 27 tintinnabula — corona argentea, continens candelas in memoriam 72 discipulorum &c. Solent quidam nominare *artes liberales*, *grammaticam* etiam: sed regnabat dialectica sedulitas. Descripsit iam *Boulaeus* tom. 1 p. 512 sq. ex *Ioh. Sarisber.* Metalog. lib. 1 c. 3 seq. eximia carmina, quibus ille scriptor, qui est sequentis seculi, huius nostri seculi ad illa tempora continuatam barbariem expositi. Insolubilis in illa philosophantium schola quaestio habebatur: an porcus, qui agitur, ab homine an a funiculo teneatur? an caputium emerit, qui cappam integram emerit — *poetae*, *historiographi* habebantur infames, et si quis incumbebat laboribus antiquorum, notabatur, Asello tardior, plumbo

plumbo obtusior — Suis aut Magistri sui incumbebat inuentis — ipsi auditores paulo post nouas sectas condebant. Fiebant repente summi philosophi — recentes magistri e scholis, vt pulli volucrum e nidis, sicut pari tempore morabantur, sic pariter auolabant. — *noua fiebant omnia;* innouabatur grammatica, *dialectica;* contemnebatur *rhetorica* — solam conuenientiam, sine ratione, loquebantur. Impossibile credebatur, conuenienter ad rationis normam quicquam dicere, nisi conuenientis et rationis *mentio expressim esset inserta* (dicebant nuper, *demonstratiue.*) Nec argumentum fieri licitum, nisi praemisso nomine argumenti. — c. 4, tandem vti intellexerunt, se nihil didicisse, correxerunt alii; sed alii perdurabant in sua insania — alii *salernum* vel ad *montem pessulanum* profecti, facti sunt clientuli *Medicorum* — idem Sarisber. cap. 24, de vsu legendi et praelegendi agit, et laudat *Bernardi*, carnotensis, consuetudinem, qui *Quintilianum* sequatur. Similia vitia infecerant *theologiam*, quae non in corpusculo quasi vno, sed per capita tradebatur, de *trinitate*, *Sacramentis* &c. Pag. 520 agit Bulaeus de scholis *prouincialibus*, tam in monasteriis, quam Episcopio, in oppidis, vicis, e monaster. *Beccensis* in honore fuit, sub *Lanfranco* et *Anselmo*; inter episcopales floruit *Remensis*, *Leodiensis*, Aurel. Turon. carnot. &c. *Berengarius* et *Turonensem* et *Andegauensem*, (hanc etiam *Marbodus* et *Robertus*, arbrissel.) fecit celebrem. Pag. 524, de mercede docentium, alii liberalitate *discentium*, alii fundatorum, alebantur. *Abaelardus* tantum auri, linguae officio, collegit, vt postea fundarit coenobium *paracletense*. Doctores locum sibi commodum eligebant; itaque Parisiis discessit *Lanfrancus*, ad vltimos *Normanniae* fines, spe maioris lucri, et quia *Parisiis* discentium numerus inter multos diuisus esset. *Applausum*, vt dicunt, alius alii praeripuit; *Abaelardus* e. c. *Parisiis* fere scholasticos omnes in *dialectica* et *theologia* ad se transtulit. Iam *Augustinus* suo tempore questus est, de conspiratione schola-

ſticorum, ne magiſtris aliquid darent; lib. 5 confeſſ. c. 12. Pag. 532 ſeqq. de moribus huius ſeculi; hic de formulis *ordaliorum* p. 538 ſeqq. Catalogus illuſtrium *academicorum*, (fuit enim iam hoc ſeculo aliquod inſtar academiae; nominantur *Baccalaurei* &c.) e quo huius ſeculi nomina, p. 547 iſta ſunt ordine alphabetico *Adelbertus*, mortuus 1029 aep. vltraiect. *Adelmanus*, qui e doctore Leodienſi factus eſt epus brixienſis. *Ademarus* &c. Nimis enim longum eſſet, iſta deſcribere, praeſertim cum auctores *hiſtoriae litterariae Franciae* longe accuratius hanc cauſſam egerint tomo 7, qui non raro, praecipue de pulcris fictionibus *pariſienſis academiae* Bulaeum refutant. *Iurisprudentiae* publice dabant operam in ſchola *Tullenſi* (ibid. Etat des lettres, pag. 24. 25.) Non deſunt ſtudia eorum, qui bibliothecas variis libris auxerunt; in Necrologio S. *Benigni* (ibid. p. 35) laudatur, *Iohannes* copiſta, *qui fecit hiſtorias nouas;* id omnino ſic intelligendum, chronicam eum continuaſſe in id tempus. Addimus nos ex annal. *corbei.* a. 1094 *Ioh. de Mantrop* intulit librum *arabicum* bibliothecae, e *Pannonia* allatum, et 1097, abbas legem fecit: vt quiuis nouitius in die profeſſionis ſuae etiam *librum donaret* bibliothecae vtilem et alicuius pretii. Voluit etiam, vt quilibet praepoſitus vel alius hiſtoriarum peritus, monaſterii ſui (vnius cuiusque) noſtro ſubiecti, *chronicon colligat*, eique (abbati) mittat, ad futuram rei et poſteritatis memoriam. *Gerardus*, qui magiſter ſcholae hic fuit, reliquit eccleſiae *Engolismenſi* bibliothecam 100 voluminum, in qua nomina *Caeſaris*, *Ciceronis*, Origen, Gregor. nazianz. et latinorum patrum multorum. E *Germanis* aliisque Pariſios eruditionis cauſſa adierunt, S. *Stanislaus*, poſtea epiſc. cracou. qui et bibliothecam ſecum retulit. S. *Adalbero*, ep. Wurceburg. *Gebehard.* Salisburg. *Altmann*, paſſau. nec ex *Anglia* atque *Italia* defuerunt. *Willeram* et pariſiis, et Bambergae magiſtrum egit. Inde ab hoc ſeculo inter Gallos lingua *romancica*, francica, in vſu fere vulgari valuit; differt autem lingua

fran-

francica germanica, ab ista gallofrancica; in hanc Atto *Constantinum* (monach. cassin.) transtulit, seu ex eius latina translatione medicorum arabum et graecorum; etiam *Dares Phrygius* in hac romancica lingua hoc iam seculo exstitit; (conf. Singularites historiques et litteraires tom. 1 p. 103 seq. Paris. 1738) eamdem *Wilhelmus* conquestor in Angliam, cruciferi autem in partes orientis intulerunt, vt per *Normannos* in *Calabriam*, *Apul. Siciliam.* Episcopi quidam et monachi *graeci*, armeni etiam, in Gallia commorati sunt; et ille S. *Simeon*, cuius mentionem iam fecimus (p. 640) dicitur 1035 *Treuiris* mortuus, quem volunt *coptice; syriace*, *hebraice*, *graece* et *latine* locutum, acta SS. d 16 April. et *Sigonem*, abbatem S. Florentii Salmur. narrant, *hebraicis* litteris et graecis scribendi et legendi fuisse peritissimum, (Martene anecdot. tom. 3 p. 848.) *Hebraice* et *Sigebertus* gemblac. sic peritus fuisse dicitur, vt translationem correxerit (Spicileg. tomo 6 edit. prima, p. 536.) *Odo;* abbas S. Martini tornac. postea cambrens. epus, describi iussit Tetrapla in psalmos, gallicanum, romanum *hebraicum*, *graecum.* Huius generis alia collegerunt auctores *histor. litter.* Franciae, tom. 7. etat des lettres pag. 115 seq. qui et *criticae artis* quaedam documenta recensent. ibid. p. 130 seqq. de *dialectica*, (quam *Grammatico* simul subiecit *Anselmus.*) De arte *medica*, p. 136 *Salernitana* schola, in neapolit. regno, prae ceteris eminuit, p. 137, de *Mathematica*; *Rhythmica* poesis omnino valuit; etiam *tragoediae* eo scribendi genere tentatae; de *accentu*, vid. *Abbonis* monachi floriac. prologum, in libellum suum de *grammaticalibus*, ap. *Mabillon.* annal. bened. tomo 4 p. 687. Idem p. 688. 689 edidit observationes *in notas musicas;* cum *figuris nostris caudatis* etiam, iam seculo nono seq. ediderat *Menardus* atque nouae edit. *Gregorii* M. adiectum est exemplum.

De *Theologia* p. 147. Antiquiorum fuit illa methodus, vt e *patribus* colligerent sententias dogmaticas; successerunt inde a seculo 8 quidam, qui e latinis bibliis etiam

more

more suo colligerent; iam *scholastica* illa oritur Theologia, hoc maxime seculo, quae *philosophica* ministeria praecipue adsciuit; sed iam superiori seculo *Ioh. Scotus* hanc meliorem viam arripuit, aduersus publicam istam, si placet, auctoritatem; eum *Berengarius*, *Abaelardus* aliique pauci litteratiores secuti; sed *Anselmus*, *Lanfrancus*, et plerique alii dialectici suam omnem operam in id impenderunt, vt eius auxilio vindicarent publicam et vulgarem doctrinam, quae traditione maxime nitebatur. Hic accidit illud, quod *Verulamius* notabat: non ex magno materiae stamine, sed maxima spiritus, quasi radii, agitatione, operosissimas illas telas, quae in eorum libris inueniuntur confecerunt. Etenim mens humana, si agat in materiam rerum, et opera contemplando, pro modo materiae operatur; sin ipsa in se vertatur, tanquam aranea texens telam, tum interminata est, et facit certe telas quasdam doctrinae tenuitate fili operisque admirabilis, sed quoad vsum friuolas atque inanes. Exscripsit hunc locum *Bulaeus* tom. 1 p. 512. Parum autem proficiunt auctores *historiae litterariae Franciae*, p. 150, quod *moralem theologiam* putant adhuc liberam fuisse ab istis ineptis sedulitatibus. Homines, qui tot *superstitionibus* siue inuiti siue volentes reguntur, quos satis multas notauimus; qui Papae et episcoporum auctoritati illiberali subiiciebantur: christiana virtutis praecepta pura nec perspicere nec exercere poterant. Opinamur autem meliora quaedam ingenia ideo amasse istas quaestiones et difficiles disputationes, quia rebus ipsis fidem habere non poterant, licet *mysteria*, *sacramenta* &c. dicerentur. Iam breuiter scriptores *latinos* recensebimus.

In *bibliotheca patrum maxima* tomo 18 isti habentur. Epistola *Fulberti* carnotens. ep. 2 de varietate sacrorum rituum, quae vnitatem fidei non tollit. — haec pauca, dum *codicem e Romano scrinio* prolatum perlegam ep. 6 significauit nobis, te vnum ex nostris *Priscianis* velle ep. 47 mittimus *Galeni* potiones 3, totidem *theriacae* diatessaron;

ron; *vulgaginem* etiam, licet vomitu vos fatigari nolimus — ep. 53 missa *plures* praesentes requirit; ep. 79, mitto *Cyprianum*, *Porphyrium* et vitas patrum; ep. 96. de significatione *prodigii* alicuius; *Valerius Rufus* in libro memorabilium; 97, exempla e *Liuio* &c. sanguinem pluisse, (adeo episcopi *superstitionem* adiuuant;) pag. 27, ad regem *Danemarchiae*, *Canutum* — Sequuntur aliorum epistolae; ep. 113, de potione medica, ad ventrem mouendum. 119, dux aquit. ad vercell. epum, *Itali* suaserunt mihi et filio meo intromittere de *regno Italiae*, facientes nobis sacramentum, et *imperii* romani acquirendi; huc et ep. 123. 124 seqq. pertinent. Multa insunt ad historiam eius temporis monastic. et clericalem. Sunt 138 licet hic falso numerentur. pag. 37 *Sermones Fulberti* ad populum; de trinitate similitudo in sole; *sphaera*, *claritas*, calor, tres naturaliter insunt; de significatione *cerei*, in purificatione Mariae. Sermo in *natiuitate* Mariae; fabulae, de *conceptione*. Contra *Iudaeos;* dicunt Iudaei, *sceptrum nondum ablatum* esse. *Hymni* prosaici in sanctos. *Versus latini* varii argumenti. *Bernonis*, augiensis abb. libellus, de quibusdam rebus ad officium missae, pertinentibus; saepius editus est inde ab *Hittorpio;* multa *ad historiam rituum*. *Brunonis* herbipol. epi expositio in psalterium totum, a *Cochlaeo* veritate hebraica (i. e. Hieronymi) auctum; accedunt *Brunonis* commentar. in cantica sacra, in symbol. *athanas.* mediocris collectio e *Cassiodorio* et aliis. *Chronica Hermanni contracti*, ex edit. *Canisii*, *Vrstisiano* locupletior. Sed adeo negligenter pleraque excusa sunt, vt vix operae pretium sit ista hic recenseri. *Fulberti* epistolis ex *Spicilegio* vna addenda fuerat. *Abbonis* flor. abbatis, supersunt quaedam epistolae; collectio *canonum*, capitum 52, (Mabill. analecta) Epitome vitarum rom. pontificum, (editio finit in Gregorio 2, licet dicatur esse 91 paparum. Vita *Edmundi*, regis Angliae, martyr. per *Surium* edita. commentarius in cyclum paschalem *Victorii*, (cuius praefationem edidit

Mar-

Martene in thesauro anecdot. tomo 1) idem porro *Dionysium* exiguum emendauit, (*Bedae* nomine falso editum tomo 1 operum Bedae;) scripserat de Astronomia, de motu solis et lunae; cursu planetarum; excerpta ex *Germanico* de 12 Signis; etiam ex Hygino de iisdem; de mensuris et ponderibus; de *syllogismis;* in *grammaticam.* Sed hos auctores gallicos si sequamur in recensione scriptorum, satis magno opus esset scribentium catalogo. Itaque seiungemus *theologicos* scriptores, qui sunt alicuius nominis, ab *historicis* et aliis. *Gozechinus*, leodiens. scholae magister, scripsit ad *Walcherum*, epistolam seu libellum contra *Berengarium*, edid. *Mabillon.* in analectis; inuehit etiam in vitia eius temporis multa; itaque missa schola, iam *Moguntiae* viuebat. Idem *Mabillon. Theotwini* epi leod. nomine edidit, epistolam ad *Henricum* regem Gall. de corpore et sanguine domini, quam *Durandi* nomine *Baronius* aliique falso prodiderant. De *Berengario Oudinus* tomo 2 pag. 623-643 collegit vtiliora; et recte iudicat, Franciscum *de la Roye*, (opusculi *rari* quidem auctorem, de vita, haeresi et poenitentia *Berengarii*, Andegauis 1656. 4) non minus quam *Mabillonium* perdidisse hic operam. Idem *Oudin.* p. 687 seqq. dissert. de scriptis *Petri Damiani*, post Benedictinos seculo 6 parte 1 pag. 280 seqq. Eius opera saepius edita; tomo 1. *Epistolarum* libri 8, e quibusdam, atque ex opusculis eius, perditissimus huius seculi status, et ecclesiae turpitudo, satis patet, si vel nemo alius scriptor eam caussam attigisset. Tomo 2, sermones 77, ordine calendarii; et vitae quorumdam sanctorum; recte notauit *Oudinus*, *Constantinum Caietanum*, abbatem, in suam editionem multos transtulisse sermones, qui non sunt huius Petri; numero 19 vel ex tomo 3 *bibliothecae* patrum ordinis *cistertiensis*, subreptos. Isti 5, quos *Dacheri* edidit in Spicilegio, sunt *Petri* Chrysologi, et sic *Petri* nomen porro imposuit. Tomo 3 insunt opuscula LX, quibus addendum, *de correctione papae* et epi, aliquoties excusum, etiam in *Goldasti* Monarchia tomo 2. Insunt

tomo

tomo 4 carmina varia, hymni, aenigmata, sed nec hic satis certa est nominis fides. *Anselmo* epo lucensi, defensori fortissimo *Gregorii* 7, non sine auctoritate Mstorum tribuitur *collectio canonum ecclesiasticorum* (*Baluzius* ad *Augustini* emendationem Gratiani,) etsi postea etiam talia accesserunt, quae sunt temporis serioris; forte isti libri 2, contra Antipapam *Guibertum*, pro Gregorio 7, sunt tantum collectanea ex istis, et variis auctoribus, facultates ecclesiae non esse in potestate regis. Exstant in *Canisii* lectionibus, et in *bibliotheca* patrum max. tomo 18. Vtitur etiam falsis decretalibus, varia autem inde colligi possunt, quae *Guibertus* suo aduersario obiecit, ne *Mathildem* deludat — libro 2 ab *Eutychianistis* imperatoribus deriuat, quod episcoporum ordinationes sine auctoritate palatii non valerent. Minora opuscula, quae *Wadding* tribuit huic *Anselmo*, tam sunt inepta, vt vix sint seculi 14, *Marianitae* foedi cuiusdam; in *orat.* dominicam; super Aue Maria; super *salue Regina:* — o domina nonne cor meum mihi rapuisti; vbi posuisti illud — num *inter vbera tua*; recte *Oudinus* ista exagitauit; quae molestae sedulis quibusdam mysticis forte placeant, vt olim addita fuerunt *Bonauenturae* opuscolo, *stimulus amoris. Willeramus*, *Lanfranci* discipulus, e *fuldensi* monacho tandem abbas *Mersburgensis*, *canticum* canticor. versibus *francoteutonicis* reddidit; codex *Viennensis* ita differt ab eo, e quo *Paul. Merula* edidit, vt noua editione opus esse iudicarit *Lambecius*. *Gregorio* 7, Hildebrando, tribuendus est commentarius in 7 psalmos poenitentiales, qui solebat *Gregorii* M. nomine edi; in *Euangel. Matthaei* exstat Mstum in Anglia, vnde P. *Allix* in praefatione ad *Ioh. parisiensem* locum exscripsit. *Regestum* epistolarum Papae huius, saepe excusum. *Dictatus* illi, seu 27 capitula, post *Baronium* repetiit etiam *Oudinus*. Qui historiam *iuris ecclesiastici* illustrant, solent elogia digna huius papae non silere; vt illi etiam, qui ius imperatoris studiosius defenderunt aduersus hunc papam. Contra vero

Sebast.

Sebaſt. *Tengnagel* edidit ſyntagma veterum monumentorum pro *Gregorio* 7 aliisque pontificibus contra ſchiſmaticos conſcriptorum, Ingolſtad 1612. 4. *Bonizo*, Sutriae ac Placentiae epus, pro fidelitate S. Petri expulſus (vt *Bertholdus* conſtant. cauſae pontificiae et ipſe patronus ſcribit) Is confecit epitomen ex *Auguſtino*, ad *Ioh. Galbertum*, primum *vallis vmbroſae* abbatem; eam deſcripſit *Lambecius* et ex eo *Oudinus*, libris 8. de deo, trinitate 1. &c. 2. de rationali creatura, libero arbitrio; 3. de origine Adae; de Paſcha, baptiſmate, euchariſtia. 4. cur deus orandus, qui noſtras res ſcit; de 7 petitionibus; de lege naturali, vitiis, octo generibus mendacii. 5. de doctrina chriſtiana; qualiter intelligenda ſcriptura; de artium peritia. 6. de auctoritate 70 interpretum, quaeſtiones a Geneſi ad Salomonis tempora ſolutae. 7. quaeſtiones ex euangelio et Apoſtolo. 8. de inferno; de ſacrificio pro mortuis; qualiter appareant mortui; de reſurrectione. Itaque hoc opus pertinet ad hiſtoriam theologiae *ſententiariae*. *Mabillon.* (in *itinere Italico*) deſcribit etiam librum eius *de ſacramentis*. Collegit etiam *decretale*, in 7 libris digeſtum; praefixa eſt *epitome* ſeu chronica romanorum pontificum, in fine eius meminit, 2 aliorum librorum de romanis pontificibus; alter fuit contra *Hugonem candidum* cardinal. Ex iſta Epitome apud *Lambecium* etiam *Pagi* a. 1044 n. 7 ſeqq. deſumſit. *Baronius* a. 1086 num. 10 emendandus, *Sabinenſ.* epus dominus *Domnizo*; cum leg. ſit, Sutrienſis ep. nomine *Bonizo;* falſus eſt et *Vghelli*, qui *Sabinenſem* aliquem epum *Domnizonem* poſuit inter *Vbaldum* et *Gregorium*. Hic autem *Gregor. Sabinenſis* auctor eſt *collectionis* canonum, libris 4 (de principatu Petri &c.) Eiusdem conſilii fuit *collectio* canonum libris 4, quam *Deusdedit* cardinal. conſcripſit; citatur in Gloſſis ad diſtinct. XL. c. 6 ſi Papa. *Roberto*, abbati S. Vigoris baiocenſis, tribuit *Oudinus* non ſine cauſa libros 2 commentar. in canticum canticorum, qui ſolebant inter *Gregorii* M. opera haberi; hos libros ipſe denuo excudi hic fecit in

com-

commentario de *scriptoribus* p. 776-841. *Iuo*, carnot. epus; cuius et *decretum*, per partes 17, et *pannomia*, aliis *Panormia*, in eximio honore fuerunt. Istud fere ex *Burchardo* desumtum saepius editum est; haec *decreti* quasi summa in partibus 8; *Labbeus* falso tribuebat alicui *Hugoni* catalaunensi. *Baluzius* putat hanc prius scriptam esse, quam *decretum* compilatum; huius certe alius est ordo et maior ambitus; insunt autem falsae decretales, vt in Burchardo. *Epistolae* 287, plerumque etiam res iuris canonici tractant. Epistola XI: comes Paulus misit de partibus *Orcadum* clericum, significans, *episcopatum* suae terrae ipsum illi *concessisse*. Ergo valebat hic adhuc inuestitura. *Sermones* 22; breue *chronicon* a Pharamundo ad Philip. 1. et anglorum *Wilhelmum* rufum; e Msto quodam commentarium in *Psalmos* etiam nominat *Oudinus*; opera omnia parisiis 1647 fol. inde in biblioth. patrum maximam translata, tomo 18. quaedam etiam antea edita. *Anselmi*, cantuar. aepi opera omnia edidit *Dacheri* 1648 paris. fol. commentar. in epistolas Pauli; sunt breues notae ex Augustino Ambrosio, Gregor. (falso *Lanfranco* tribuitur;) de corpore et sanguine domini contra *Berengarium*, quasi *dialogus*; contra *Berengarii* textum, additur Lanfranci refutatio. (liber *scintillarum;* videtur ipse quaedam addidisse, aut librarii quidam aliquid omiserant, quod deest in editionibus 1540. 1648. 1677) constat capitibus 23. *Correctiones* bibliorum, scriptorumque patrum, varia infamiae specie non caruerunt. *Decretorum* seu statutorum capita 24, pro ordine S. Benedicti. c. 1. ordinarium totius anni, per sectiones 12. c. 2 de abbate. 3. de priore. 4. de circitoribus. 5. de cantore. 6. sacrista seu secretario. 7. camerario. 8. cellerario, hospitalario, eleemosynario. 9. infirmario. 10. de negligentia circa corpus domini. 11. de rasura fratrum. 12. sanguinis minutione. 13. hebdomadario missae maioris. 14. de itinerantibus fratribus. 15. silentio regulari. 16. de culpis et satisfactionibus. 17. nouitiis suscipiendis. 18. capitulo regulari. 19. si frater

altiori loco donetur. 20. de confraternitate. 21. disciplina puerorum. 22. misericordia concessa debilibus. 23. aegrotantibus morti proximis. 24. de morientibus extra monasterium. Libellus de *celanda confessione*. Quatuor (postea *tria*) *sacramenta* ecclesiae, fides, baptismus, eucharistia, et peccatorum confessio. — Reuelator confessionis, mortalis criminis reus est — sunt, qui studiosissime in confessione *facta perquirunt aliorum* — si non inuenis in ordinibus ecclesiasticis aliquem, cui confitearis: laico cuicunque mundo licet confiteri. Additus in bibliotheca patrum pag. 834, Anonymi libellus, de *Berengarii* damnatione multiplici. *Victoris*, tertii, papae, (antea *Desiderii*, cassin. abbat.) dialogi; inter Theophil. et Desiderium. lib. 1. de miraculis, a. S. *Benedicto* aliisque monachis, in cassinensi monasterio factis. Liber 2. *Iohannes* aliquis monachus cassin. petita licentia in *Palaestinam* abiit, et per 6 annos in monte *Sinai* mansit; — lib. 3 de miraculis alibi gestis; pauca ad historiam faciunt, pleraque insulsa sunt. *Anselmi*, cantuar. aep. post Lanfrancum, opera optime edidit *Gerberon*, 1675 fol. paris. Accurata *censura* eorum non deest, quae *Anselmi* nomine solebant circumferri. *Monologium*; *prosologium*. *Apologeticus* contra *Gaunilonem*. De fide *trinitatis* et incarnatione, contra *Roscelini* blasphemias. De processione Spiritus s. *contra Graecos*. De casu diaboli; libri 2, cur deus homo. De conceptu virginali et *originali peccato*. Dialogus de veritate; dial. de libero arbitrio. De concordia praescientiae et praedestin. nec non gratiae et liberi arbitrii. De 3 *Waleranni* quaestionibus, praecipue de *Azymo* et fermentato. De sacramentorum diuersitate, ad epum Walerannum. Responsio ad querelas eiusdem. (ista rectius epistolis addebantur in aliis editionibus.) De presbyteris concubinariis seu offendiculum sacerdotum. (est ex epistola 56 libri 1.) De nuptiis consanguineorum; (fuit et haec scriptio antea inter epistolas) dialog. de *grammatico*. De voluntate dei. Altera parte comprehenduntur

asce-

ascetica, Homiliae 16 &c. *tertia* pars, Epistolarum libri tres; liber quartus (e biblioth. cottoniana) numquam antea editarum. In *appendice* opuscula incerta aut aliorum auctorum. *Elucidarium*, seu dialogus summam theologiae christianae complectens, libris 3. — disputatio *Iudaei* cum christiano, (*Gilberti*, abbatis westmonaster. falso *Guillelmi* de *campellis* nomine edita, in biblioth. patrum.) Quasdam epistolas *Dacheri* in Spicilegio, *Baluzius*, in miscellaneis edidit. In *anglia sacra* tomo 2 p. 178 correcta est epistola quaedam, e Msto *Lambethano*. Admonuit *Oudin*, *Elucidarium* esse *Honorii* Augustod. et *annulum* seu dialogum Iudaei et christiani esse *Ruperti* tuitiensis. Cum hic *Anselmus* ad primos *nouae theologiae*, quae *scholastica* dici solet, auctores praecipue pertineat, operae pretium est, pauca superaddere ex quibusdam eius libris, vt de ingenio et consilio talium scriptionum sententiam ferre liceat. In praefatione *Monologii*, fatetur, se pleraque, quae de diuinitatis *essentia* scribat, ex *Augustino* sumsisse. c. 3 est quaedam natura, per quam est quicquid est, quae per se est, summum omnium, quae sunt. 4. dici etiam potest, alia esse ex illa, et hanc esse ex se. 5. quomodo intelligi possit, esse per se et ex se. — 8. priusquam fierent vniuersa, erant *in ratione* summae naturae. 9. illa ratio est quaedam rerum locutio, sicut faber dicit prius apud se, quod facturus est. (vid. *Eusebium* contra *Marcellum*;) 11. haec summae essentiae locutio, est ipsa summa essentia — 14. si quid de summa nat. dicitur *relatiue*, non est eius significatum substantiale. — quicquid est, praeter relatiua, aut tale est, vt ipsum omnino, melius sit, quam non ipsum; aut tale, vt non ipsum in aliquo, melius sit quam ipsum. — 15. ipsa summa natura non est iusta, nisi per iustitiam — non dicitur iusta, quia habet iustitiam, sed exsistens iustitia. — 28. locutio, per quam omnia facta sunt, est nihil aliud, quam summus spiritus, est eiusdem spiritus *intelligentia*, consubstantialis ei. 29. non constat ex pluribus verbis, sed est vnum verbum —

31. ſummus ſpiritus ſeipſum dicit coaeterno verbo. 32. vno verbo et ſe dicit et quod fecit. 37. neceſſitas cogit, vt duo ſint, ſed nullo modo exprimi poteſt, *quid* duo ſint — non duo pares ſpiritus — 38. idem verbum eſt a ſummo ſpiritu, naſcendo. 43. dici poteſt, alter alterius eſt ſubſtantia. 47. in *memoria* intelligitur pater, in intelligentia filius. 48. ſummus ſpiritus ſe amat; idem amor procedit a patre et filio. 50. tantus eſt ipſe amor, quantus eſt ipſe ſpiritus. 53. non eſt eorum filius amor. 62. continendus eſt conatus explicandi, quia hoc ſecretum videtur mihi tranſcendere omnem aciem intellectus humani; ſufficit eo venire, vt certiſſime *rem eſſe* cognoſcas, etſi penetrare non poſſis, *quomodo* ita ſit. 63. quomodo de ineffabili re verum diſputatum ſit. 65. in mente humana, quae ſui memor, intelligens et amans eſſe poteſt, eſt imago vera illius eſſentiae, quae in trinitate ineffabili conſiſtit. 75. inutilis erit fides (de hac re) niſi dilectione (ſummae iuſtitiae) valeat et viuat. Prooemium ad *Proſologium* narrat: coepi mecum quaerere, ſi forte poſſit inueniri *vnum argumentum*, quod nullo alio indigeret, ad demonſtrandum, quia deus eſt. (Celeberrimum illud argumentum, ex conceptu et notione ſummi entis.) Ad eamdem diſputationem pertinet libellus *pro inſipiente*, et alius, contra inſipientem. In dialogo de *libero arbitrio* multa vtilia ſunt; etiam in dialogo de *caſu diaboli* — iniuſtitia eſt ipſum malum, et eſt nihil — eſt abſentia debitae iuſtitiae; idem repetit in libro de conceptu virginali et peccato originali; n. 3 quod non ſit peccatum niſi in voluntate rationali. 5, malum, quod eſt peccatum, ſeu iniuſtitia, nihil eſt; (ſimillima in *Ioh. Scoto* Erigena, vt et iſta, non punitur, niſi voluntas; nihil eſt alicui poena, niſi quod eſt contra voluntatem.) c. 7. quomodo, *quamuis non ſtatim ab ipſa conceptione* ſit in infantibus peccatum, tamen de immundo ſemine et in peccatis concipi *dicantur*? Saepe ſcriptura aſſerit *aliquid eſſe*, quando non (dum) eſt; ideo, quia certum eſt, *futurum* eſſe. — ſed, quia ab ipſo ſemine et conceptione accipit neceſſi-

cessitatem, vt, *cum habebit animam rationalem* (dixerat initio: quod infans mox ex ipsa conceptione habeat animam rationalem, nullus humanus suscipit sensus) habeat peccati immunditiam; (haec haud dubie longe melius exponit, quam multi alii: sed et sic *sacramentorum* efficaciam circumscribere oportet, quod ei fecerunt ante eum alii;) sed c. 28 decernit, per baptismum remitti istam iniustitiam. Libri 2, *cur deus homo*, maxime faciunt ad historiam doctrinae de *redemtione* et satisfactione; quaerunt multi, cur non deus per angelum, aut sola voluntate deus id perfecit? dialogus inter *Bosonem* et *Anselmum*. — sicut permittis, vt, qui potest, melius dicat: ita nulli praestituis, vt cui dictamen tuum non placeat, pulcrius non scribat. Nempe patet inde accuratiorem tractationem, nondum a superioribus scriptoribus institutam fuisse; quod ex istorum seculorum historia saepe notauimus. c. 6. infideles dicunt: hanc liberationem *redemtionem* dicitis; in quo carcere, in cuius potestate tenebamini, vnde non potuit deus liberare, nisi sanguine suo? Potuit deus aliter; si noluit, cum potuit, non sapienter fecit. *Ira* eius; est voluntas puniendi; si ergo non vult punire, homo liber est a peccatis, ab inferno — c. 7 nec video (pergit obiectio) quam vim habebit, si dicimus: deum debuisse per iustitiam agere contra diabolum; vt, cum diabolus eum occideret, in quo nulla erat mortis causa: *iuste potestatem amitteret*, quam habebat in homines. — non opus erat tali iustitia, cum et diabolus et homo in dei potestate esset. Cap. 8 respondetur: sufficit ad rationem, voluntas dei, licet non videamus, cur velit deus pater non inuitum illum *hominem*, (quem suum dilectum *filium* vocauit,) coegit ad mortem; sed ipse sponte id egit, vt hominem saluaret. c. 9, distingue inter hoc, quod fecit Christus exigente obedientia, (quam debebat homo ille deo patri,) et quod sibi factum, quia perstitit in obedientia, non exigente obedientia. — potest etiam dici, praecepit ei pater mori, cum *illud ei* praecepit, vnde incurreret mortem — tradidit

illum est idem ac, *non liberauit* illum — humanum genus restaurari nolebat pater, nisi faceret homo (hic) tam magnum aliquid, sicut erat mors illa — maluit filius pati suam mortem, quam vt genus humanum non saluaretur — de *aliis modis*, *quibus dici* potest, deus *voluisse*, vt filius mortem tam piam sustineret. — ponamus (vt demonstret, *rationabilem* istam mortem) numquam fuisse incarnationem; constat, hominem — ad beatitatem venire non posse nisi dimissis peccatis, nec esse in hac vita sine peccato. necessaria est igitur homini peccatorum remissio. c.XI. quid sit peccare, et *pro peccato satisfacere?* peccare, est deo non reddere debitum — quam diu homo non soluit, quod rapuit, manet in culpa; nec sufficit reddere, quod ablatum est, sed pro contumelia illata plus habet reddere, quam abstulit — hoc est *satisfactio* — c.12. videamus, vtrum sola misericordia, sine omni debiti solutione, deceat deum peccata dimittere. — deum non decet in suo regno aliquid *inordinatum* dimittere; recte ordinare peccatum sine satisfactione, non est, nisi punire. ergo non decet deum peccatum impunitum dimittere — c.16 angelorum, qui ceciderunt numerus, restituendus est de hominibus. c.18 ergo homines oportet tales esse, quales bonos angelos — sed homo, qui deo non satisfecit pro peccato, atque tantum impunitus dimittitur, non est aequalis angelo, qui numquam peccauit — ergo non decet deum, *sine satisfactione* hominem leuari ad aequalitatem angelorum — 19 quod homo non possit saluari, *sine satisfactione*. 20, secundum mensuram peccati oportet esse *satisfactionem*; nec eam homo per se praestare potest. 22 est *contra honorem dei*, vt homo reconcilietur ei, nisi prius honorauerit deum vincendo diabolum, sicut inhonorauit eum victus a diabolo; sed hoc homo non potest. 23, secundum indistrictam iustitiam iudica, vtrum ad aequalitatem peccati homo satisfaciat, nisi vincendo diabolum restituat ablatum? nec summa iustitia hanc iustitiam potest violare. 24 — iam dicant, quomodo sine Christo homines saluari possint?

sint? — 25 qui autem ideo aliquid, quod necesse est, dicit impossibile, quia nescit, quomodo fit, insipiens est. lib. 2. c. 6, *satisfactionem*, per quam saluatur homo, non potest facere, nisi deus homo. 8 facit deus hominem aut, de viro et femina; aut sine illis, vt Adam; aut sine muliere, vt Euam; restat modus, sine viro, de femina. c. 14 quomodo mors eius praeualeat numero peccatorum omnium? — vita *talis hominis* plus est amabilis, quam sunt omnia peccata odibilia; ergo tantum bonum *potest sufficere* ad soluendum, quod debetur pro peccatis totius mundi. c. 18 de necessitate praecedente et consequente, vt tractat *Aristoteles*. 19 qui tantum donum deo sponte dat, sine retributione esse non debet. qui retribuit alicui: aut dat, quod non habet; aut dimittit, quod ab illo potest exigi. Prius locum non habet; quia filius iam habet omnia, quae patris sunt; ergo alii alicui redditur, quia ipsi non potest; hominibus ergo, pro quibus mortuus est. Huius generis theoriam ante *Anselmum* nemo informauit; postea longe magis exornata fuit, vt ius fas est; licet omnibus christianis, qui aliter informare possunt, obtrudi non possit. Sed iam secedendum nobis ab *Anselmo*, cuius scripta lectori non mediocriter placere poterunt; praeter istud *de excellentia Mariae virginis*; beneficia per Mariam ad omnem creaturam redundant, etiam praeter humanam; tandem *oratio* ad Mariam dominam — propter nos in tantam celsitudinem leuata es, vt *te dominam habeat et veneretur omnis creatura* &c. Oportet igitur huic ipsius theoriae de satisfactione inesse adhuc falsas sententias; quae facile reperiuntur.

Cum ad *historicos scriptores* transimus, liceat primo ex *Canisiano* corpore ista recensere, quae in hoc seculum pertinent, ex editione *Basnagii* tomo 3. Vita S. *Adalberti*, epi magdeburg. apostoli *Prussorum* &c. *Dubravius* addit, quia *Prussi* indociles erant, S. virum inter pecudes et armenta auditores quaesiuisse; atque boues &c. *nutu capitum* approbarunt; vt S. *Antonii* Paduani et S.

Francisci narrantur vtilia beſtiis ſtudia. Vita S. *Adalhaidis*, Ottonis 1. coniugis. *Meginfredi*, magdeburg. de vita B. *Emmerammi*. *Arnolfi* libri, de miraculis eius. *Wipponis* panegyricus in Henricum 3 imperat. Vita S. *Kiliani*, *Kolomanni*. et *Totuani*; vita S. *Guntheri*, Turingii, S. *Stephani*, regis hungar. cognati, monachi *altahenſis*, tandem eremitae in ſilua *Bohemica* in *Rinchnach*. *Hermanni*, contracti, chronicon. *Humberti*, epi et cardinal. liber aduerſus Michael. Cerular. et *Leonem*, achridanum; eiusdem liber alius contra *Nicetam*, pectoratum, monachum ſtudianum; et breuis relatio rerum a Leonis 9 legatis Cpoli geſtarum; a. 1054. Textus *romanus* et *cpolitanus* diuiſus eſt. *Iacobitae* iam viuebant inter Graecos; (cur olim tantum tumultuum fuit!) parum liberalis ingenii ineſt tam graecae quam *Humberti* diſputationi; ad colligendas *varias lectiones* hic ibi vtilis eſt; romanus defendit legem, Graeci reiiciunt. Contra *Nicetam* pag. 319, o *Stercoraniſta*, qui putas ieiunium ſolui per euchariſtiam, et quaſi eſcam terrenam in ſeceſſum dimitti; ſentis cum *Ario* — 320, opus eſt tribus iſtis, benedicere, frangere, diſtribuere, vt *Alexander* a Petro quintus; *inſerens paſſionem* Canoni Miſſae, ait: *haec* quotiescunque feceritis, non, *hoc*. p. 321 de Graecis multa queritur, irreuerenter corpus Chriſti reponunt, manu inculcant, vsque ad faſtidium reliquias oblationis edunt; ſi ſumere non ſufficiunt, ſubterrant, aut in puteum proiiciunt p. 322, contra coniugia clericorum inuehit Humbertus. — Vita *Henrici* a *Zwifaltach*, in monaſterio *ochſenhauſano*. *Othloni* fuldenſ. libri 2 de vita S. *Bonifacii* Martyris. *Anſhelmi*, lucenſ. contra Guibertum; ſtatuta canonum de officio ſacerdotum, ex libro 2 *Burcardi*. *Menologium* (i. Martyrologium) Graecorum ex bibliotheca et interpretat. cardin. *Sirleti*; ſed non pauca omiſit Sirletus; differt autem ab iſto *Baſilii*, non Macedonis, ſed *iunioris*, qui cum *Conſtantino* 9 hoc ſeculum attigit. Alii hiſtorici ſunt, *Dimarus*, epus merſeburg. cuius chronicon. libr. 7

me-

melierem editionem merebatur; habetur *Merseburgi* Mstus bonae notae liber. *Adelbaldo*, traiect. epo tribuitur vita S. *Walburgis*, d. 25 Februar. acta SS. et S. *Henrici* imperat. apud *Leibnit.* inter *brunsuic.* script. *Bertrada*, Bertha, *Wulfelmi*, brunvillar. abbatis soror, vitam S. *Adelheidis*, abb. vilecensis, scripsit, d. 5 Februar, *Odorannus*, S. Petri viui senon. monachus, scripsit chronicon ab a. 675-1032, in corpore *Du Chesnii*; *Arnoldus*, altahensis monach. vitam S. *Godehardi* (in *Broweri* sideribus Germaniae; qui et ἀπεθεωσιν, sic nominat, addidit.) *Hepidannus*, S. Galli monach. chronicon, a. 709-1044 et 2 libros de vita et miraculis S. *Wiboradae*. *Gualdoni*, corbei. monacho tribuitur vita S. *Anscharii*, hamburg. aepi, metrica, saepius edita. *Marianus*, *Scotus*, chronicon a Christo vsque ad 1082 varie continuatum atque in mstis varium. In bibliotheca *vindobonensi* sunt omnes epistolae Pauli, cum breuibus notis *Mariani*, luce dignis, vt sensit *Lambecius*. Ex eius chronico videtur epitomen fecisse *Robertus* Hereford. epus in Anglia, qui et eius computum, et emendationes cycli *dionysiani* excerpsit, sed exstant tantum msta. *Arnoldi* epi halberstad. epistola ad *Henricum* Herbipolensem; hortatur eum, vt regi consentiat in episcopatu *bambergensi*. *Landulfus*, senior, mediol. scripsit chronicon de aepis mediolan. ad a. 1067 falso *Datii* nomine insigniri solitum. *Arnulfus*, scripsit *de gestis mediolanensium* mediol. tertius auctor, cuius diuersa manus in eodem codice mediolan apparet, est *Landulfus*, iunior; *Arnulfi* opusculum edidit *Leibnitius* tomo 3 brunsuic. *Guibertus*, tullens. archid. scripsit vitam *Leonis* 9, libris 2. d. 19 April acta SS. *Benno*, misnens. epus, qui vitam *Hildebrandi* scripsit, haud parum stilo alio, quam fautores eius; tamen *sanctis* adscriptus. *Bruno*, monach. *historiam belli saxonici* scripsit, *Henrici* 4 hostis acerrimus; *Freheri* editioni adhaeret *apologeticum* Henrici. *Osbern*, cantuar. praecentor, scripsit vitam *Dunstani*. *Elpheg*, *Odonis*, aepi cantuar. (in *An-*

glia sacra et actis SS. antwerp.) *Cosmas*, pragensis decanus, auctor *chronici* Bohemorum libris 3; (*Menkenii* corpus optime exhibet.) *Benzonis*, epi albiensis, panegyricus rhythmicus in Henricum 3 alias 4. in *Menkenii* corpore, et, quasi nondum editus, in *Ludewigii* reliquiis, vt iam notauimus, mirati, non obseruatum fuisse, rhythmos auctorem scribere; (quod tamen *Menkenius* vidit.) *Wolfhelm* abbatis brunuillar. vitam scripsit Conradus, eiusdem abbatiae monach. d. 22 April. acta SS. *Vdalrici*, cluniac. monachi libros tres *consuetudinum* cluniac. monasterii, edidit *Dacheri* in spicilegio. *Historiam belli sacri* ad a. 1099 scripsit *Robertus*, abbas S. Remigii; exstat in *Bongarsii* corpusculo. *Goffridus* a *Malaterra*, scripsit libros 4 de gestis *Roberti Guischardi* et *Rogerii*, fratris; saepius editi sunt. *Guillelmus* Apulus, libris 5 carmen heroicum de rebus Nortmannorum in Italia, vsque ad Guischardi mortem; editum a *Leibnitio* in scriptor. rerum brunsuic. *Bertholdus*, constantiens. presbyter, *Gregorii* 7 poenitentiar. per Germaniam, scripsit *chronicon*, post *Hermannum* contract. ad finem seculi, romanae sedi deditissimus; opusculum de vitandis excommunicatis, edidit *Tengnagel;* plura, quae ad hanc causam *Gregorii* 7 et caelibatum pertinent, collegit *Gretserus*. *Ingulfus*, abbas croyland. scripsit historiam sui monasterii, vsque ad finem seculi; continuatam per *Petrum*, blesensem. Anonymum, cuius tres libri de gestis Anglorum post Bedam editi sunt in collectione rerum britannicar. Heidelbergensi, 1589, *Sulcardum*, monachum *Westmonaster.* esse putat *Oudinus*; *Hugonis*, S. Petri *Flauiniac* abbatis, chronicon, (*virdunense* etiam dicitur, quia id collegit, cum adhuc esset monachus S. Vitoni *virdun.*) edidit *Labbeus* tomo 1. nouae biblioth. manuscriptorum, quod eximia vtilitate non caret; in eodem corpusculo edidit *Labbeus* tomo 2 chronicon *Ademari*, monachi engolism. eiusdem commemorationem abbatum lemouicensium. Supplementum etiam ad *Amalarium*, metens. de diuinis officiis, scripsit Ademarus.

marus. Alius generis superſunt quidam ſcriptores; *Guido*, aretinus, meritus de re muſica, et ſcripto *micrologo*; huius forte temporis ſunt et *graecorum* quidam libelli, de ſacra muſica, et *nouis ſignis* ψαλτικης τεχνης, exempla habentur in bibliotheca *vffenbachiana* parte 2 pag. 491 ſeq. Sub *Haraldo* 1, rege Angliae, ſub medium ſeculum, floruit *Iohannes* de *Garlandia*, cuius *grammatica*, *algoriſmus* cum computo, de accentu, de myſteriis eccleſiae, manuſcripta habentur; compendium *alchymiae*, expoſitio ſynonymorum in arte alchymiſtica baſileae 1560 edita. *Papias*, grammaticus, *elementarium* doctrinae erudimentum, ſeu *Vocabularium*, *Gloſſarium*, ſatis celebre collegit aliquoties editum; e quo *Vgutio*, piſanus, epus ferrar. et Iohannes de Ianua poſtea ſua hauſerunt. *Conſtantinus*, african. monachns caſſinenſis, multa opuſcula latina aut compoſuit aut transtulit, ex *graecis arabicisque* ſcriptoribus medicis; quaedam excuſa, plura in Mstis.

2. Sub oriente ſole.

Etſi nobis non licet, verboſius exponere ſtatum eruditionis inter *Graecos:* certiſſimum tamen eſt illud, floruiſſe inter Graecos meliora ſtudia haud parum felicius, quam ſub occidentem ſolem. Mirabimur *Michael Pſelli* multa et varia ſcripta; *Ioh. Xiphilinus*, patriarcha cpolit. eruditione ipſe polluit, et nepotem *Xiphilinum*, qui *Dionis Caſſii* epitomen confecit, liberali exemplo informauit; *Iohannes* autem, philoſophus, *Italus*, (hoc nomine ſolo ab *Anna Comnena* excitatur,) *vniuerſae philoſophiae* poſt *Pſellum*, quo ipſe magiſtro vſus fuerat, dicitur praecipuus fuiſſe doctor; explicabat *Platonem*, *Proclum Porphyrium*, *Iamblichum*; atque *pythagorica* metempſychoſi, et *idearum platonicarum* commendatione fere in *haereſin* incidit; XI capita iuſſus publice in magna eccleſia nudo capite anathematizare. *Contemtus imaginum* inter alia ei obiectus. In bibliotheca *vindobon.* habentur eius

reſpon-

reſponſa ad quaeſtiones philoſophicas 93; expoſitio in libros *topicorum* Ariſtot. de *dialectica* liber ad *Andronicum* Ducam, fratrem imp. Michael Ducae; methodus *rhetorices* in ſynopſi. Ad eum *Theophylactus* ſcripſit epiſtolam 45 edit. *Meurſii*. Ipſa autem illa eruditiſſima *Anna Comnena* facile fidem faciat, erectiorem eruditionis ſpeciem inter Graecos non fuiſſe neglectam. Nos iam paucis potiora nomina recenſebimus; *Fabricii bibliotheca graeca* amatoribus plura facile ſuppeditabit. Iuniori cuidam *Arethae*, presbytero caeſar. in Cappadocia, tribuendae orationes encomiaſticae in translationem S. *Euthymii*. De *Anaſtaſio*, antioch. epo et *ſinaita*, nominis quarto, eiusque operibus diſſertationem conſcripſit *Oudinus* tomo 2 pag. 544 ſeqq. Huic tribuit celebrem ὁδηγὸν, ſeu iſtam *rhapſodiam;* cuius auctorem non eſſe tam antiquum iam *Aubertinus* lib. 2 et 3 de Euchariſtia, viderat; hic *Oudin* pluribus aduerſus *Antonium Arnaldum* (in iſto, de *perpetua fide* euchariſtiae) id oſtendit. Quaeſtiones et reſponſiones 154 in SS. (in quibus de 3 quadrageſimis) huius ſunt auctoris, non ſerioris. *Anagogicae* contemplat. in Hexaemeron, (quae alicubi *Cyrilli* alex. nomine deſignantur,) huius ſunt, non antiquioris; orationes 5 dogmaticae, de trinitate &c. ſimiliter, ob methodum ſcholaſticam ſunt huius auctoris; tractatus de 3 quadrageſimis, edit. a *Cotelerio* tomo 3 vetera monumenta. Definitiones theologicae 162, inter opera *Athanaſii*, *Maximo* etiam tributae. Hunc *Anaſtaſium transſubſtantiationem* deſcribere, contra *Aubertinum* confirmat *Oudinus*, cap. 7. *Simeon*, iunior dictus *Theologus*, presbyter conſtantinop. ſcripſit *orationes* de fide et moribus; *capita* moralia et practica &c. argumenti aſcetici; quorum longum e bibliothecis catalogum dedit *Oudin*; vid. *Allatius* de *Simeonum* ſcriptis. *Michael Cerularii* aliquas epiſtolas iam recenſuimus; narratio eius, quomodo a legatis romanis excommunicatus ſit, exſtat in bibliotheca vindobonenſi; eius edictum ſynodale aduerſus Latinos, de excommunicatione, graeco latine

apud

apud *Allatium* exſtat, de libris eccleſiaſticis Graecorum. Deciſio ſynodica, de nuptiis in ſeptimo gradu, in iure graecoromano. *Leonis*, Acridae aepi, prima et ſecunda συνεισφοραι cum Latinis; eiusdem capitula 50 de tentationibus inuoluntariis, Msta ſuperſunt. *Petri*, antiocheni, aliquot epiſtolas in cauſſa latinorum, edidit *Cotelerius* tom. 2 monument. *Ioanni*, metropolitae Euchaitenſi, tribuuntur *encomia* varia in ſanctos, etiam poemata eius argumenti, *canones* ſeu cantica. *Nicetae*, pectorati, librum contra Latinos iam nominauimus, e Caniſio; carmen iambicum in praeceptorem, Symeonem theol. edidit Allatius; centuriae tres capitum aſceticorum; inuectiua contra *Armeniorum* haereſin; epiſtolae, ſuperſunt in Mstis. *Ioannis*, Geometrae, paradiſus epigrammatum, excuſus eſt, etiam hymni quidam et tetraſticha moralia; ſuperſunt poemata in variis bibliothecis, etiam in *vffenbachiana* parte 2 codice X. De ſcriptis *Michaelis* Conſtantini *Pſelli* diſſertationem collegit vtilem *Oudinus* pag. 646 ſeqq. poſt *Allatium* de Pſellis et eorum ſcriptis, quam diatriben *Fabricius* recudit tomo 5 biblioth. graecae, addita διδασκαλια ſeu omnifaria Pſelli doctrina capitibus 193, ad Mich. ducam imperat. (cuius praeceptor fuit.) Ex multis ſcriptis tantum potiora tangimus. Edita ſunt iſta. In canticum cantic. verſus politici; capita de trinitate et perſona Chriſti; iambi in vitia et virtutes; de nomocanone, de 7 conciliis; libri 4 de vrbe Cpolitana et eccleſia S. Sophiae, quos anonymos edidit, *Bandurius*, huic *Pſello* non ſine ratione tribuuntur ab *Oudino*, in diſſertatione de collectaneo Anſelmi *Bandurii*, cap. 3 pag. 898 ſeqq. De operatione *daemonum*; de victus ratione, alimentorum facultatibus, *latine* editum; In mstis adhuc ſunt, de *Chroſopoeia*; chronologicum opus, de motu temporis, cyclis, eclipſibus &c. ſcriptiones *philoſophicae* multae, in ariſtot. platon. pythagor. Euclid. Porphyr. multa *medica*, de agricultura, poetica &c. *Zonaras* narrat, imperatorem iuſto plus ſtudii collocaſſe in *Pſelli* lectiones, philoſoph. gram-

mat.

mat. rhetor. hiſtoric. poeticas, et rem publicam neglexiſſe. *Iohannes Xiphilinus*, *patriarcha*; eius *canonica* quaedam decreta, et quaedam homiliae ſuperſunt; Homiliae in *Matthaeum* in bibliotheca lugdunenſi. *Theophylactus* Acridae bulgar. aepus, collectis (fere e *Chryſoſtomo*) expoſitionibus in multos libros V. et N. T. clarus. In *Euangelia* ſaepius excuſum; etiam in Pauli epiſtolas (nomine adeo *Athanaſii*, latine); in *acta*, latine per Sifanium; *inſtitutio* regia ad Conſtantinum, Mich. ducae filium; *Epiſtolae*, 75. Noua operum omnium editio *Venetiis* 1754. 4. tomi 5 fol. diſſertatio Io. Franc. Bernardi Mariae *de Rubeis* multa illuſtrat, ad litterariam cauſſam pertinentia. §. 16 capita doctrinae quaedam diſcuſſa &c. In hac editione primum excuſus textus graecus commentarii in *canonicas* epiſtolas, cuius nec latina verſio exſtiterat; comment. in Oſeam, Habac. Ionam, Micham, Nahum, exſtant tomo 4. Homiliae XI in Euangelia reſurrectionis, non ſunt diuerſae ab ipſo commentario. Tomo I ineſt in Euangelia; et *variantes* lectiones ex 5 codd. venetis. Tomo 2, in epiſtolas *Pauli*, et variantes. Tom. 3 in Acta, duplex commentarius, et pag. 589, *tertia* recenſio. In *canonicas*, orationes quaedam; inſtitutio regia; contra latinos; epiſtolae 20, primum editae; epiſtolae aliae 75, per Meurſium; 35 per *Ioh. Lamium*. *Euthymii*, Zigabeni, in Pſalmos. Eodem tempore vixit *Nicetas*, Heracleae aepus, ad quem exſtat *Theophylacti* epiſtola. non confundendus cum *Niceta Dauid*, paphlagone, ſeculi 9. *Philoſophi* et *Serronii* etiam nomine diſtinguitur in Mstis; ſuperſunt eius *ſcholia* in *Gregorii* Theologi orationes; etiam in carmina eius. Collegit *catenam* in *Iobum*; in *Pſalterium*; in 4 Euangelia, actus, epiſtolas Pauli, Iacobi, Iudae, Iohannis; in eccleſiaſten; in canticum cantic. Reſponſiones ad varias quaeſtiones Conſtantini epi; aliae ad alias Nicolai, methonenſis; liber de anima; de paradiſo; de Hierarchiis. *Allatius* in Graecia orthodoxa edidit refutationem epiſtolae ab Armeniorum principe miſſae; habe-

tur

tur etiam in Mstis, contra Mahometum; ἔκθεσις κατα σκευαστικη, dogmatis christiani demonstratio dialectica. Quasdam scriptiones tribuit *Caue* cuidam Nicetae seculi sequentis. *Ioh. Scylizes*, officio Protouestiarius, inde *Curopalates*, scripsit historiam ab a. 813 ad 1081, e parte prima pleraque sumsit *Cedrenus*, exstat in corpore byzantino; suggestio ad imper. Alexium, de ambiguitate edicti de sponsalibus, in *Leunclauii* iure graecoromano tomo 1. Recensentur etiam eius sermones philosophici et theologici; epistolae. *Antonius*, monachus, *Melissa* dictus, nisi opus eius sic nominatur; edidit *Conrad. Gesnerus* sententiarum tomos 3 per Antonium et Maximum collectos; sed in graecis Mstis non parum discriminis esse obseruauit *Lambecius*. Quia *Theophylactum* citauit, et a *Iohanne*, patriarcha Antiocheno ipse citatur, qui sub *Alexio* Comneno floruit, *Oudinus* recte in hoc seculum posuit. *Nicetae*, archidiac. Cpolitani XI capita seu anathematismi contra *Ioh.* Italum, exstant in vindobon. bibliotheca; recitari solent in festo *orthodoxias*. *Ioh.* patriarcha Antioch. eius orationem (capitibus 18) contra *commendas* monasteriorum, edidit *Cotelerius* tomo 1. vdter. monument. (sub hoc *Iohanne* papa Ioh. 18 in diptychis fuit, *le Quien* tomo 2 p. 754.) Idem collegit eclogas asceticas ex variis patribus, 2 partibus. Excerpta contra Latinos, quae recenset *Lambecius*, alius videntur auctoris, qui *Hierosolymis* disputasse dicitur de Azymis; idem vero videtur auctor *quaestionum* 136 ad Antiochum, ex V. et N. T. quae solent inter *Athanasiana* haberi; vt pluribus disputat *Oudinus* pag. 846; (quas parum liberaliter adhuc reueretur *Maius* in parte 1ma bibliothecae *vffenbachianae* pag. 11) Similiter dicta et interpretationes parabolarum Euangelii, cum 20 quaestionibus, huius potius sunt seculi et auctoris, quam *Athanasii*. *Tres* orationes, nomine *Damasceni*, de *imaginibus* videntur eiusdem esse Iohannis; eadem historia, de monacho a daemone ob imaginem *Mariae* vexato, in oratione 3 et quaestione ad Antioch. 39 redit.

Pa-

Parallela Damaſceni non ſine omni ratione ad hunc Iohannem referri poſſunt. *Anaſtaſius*, caeſareae palaeſt. aepus, dicitur ſcripſiſſe, de ieiunio Deiparae, editum a *Cotelerio* tom. 3 monumentor. ſed videtur idem eſſe libellus, quem *Oudin* antea, p. 550 *Anaſtaſio*, antiocheno, tribuebat; itaque non opus erat hic pag. 850 de alio agere, licet et *Caue* de eo agat. *Philippi*, ſolitarii *dioptram*, ſeu amuſſim fidei et vitae chriſtianae ad *Callinicum* monachum, Iacob. Pontanus latine edidit, libris 4, (dialogi inter animam et corpus, verſibus politicis,) cum Mich. *Pſelli* notis; ſed mutilum libro primo; itaque 5 eſſent. *Lambecius* recenſet et alia *Philippi* opuſcula, de caerimoniis 1) *Armenianorum*. 2) Iacobitarum. 3) *Chazizariorum*. 4) Romanorum ſeu Francorum, παρατηρηματα. Demonſtratio, quod Chriſtus ederit non legale ſed ἀληθινον Paſcha. Epiſtola, de differentia inter πρεσβειαν et προσφωνησιν. *Nicolaus*, methonenſis epus, cuius quaeſtionibus reſpondit *Nicetas* Heracleenſis metropol. quod panis et vinum non ſit ſignum ſed ipſum corpus et ſanguis Chriſti, in *Ducaeano* auctario tomo 2; alia, 3 tractatus de proceſſione Spiritus S. aduerſus latinos (vnus, *Syllogiſmis* conſtat,) minus adhuc certum, vtrum huic an iuniori huius nominis tribuenda ſint. *Eudocia*, auguſta, Conſtantini ducae, deinde *Romani* 3 coniux, collegit Ιωνια, quorum capita multa numero recenſet *Bandurius* in notis ad antiquit. conſtantinopolitanas, et poſt eum *Fabricius* tomo 6 bibliothec. graec. c. 5. vel hinc patet, graecarum litterarum ſtudia hoc ſeculo ſatis floruiſſe. *Irene*, Alexii Comneni coniux, κτητορικον ſeu *Typicum* pro monaſterio monialium, quod condidit, dicitur conſcripſiſſe, editum inter *vetera analecta eccleſiae graecae* benedictinorum cura 1688 pariſ. 4: ex eo de nouis ritibus ſacris et conſuetudinibus multa colligi poſſunt. *Samonas*, aepus Gazae, auctor diſputationis cum *Achmed* ſaraceno; edita in auctario *Ducaei*; (ſimilis argumenti, inter *Theodori*, Abucarae, ſcriptiones.) *Michael*, attaliota, proconſul et

index

iudex sub Michaele duca, ad quem breuiarium legum capitibus 44 scripsit. Synopsin Synopseos Βασιλικων, titulis 95; quaedam edidit *Leunclauius* in Iure Graecoromano tomo 2, ab initio.

Tabula seculi XI.

A. Christi 1001. Hegirae 392. die 20 Nou. *Ottonis* 3 imper. 6. *Basilii* et *Constantini* an. 26. Bellum feliciter a Basilio in Bulgaria geritur. Controuersia de *Gandersheimensi* parthenone. *Hirsaugia* per annos 60 sine abbate, post abb. *Conradum*; comes *caluensis* res inuasit.

1002. Hegirae 393. die 10 Nou. Mortuo *Ottone* Henricus II. imperator. *Ardoinus* dicitur rex Italiae. In Hungaria sub *Henrici* sorore, *Gisela*, floret christianismus. *Dani* in Anglia omnes vno die occisi. *Muhammedani* ecclesias Iacobitarum et Nestor. *Bagdadi* diruunt; postea *nestorianus* catholicus obtinet a *Califa*, vt Iacobitarum metropolita *Tagriti*, ipse autem solus *Bagdadi* sedeat.

1003. Hegirae 394. die 30 Oct. *Transsiluania* per *Stephanum* Hungar. regem, vi ad christianitatem compulsa; hildesh. chron. *Siluestro* papae succedit *Iohannes* 17. Siccus; et huic post 5 menses alius, numero 18. Hic papa in diptychis Graecorum fuit, le Quien tomo 2 p. 754. *Suenus*, rex Daniae aduersus Eldredum Angliae vltorem exercitum ducit. *Hermannus*, dux Sueuiae tandem Henrico subiicitur. Inuentarium sacrae suppellectilis Abbatiae *prumiensis*. ap. *Honthem*; In eo *fistula* ad communionem.

1004. Hegirae 395. die 18 Oct. *Abbo*, floriac. abbas a Vasconibus occisus; eius *canones* 52 supersunt, in quibus nondum allegantur decretales falsae. Floret eius amicus *Fulbertus*, carnot. scholae magister, paulo post episcopus. Henricus rex *Italiae* coronatur; *Bohemos* et *Bolanos* sibi subiicit, *Herman.* contr. Sub hoc tempus initium *rerum publicarum* in Italia designatur, *Genuensis Pisanae*, *Florentinae*; ob turbatam per Saracenos nauigationem. *Leuthericus*, aep. senon. de sacra coena aliam sententiam tenet.

A. Christi 1005. Hegirae 396. die 8 Oct. Synodus *Tremonienſis* ab Henrico habita; vita *Adalberonis* metenſ. in *Labbei* biblioth. nova tomo 1. Paulo poſt mortuus hic *Adalbertus*; iam epiſcopatum dux Moſellanorum dedit filio ſuo puero, quem *Deodericus*, Cunigundae frater, excluſit, et ipſe epiſcopatum vſurpauit, et contra Henricum rebellauit.

1006. Hegirae 397. die 17 Sept. Mortuus S. *Fulcrannus*, lodouenſis ep. in cuius vita, (d. 13 Febr. Bollandi) narratur c. 4, eum, cum quidam de praeſule aliquo loquuti eſſent, quod apoſtata a cultu chriſtianitatis et nequiter *Iudaizando* ſcandalum feciſſet, dixiſſe, non hortando, ſed ſimpliciter: *comburi deberet*. A populo cum audiſſet id peractum, poenitentiae gratia *Romam* iuit, ſpinis ſe verberari fecit &c. *Gunther*, nobil. thuringus, fit Hersfeldiae monachus. Alfrico cantuar. ſuccedit *Elfeg*.

1007. Hegirae 398. die 16 Sept. *Bambergae* epiſcopatus inſtitutus ab *Henrico*. Moritur *Heriger*, laubienſis abbas, qui geſta *leodienſium* pontificum ſcripſit, et librum *contra Paſchaſium Radbertum*; anonymus a *Cellotio* editum; Mabillon tamen tantum *vocum pugnam* eſſe perſuadere auſus eſt. Anglia *Danis* tributum 36000 librarum offert. Floret *Bonifacius* marchio *Tuſciae* ditiſſimus, vſus lege *Longobardica*, cuius filia *Mathildis*, vſa *lege ſalica*.

1008. Hegirae 399. die 5 Sept. *Burchardus* fit epus *Wormatienſis*. *Bruno* apoſtolus in Pruſſia, martyr. alii 1009. *Iohannes*, in annal. ruſſicis inter epos Kiouiae, aut metropolitas Ruſſiae, ab a. 1008-1038 deſignatur. *Guntherus* in eremum ſecedit, in *Bohemia*. *Guarinus* floret, *abbas generalis* in Marca Hiſpanica.

1009. Hegirae 400. die 25 Aug. *Sergius* IV papa. Concil. in Anglia *Einshamenſe*. *Robertus* aliquis, coenobii mellerenſis fugitiuus mittit ad Califam babylon. (aegypti) de ſancto ſepulcro deſtruendo. Conſuetudines *cluniacenſes* receptae in *Farfenſi* monaſterio; annales Mabillon.

1010. Hegirae 401. die 14 Aug. Sepulcrum Hieroſolym. per Iudaeos et Saracenos iuſſu Aegyptii Califae vaſtatum; hic *Hakem* vexauit Iudaeos et Chriſtianos; ſed poſtea reddidit vtrisque ſacrorum libertatem; etiam patriarcha iacob. *Zacharia*, reſtituto. Le Quien

tom.

A. Christi

tom. 3 p. 474 seqq. Ante hanc sepulcri sacri euersionem S. *Macarius*, aep. Antiochenus (Pisidiae) *Gaudanum* venit. Eius vita d. 10 April ab *Henschenio* edita. De eo, et *Iohanne*, patriarcha Hierosolym. plura in *le Quien* oriente christiano, tomo 3 pag. 466 seqq. Infelix pugna Comitis Vrgellensis et eorum quorumdam pro Saracenis contra Saracenos. *Alduinus*, episc. lemouic. *Iudaeos* expellit; *Ademarus*.

1011. Hegirae 402. die 4 Aug. *Dedicatio* ecclesiae *bamberg.* maioris. (alia, S. *Stephani* a. 1019 dedicatio.) *Elpheg*, cantuar. aep. a Danis captus. *Willegiso*, mog. aep., succedit *Erkenbaldus*, fuldensis abbas.

1012. Hegirae 403. die 23 Iuli. *Benedictus* 8 succedit Sergio. *Vandali*, a nouo Saxoniae duce Bernhardo nimis oppressi, christianum cultum abiiciunt. *Adam* brem. lib. 2 c. 32. *Helmoldus* lib. 1 c. 16, ad quem illa Adami aliter conformanda sunt. *Elpheg* a Danis occisus. S. *Colomannus* Scotus, in oppido Austriae *Stockerau* occisus, *Hierosolymam* profecturus; pro exploratore et proditore habitus. *Lambec.* tomo 2 bibl. vindob. p. 611 seqq. *Theodorus* magister scholae S. *Matthiae* moritur. *Honthem* praefat. ad secul. XI. §. 9. *Bonifacius* *Romualdi* discipulus inter Russos occisus. *Romualdus* varia monasteria condit.

1013. Hegirae 404. die 13 Iuli. *Libentio* aepo Hamburg. succedit *Vnwan*, canon. paderbrunnensis, qui ducis ferociam fregit, et *Vandalos* ecclesiae restituit; e ruinis *Hamburgum* excitat. *Suenus* Angliam sibi subiicit; rex *Ethelred* in Galliam fugit. *Henricus* rex *Fuldam* corrigit, multi monachi discedunt. Nascitur *Hermannus*, contractus.

1014. Hegirae 405. die 2 Iulii. Henricus coronatur *imperator*; eius *diploma* interpolatum per fictam *Ludouici* pii donationem; confirmat Eugenii 2 et Leonis 4 constitutiones, non consecrari romanum epum nisi in praesentia missorum imperatoris. Mortuo *Sueno*, restituitur *Ethelred* in regnum Angliae. *Samuel* rex bulgar. a Basilio saepe victus, moritur; succedit fil. *Gabriel* seu Romanus.

A. Chriſti 1015. Hegiræ 406. die 21 Iun. *Leuthericus*, aep. ſenon. *temporale ſuum* regi galliae Roberto ſuppoſuit, vt a comitis tyrannide liber eſſet. *Arboinus*, ſabionenſis epus moritur, poſtquam ſedem *Brixinam*, in Tirolum, transtuliſſet. Gabriel, bulgar. rex occiſus. *Henricus* imper. in *cluniacenſium* fraternitatem inſcriptus. *Corbeia* noua reformatur iuſſu Henrici. *Ardoin*, marchio Eporediae, fit monachus.

1016. Hegiræ 407. die 10 Iun. Angliae regnum inter *Canutum* et *Eadmundum* diuiditur; iſte hoc mortuo ſolus rex. Hoc demum anno *Normanni* in Apuliam veniunt; *Pagi*. *Indulgentiae* eis, qui dederint adiutorium ad opera eccleſiae aedificandae, de *tertia parte maiorum* peccatorum; apud Mabillon. annal. p. 250. *Mimeleue* ſubiicitur *Hirſfeldenſi* abbati.

1017. Hegiræ 408. die 30 Maii. *Canut* ſolus rex Angliae, viduam *Emmam* ducit; eximie laudatur eius regni ratio. *Hugo* fil. a patre in regni gall. ſocietatem adſumtus. *Henricus Kemnada*, monaſt. puellare ad *Vſurgim*, confirmat.

1018. Hegiræ 409 die 19 Maii. *Normannorum* prima in Apuliam expeditio. in vrbe *Angeriaca* caput S. *Ioh.* baptiſtae oſtentatur; itaque dona multa huc miſſa. Vniuerſa *Bulgaria Baſilio* ſubiicitur. Rex Galliae *Robertus* ſub hoc tempus cum aliis principum *Romam* profectus voti cauſſa; *Mabillon* ponit a. 1016. Floret *Ademarus* Engoliſm. monachus; *Romualdus* in eremo *Camalduli*; figuram dedit *Mabillonius* pag. 262 annal. tomo 4.

1019. Hegiræ 410. die 9 Maii. *Benedictus* 8 venit Bambergam, Italiae contra Graecos tutandae cauſſa. *Sergius*, epolitan. patr. moritur. ſucceſſit ei Euſtathius. *Ditmar*, merſeburg. epus moritur; etiam *Heimeradus*, presbyter in *Haſungen*, qui in *Palaeſtinam* profectus fuit; in eius *vita* multa mira narrantur, inter *Leibnitii* ſcriptores *brunſuic.* tom. 1 p. 565.

1020. Hegiræ 411. die 27 Apr. *Henricus* aepo colon. *Heriberto* reconciliatur. Mos ad ſynodos afferendi *reliquias ad cumulandam populi deuotionem*; vid. *Pagi* n. 2. *Canutus Norwegiam* ſubigit, fugato *Olauo*. Moritur *Melus*, qui Normannos contra Graecos, et poſtea *Henricum*, excitauerat. *Romualdus* in eremo *Sitriae* aſperrimam vitae rationem inſtituit; famuli, etiam cuſtodes pecorum ſilentium ſeruabant, cet.

Con-

A. Christi
1021. Concilium *gallicanum* incerti loci; Pagi. *Croatia* a
Hegiræ Graecis subacta. Terrae motus in Baioaria.
412. die *Sithiense* monasterium *reformatur.*
17 Apr.

1022. *Haereses* Manichaeorum in ciuitate *aurelianensi* detecta;
Hegiræ etiam *Tolosae*; synodus aurelianensis aduersus
413. die eam. *Henricus* in *Italiam* ducit. Synodus *Sale-*
6 Apr. *guniadiensis* sub *Aribone* mogunt. Moritur *Bern-*
wardus, epus Hildesheim; eius vita d. 4 Maii;
succesſit *Godehardus*. *Odorannus* S. Petri ap. Se-
nonas monachus, aduersus gyrouagos et bubul-
cos monachos se defendit; epistola apud Mabil-
lon. annal. pagg. 285. Floret *Guido*, aretinus,
auctor Micrologi seu *Epitomes*, (vt, re, mi, fa,
sol, La.) Alius auctor *micrologi*, *de diuinis of-*
ficiis, sub finem seculi vixit. *Notkerus* tertius,
moritur. Monasterium in *Hildesheim* dedicatur.

1023. *Moguntina* synodus; alia, *pictauiensis*, de *Martiali*
Hegiræ apostolo; ea causa per plures annos agitata, ad
414. die quam praecipue pertinet *Ademari* epistola, quam
26 Mart. edidit *Mabillon* tomo 4 annalium, num. 46 in
appendice. Multos opposuisse se huic rei inde
patet. *Henrici* cum rege *Roberto* colloquium.

1024. Benedicto succedit *Iohannes* 19; *ex Laico* Moritur
Hegiræ *Henricus* imper. *Conradus*, salicus, suffectus rex
415. die Germaniae; *Wippo*, de vita Conradi; *Itali* au-
15 Mart tem Robertum regem, aut eius filium *Hugonem*
expetunt; etiam ducem Aquitaniae. Synodus
parisiensis pro apostolatu Martialis. *Cunegunda*
fit monacha in monasterio ab ipsa condito.

1025. *Basilio* mortuo imper. succedit frater *Constantinus.*
Hegiræ *Boleslao* Chrobri, qui regium nomen vsurpabat,
416. die succ. filius *Micislaus*, in Conradum similiter re-
4 Mart. bellis. Eius coniux *Richza*, comitis palatini
Ezonis filia secessit a marito ad *Conradum* re-
gem. Synodus *cameracensis* aduersus quos-
dam *haereticos*, Gundulfi, itali, auditores. *Eu-*
stathio, Cpolit. patriarchae sufficitur *Alexius*, ex
Studio.

1026.
Hegiræ *Conradus* Italiam cis Romam subigit. *Bruno* fit epus
417. die *Tullensis.* postea papa.
21 Febr.

A. Chriſti 1027. Hegiræ 418. die 11 Febr. *Conradus* coronatus *Romae* imperator. *Werinherius*, argent. epus, Conpolin mittitur a *Conrado*. *Canutus*, Angliae, orationis cauſa Romam profectus; eius Epiſtola, ad regni epiſcopos miſſa. Moritur S. *Romualdus*; eius vita d. 7 Februar. *Richardus*, abbas *virdun.* Hieroſolymam cum comite Engolismenſi, et 700 peregrinis profectus; expenſas viae tribuit comes norm. *Richardus* 3. multa notatu digna in chronico *virdunenſi*. Synodus *carrofenſis* per ducem Aquitan. contra *Manichaeos*. *Alricus*, epus aſtenſis, antea *romana* nunc *ſalica lege* vtens, monaſterium *in dei poteſtate* conſtruit, Mabillon. annal. p. 337.

1028. Hegiræ 419. die 30 Ian. *Fulbertus* carnot. epus moritur. Sub hoc fere tempus S. *Sigfridus* in *Sueciam* miſſus apoſtolus a S. *Olauo*, norweg. adhuc rege; vid. *Henſchenius* ad d. 15 Februar. dicitur *aepiſcopus* ſine certa ſede (ſicut quidam diſcipuli *Romualdi* hoc nomine vtuntur, miſſionarii in *Slauos*.) *Romanus* Argyrus fit imperator Cpoli. *Henricus* a patre *Conrado* corona Germaniae ornatus. In Synodo *Geislere*, per *Aribonem* aep. mogunt. habita, ingenuus aliquis candentis ferri examen ſubiit. *Symeon* ſyracuſ. venit Antiochia in Belgium; vid. *Pagi* ad a. 1029 n. 3. *Ioh. Gualbertus* conuertitur.

1029. Hegiræ 420. die 19 Ian. Synodus prima *lemouicenſis* in cauſſa *Martialis*. In dedicatione eccleſiae, quae monaſterio *Pſalmodio* donabatur, *abſolutiones* de omnibus *peccatis minimis* et *maioribus* factae; Mabill. annal. p. 355 *Diedericus*, hersfeld monachus ſcribit libellum *de illatione S. Benedicti.*

1030. Hegiræ 421. die 9 Ian. 422. die 29 Dec. *Herimannus* in locum Ernuſti dux Sueuorum efficitur. *Conradus* cum exercitu in Hungariam aduerſus regem *Stephanum*. *Petrus*, gerund epus a papa impetrat pallium, promittens ſe 30 captiuos a Saracenis redemturum, Bellum in gallia domeſticum, filiorum aduerſus regem patrem.

1031. Hegiræ 423. die 19 Dec. *Aribo*, mog. aep. Romam orationis cauſſa profectus, moritur. Templum hieroſolymitanum a graeco imperatore inſtaurari coeptum. Moritur *Wilhelmus*, abbas S. Benigni diuion. vita d. 1 Ianuar. Moritur *Robertus*, rex Galliae. Synodus *lemouic.* ſecunda, Pagi ad a. 1034 n. 7. De

pri-

A. Chriſti

priuilegio *Fuldenſi*, vt tertius Mog. acp. ex hoc monaſterio ſumatur, Mabillon. pag. 373 annal.

1032. Hegiræ 424. die 7 Dec. Moritur *Rudolfus* ignauus, Burgundiae regulus; regni inſignia ad imper. *Conradum* miſſa; ſed cum is aduerſus *Polonos* exercitum duceret, *Odo* inuaſit regnum; *Rolonia* inter tres diuiſa minores dominos. *Libentio* aepo Hamburg. ſuccedit *Hermannus* praepoſ. Halberſtad. Initia monaſterii *vindocinenſis*.

1033. Hegiræ 425. die 26 Nou. *Conradus* in Burgundia res feliciter gerit. *Benedictus* 9 ſuccedit Iohanni 19, ipſe ſimoniacus; in Italia clerici vxores habent more laicorum et filios haeredes ſibi faciunt; *Victor* lib. 3 dialog. *Edeſſa* a Graecis occupata. Conradus abbati *Heinwardeshuſano* Winoni, qui in terra ſancta fuit, dat ius mercati, monetae et telonei. Moritur *Cunigunda* imperatrix, Pagi ad a. 1040.

1034. Hegiræ 426. die 16 Nou. Varia concilia in Galliis celebrata, ob publicae rei funeſtum ſtatum. Initia monaſterii beccenſis per *Herluinum*. *Romanus Argyrus* mortuus; ſucc. *Michael* paphlago. *Miſeco*, polon. rex moritur; chriſtianitas iam diſperiit, chronic. Hildesheim. Eius fil. *Caſimir* clanculum abit in *cluniacenſe* monaſter. *Lenticii*, *Luticii*, (quaſi *Lutei*, e *paludibus* progreſſi,) qui *Abotriti* et *Wari* vocantur, (ſic *Ditmarus* alicubi,) in chriſtianos Saxones inſurgunt, *ſemi chriſtiani*; per apoſtaticam nequitiam iam pagani. *Herman.* contract. *Mathildis* Conradi filia *Henrico* Galliae deſponſata moritur; hic iſtius loco duxit *Annam*, filiam *Iaroslai*, Ruſſiae ducis.

1035. Hegiræ 427. die 1 Nou. Synodus *triburienſis* prope Moguntiam a *Conrado* coacta. Sub hoc tempus ingens multitudo hominum *Hieroſolymam* proficiſcitur; e plebe, mediocres, comites, Reges, etiam *mulieres* et *pauperes*; Glaber lib. 4, 6. *Canutus* rex Angl. Dan. Norweg. moritur; poſtquam filios, *Suanum* ſuper norwegios; *Hardicnutum* ſuper Danos, *Haualdum*, ſuper Anglos conſtituerat. Caſtrum *Werben*, a Conrado contra Lutizios exſtructum, ab eis occupatur; *vltor fidei* Conradus in quodam *breuiario verſifico*, dictus, quia *Luticii* effi-

A. Christi

giem Christi ligneam scelerato ludibrio habuissent, *Wippo*, aliique ap. *Pagi*.

1036. Hegiræ 428. die 24 Oct. *Heinricus* ducit *Cunonis* filiam, *Chunihild*. *Liutizi* subacti. Conradus cum Henrico in Italiam. Dux Bohemiae Poloniam inuadit. *Haraldus*, quem aepus cantuar. in Emmae filios studiosus, *Aelnot*, nolebat coronare, vniuersam christianitatis religionem odio habet. Monasterium *Scottorum* in *Erfurt* conditur.

1037. Hegiræ 429. die 14 Oct. *Conradus* Italos reprimit; episcopos tres Vercell. Cremon. Placentinum in exilium mittit; mediol. aepum in carcerem. *Emma* regina in Flandriam ex Anglia secedit, post occisum *Haraldis* iussu filium. Moritur *Robertus*, comes, aepus Rothomag. pater 3 filiorum. *Odo*, comes, campanienſis, in praelio *barrenſi* occisus.

1038. Hegiræ 430. die 3 Oct. *Conradus* in Italia *Pandulfum* capuanum loco monet, alio suffecto. Mediolan. aepus excommunicatur a papa ob rebellionem in *Conradum*. *Stephanus* rex Hungariae moritur. *Ferdinandus* rex Legionis iam et Castellae, in Saracenos feliciter bellum gerit. *Lanfrancus* e Lombardia sub hoc tempus *Lutetiam* venit, vbi *Berengarius* iam docebat dialecticam. *Mabillon*. in annal. pag. 420 delineat monasterium *vallis vmbrosae*.

1039. Hegiræ 431. die 12 Sept. Moritur imperator *Conradus*. succ. *Heuricus*, niger. De incerta origine *Canonicorum*, qui post hoc tempus innotuerunt, *Pagi* plura ad hunc a. n. 8 seqq. Hoc anno *Aduenione* prima Canonicorum societas, in ecclesia *S. Rufi*.

1040. Hegiræ 432. die 11 Sept. *Haraldo* regi Angliae mortuo succedit *Hardecnut*, Canuti M. filius; qui regis auctoritate etiam aduersus episcopos non raro vsus est. *Lanfrancus* inter normannos scholam instituit. *Graeci* Normannos contra Saracenos in auxilium vocant. Monasterium stabulense et *malmundariense* florent, sub imperiali auctoritate.

1041. Hegiræ 433. die 31 Aug. Mich paphlago in monasterium *Anargyrorum* (S. Cosmae et Damiani) concedit; *Michael Calafates* fit imperator. *Normanni* Apulia potiti. *Casimirus* e cluniac. monasterio in regnum reducitur. annal. Saxo iam ad a. 1039. Ad hunc annum pertinet *Treuga dei* (seu feriatio a bellis et *faidis*

pri-

A Christi

privatis,) publice sancita, in variis conciliis; *Bulaeus* tomo 1 pag. 418. *Pagi*, ex Petro de *Marca*, lib. 4 de concordia sacerd. c. 14, qui falso iam 1034 designauerat. *Vngari* Quonem constituentes regem, *Petrum* regem occidere conantur. Floret S. *Gerardus Canadiensis* in Hungar. epus. eius vita d. 24 Septembr.

1042. Hegiræ 434. die 21 Aug. *Caiafates* ab imperio deiicitur; *Constantinus* monomachus fit imper. S. *Eduard* mortuo Hardecnuto succedit. *Lanfrancus* in monaster. *Beccense* concedit doctor, habitum monasticum indutus. *Procopius* abbas in *Bohemia* floret.

1043. Hegiræ 435. die 10 Aug. *Adalbertus* fit aep. hamburg. *Adam.* brem. lib. 3 c. 1 seqq. qui in odium regis Daniae *Sueni* incurrit, ob eius nuptias cum filia regis Sueciae; itaque *Bremam* secessit aepus. Synodus *constantiensis* ab Henrico rege habetur. *Alexio*, patriarchae cpolitano suffectus *Michael Cerularius*.

1044. Hegiræ 436. die 4 Iul. *Bened.* 9. *Siluester* 3. (epus Sabinensis,) *Gregor.* 6, *tres* eodem tempore *papae*; errorem *Ottonis* Frisingensis *Pagi* hic annotauit, quasi legitimus fuisset Gregor. 6. *Clemens* 2 dicit, *tribus* illis rapina dederat nomen papatus. *Casimirus* rex Polon. *Romam* mittit legatos cum tributo. *Hungariam Petrus*, Quone occiso, ab *Henrico* rege recipit. S. *Bruno* herbipol. epus ruina solarii ibi oppressus; vid. acta SS. d. 17 Maii.

1045. Hegiræ 437. die 19 Iul. Sub hoc fere tempus epistolam ad *Berengarium* scripsit *Adelmannus*, scholast. leodiens. ab. a. 1048 epus brixiensis. Moritur aep. mediol. *Heribertus*, quem *Vsseriam* coniugem habuisse quidam scribunt; vid. Pagi, qui narrat de loco *Ambrosii* lib. 1 offic. c. 50 *depravato*, quo mediolanenses sacerdotes matrimonium defenderint. *Lanfrancus* magnam frequentiam efficit apud *Beccum*, Initia *Hildebrandi* monachi. In Anglia mentio *circuli gemmarum* ad preces numerandas, genus *rosarii*; Mabillon. annales pag. 462. Hoc anno finit historia *Glabri*.

1046. Hegiræ 438. die 8 Iul. Tres papae per *Henricum* sede illa deiecti; suffecto *Suidigero*, bamberg. epo, *Clementis* 2 nomine. Floret *Petrus Damiani*, inter monachos s. crucis *auellanae*. Aep. nouus *lugdunensis*, (ciuitas

A. Christi

tunc erat sub imperatore,) iuramentum praestare negat, quia monachus esset, *Albericus* in chronico. Hungari *Petro* rege abiecto et excaecato, *Andream* regem faciunt. *Henricus* imperator coronatus. *Gerardus* canadiens. epus martyr. *Hildegardis*, comitissa andegauensis, Hierosolymas abit, ibi sepulta.

1047. Hegiræ 439. die 27 Iun. Synodus *romana* contra Simoniacos; controuersia inter aep. rauennat. et mediol. vter papae proximus assideret. Synodus in *Germania*; cum imperatore papa in Germaniam redierat. Moritur papa in Italia, bambergae sepultus, quem sedem retinuerat. *Benedictus* 9 tertium papa, per pecuniam. Fabula, reginam Emmam, quae turpis cum epo *vinton.* rei accusata erat, 9 vomeribus ignitis innocentiam probasse. Hic initium controuersiae *Berengerianae* designat *Bulaeus* p. 410. *Altarium* redemtio, (sub *personatu*;) quoties presbyter mutaretur, episcopo certa pecunia praestanda. Alia *impersonaliter* tenebantur, immunia a praestatione. Cura *altarium*, i. parochiarum, vicario perpetuo concessa. Mabillon. annal. p. 485.

1048. Hegiræ 440. die 16 Iun. *Damasus* 2 papa creatur ab Henrico, (fuit) *Poppo* epus *brixiensis*) paulo post mortuus. *Odilo*, abbas cluniac. moritur. *Turcorum* (gens *Hunnica*) potentiam ab hoc tempore graeci scriptores repetunt. Magnus thesaurus in monte *Brunsberg* dicitur absconditus esse, quem *niger canis* custodit, cum oculis igneis. annal corbei.

1049. Hegiræ 441. die 5 Iun. *Bruno* tull. epus, in conuentu *Wormatiensi* ab Henrico papa designatur; nomine *Leo* IX vsus. Is synodum *Romae* post Pascha habuit, contra Simoniac. et *decimas* ab *omnibus* christianis dandas esse iubet. Idem synodum *rhemensem* habet; acta eius, seu itinerarium *Anselmi* Baronius in appendice ad tomum 12; sed correctius *Marlotus* edidit, in metropoli remensi. Ibi dedicatio basilicae a *Leone* peracta; altari principi inscriptum: de summa hac dignitatis ara ferro bipertita, salutis mensa *gentibus directa* Nordalbingorum in *Vuelena*. Mabill. p. 503 annal. non recte explicat. Aepus colonien sis *Herimannus* a *Leone* factus can-

A. Christi

cancellar. f. *romanae sedis.* Aepo treuir. *Eberhardo Leo* confirmat *primatum* Galliae belgicae; *Honthem.* ex Browero. Electioni *abbatis* farfensis *subscribunt*, praepositus; 40 sacerdotes; 3 diaconi; 15 subdiaconi; monachi 16; conuersi 9, pueri 2. apud Mabillon. annal.

1050. Hegiræ 442. die 26 Mai. *Synodus romana*, in qua S. *Gerardus*, t[illegible]dens, ep. canonizatus; contra *Berengarium* pro *Lanfranco* sententia lata; concil. *vercellense* in eadem causa: (falso *Durandus*, troarn. abbas in libello de *corpore et sanguine* Christi scripsit annum 1053.) *Ioh Scoti* liber lectus et damnatus in eo concilio. *Parisinum* concil. contra Berengar. Pagi num. 23 corrigit *Adamum* bremensem lib. 3, 12, qui falso narrat de rebus Angliae. De *rotifero*, (qui *rotulum* mortuorum ad ecclesias suffragiorum societate coniunctas ferebat,) Mabillon pag. 518. Epistola *Iohannis* fiscamnens. abbatis, de *Italorum* barbarie in *Nortmannos* et ipsum *legatum papae* Mabill. p. 521.

1051. Hegiræ 443. die 15 Mai. Epus vercellensis ob adulterium excommunicatus. *Eduardus* dispensatur a voto Romam proficiscendi. *Manichaei* quidam in Germania dicuntur detecti. Possessiones monaster. S. *Maximini* enarrantur in *Leonis* diplomate apud Honthemium; apud eumdem ad a. 1051 ex Martenio *Henrici* 3 diploma non nihil differt in hoc catalogo.

1052. Hegiræ 444. die 3 Maii. Leo papa pacem procurat inter imperatorem et *Andream* Hungar. regem (per abbatem cluniac. Hugonem,) pro *Bamberga*, *Fulda* et aliis cisalpinis imperator papae dat *Beneuentum*. Controuersia de S. *Dionysii* corpore, inter Germanos et Gallos; confecta per Ratisponenses epistola *Leonis* 9. De *coniugiis* canonicorum et sacerdotum, vid. Pagi n. 14-16. dicitur a *Normannis* sub *Rollone* illa consuetudo (in Gallia) inualuisse. Duo *Chorepiscopi* in diplomate apud *Honthemium* subscribunt; ibidem in charta a. 1085 scribuntur *chorepiscopi*. Hic narrat Mabillonius de *lacrima* vna Christi, in reliquiario aureo, quod *vindocinensi* monasterio donatum fuit; vid. pluribus dissertation sur la sainte larme per Ioh. bapt. *Thiers*;

Ma-

A Christi.

Mabillon ineptam pietatem defendere audebat; idem *figuras* in aes incidi iussit annal. p. 532.

1053. Hegiræ 445. die 23 Apr. Synodus, quam papa *Mantuae* habere voluit, perturbata; populus tumultuatur, cum *sanguinem sacrum* Christi Romam papa vellet absportare. *Leo* contra Normannos exercitum ducit, parum feliciter. Mediolani festivitas s. *crucis exaltatae* iam demum recipitur. Imperator graecus mandat praefecto *Apuliae*, *Argyroo*. vt Normannos trahat in suas partes. Initia publici dissidii, *inter Graecos et Latinos*, per Michael Cerular. et *Leonem*, acridanum. *Henricus* fil. a patre in regni consortium adscitus. Ex monaster. *cassinensi* 2 fratres *Fuldam* missi, ob famam eius.

1054. Hegiræ 446. die 12 Apr. Moritur *Leo* 9; is annis *incarnationes* et suae inthronizationis vsus est; vita eius d. 19 April., in actis SS. Moritur *Constantinus* monom. imper. *Theodora*, porphyrogenita, *Constantini* porphyr. filia, imperium capessiuit.

1055. Hegiræ 447. die 1 Apr. *Victor* 2 papa, (*Gebehardus* ep. aichstedensis) ab Hildebrando, bona cum venia imperatoris, electus. Concil. *turonense*, sub legato Hildebrando, contra Berengarium. *Anno*, fit aep. colonicnsis, *Arnaldus* abbas fuld. solis *baccis iuniperi* comestis vicit *colicae* dolores.

1056. Hegiræ 448. die 31 Mart. *Henricus* imp. moritur; succedit filius; *Henricus* 4, sub tutela Augustae. *Theodore*, graecae, succedit *Michael*, stratioticus. *Califa* babylon. (Aegypti,) mandat, ne quisquam christianorum s. sepulcrum porro introeat; (histor. translat. *S. Vlfranni*, aepi senon. d. 20 Martii;) iam Hierosolyma suberat Aegyptio Califae, sed ab a. 1060 praefectus aliquis *Chorasaniae* eam ditionem eripuit Aegyptio. Pagi. *Petrus Damiani*, et *Dominicus*, loricatus, *virgarum scopis* i. disciplinis, vtuntur, immanem in modum, poenitentia 100 annorum viginti psalteriis et perpetuis scopis explebatur &c. Mabillon pag. 559.

1057. Hegiræ 449. die 16 Mart. *Victori* papae sufficitur *Stephanus* 9, (antea Fridericus, cardin. ex abbate cassinensi;) *Marsorum* episcopatus, antea in 2 partes diuisus, a *Stephano* in pristinum statum restituitur. *Isaac Comnenus*

A. Christi 1057. *nenus* in locum Stratiotici deiecti suffectus; *Cedrenus* hic finit, chronicon. *Eduard* ex Hungaria in Angliam redit iussu *Edoardi* patrui. Schisma *Mediolani*, ob defensionem matrimonii clericorum; *Arialdus* clericus et alii *patarini* dicti, *patalini*, qui matrimonia oppugnabant. Sub initium seculi XII *patarini* est nomen haereticorum. *Mabillon.* pag. 584 annal. edit epistolam, e qua constat, de caritate *Homiliarii* Haimonis, 200 oues, tres modii frumenti, et pelles *martirinae*.

1058. Hegirae 450. die 27 Febr. *Stephanus* 9 moritur, *Benedictus* 10 sedem inuadit; mense decembri electus *Gerardus*, florent, auctoritate regis, dictus *Nicolaus* 2. *Casimir.* rex Polon. moritur; succ. *Boleslaus* 2 filius. *Petrus Damiani* fit cardinalis. Sectae *Almorabitarum*, in Africa, initium. *Petrus Damiani*, narrat opusc. 34 de 2 miraculis, hostiae in carnem versae. Monachus *Paternus* in incendio monasterii, noluit e cella exire; martyr sic factus. *Alberada* Fuldae subdit monasterium *Banz*, in Francia orientali.

1059. Hegirae 451. die 17 Febr. Benedictus 10 in concilio *Sutrienst* deiectus. Synodus *romana* 113 eporum, in qua *Berengarius* haeresi renunciauit, *Ioh. Scoti* libro combusto; formula *Humberti* cardinalis accepta. regula *canonicorum* examinata; vide pluribus *Mabillon* annales pag. 585 seqq. *Anselmus* fit monachus beccensis. Decretum de electione papae *per cardinales*; electio papae antea Regi indicanda, tum demum *consecratur*. Legati romani ad *mediolan.* ecclesiam purgandam a Simonia et matrimoniis clericorum. Foedus papae cum *Normannis*, *Roberto* Guischardo Apuliae, Calabriae, Siciliae ducatus confirmatus, sub censu annuo. *Michael* Cerularius sede deiectus; *Constantinus* Lichudes suffectus. *Isaac Comnenus* imperium cedit *Constantino* Ducae.

1060. Hegirae 452 die 5 Febr. *Henricus* rex Galliae, moritur, postquam *Philippum* filium septennem coronarat. *Gozechini* scholastici epistola ad *Walcherum* scholastic. mogunt. in qua de Apostolo Satanae, Berengario. Concil. *Turonense* per cardinal. *Stephanum*. Res Sa-

A. Chriſti,

racenorum in Sicilia peſſum eunt. Mabillon narrat p. 606, de ſanctimoniali colonienſi, quae impraegnata, ante imaginem Chriſti obtinuit, vt venter detumuerit. *Dominici* Loricati primordia; Mabill. p. 608; is carnaliter ſe viuere dixit, quia foeniculum edebat cum pane.

1061. Hegirae 453. die 26 Ian. *Alexander* 2 ſuccedit Nicolao; (antea epus Lucenſis, Anſelmus;) id quia ſine auctoritate regia, opponitur ei parmenſis ep. *Cadalous*, ſeu *Honorius* 2. Fecit iſte *Hildebrandum* cancellarium rom. eccleſ. *Andreas* rex Hungar. cum familia ad *Henricum* regem ſe confert, quia plerique *Belae* fauebant.

1062. Hegirae 454. die 15 Ian. Cadalous Romam obſidet; caſtellum *S.* Angeli ei tradunt romani. In Dalmatiae et Croatiae regno, 2 metropoles, Pagi; in regno admiſſi magiſtratus Graeci, metu Normannorum. De laudibus reginae *Agnetis* multa hic Mabillon. p. 618 ex Petro Damiani; *Albertus* abbas maior. monaſter. ſeruum S. Martini *clericauit*; Mabill. p. 625. *Vulſtanus* fit epus wigornienſis. Moritur *Dominicus* loricatus. Mabillon ſcribit: ſpiritum poenitentia duriſſima expurgatum reddidit.

1063. Hegirae 455. die 4 Ian. Francorum prima expeditio in *Mauros* Hiſpaniae. Concil. *Iaccetanum*, in Aragonia; abrogatum officium *Gothicum*, et *Romanum* admiſſum. *Petrus Damiani* ad Florentinos legatus, ob ſchiſma; *Ioh. Gualbertus* et alii monachi epum vt Simoniacum renuebant ſacramentorum miniſtrum; ſcripſit Petrus, de ſacramentis per improbos adminiſtratis, opuſc. 30. idem opuſc. 24 contra *clericos proprietarios*, (canonicos huius temporis.) *Berengarius*, qui rom. ſedem dicebat ſedem Satanae, ab *Alexandro* admonitus. Synodus rothomagenſis aduerſus Berengar. ſub Maurilio. Hungari *Bela* mortuo, Andreae filium *Salomonem* repetunt, qui *Iuditham*, Henrici ſororem, duxit. Turpiſſimae rixae et pugnae inter miniſteriales epi Hildeshemenſis et abbatis fuldenſis, ob ſellae ordinem.

1064. Hegirae 456. die 25 Dec. Moritur Cpolitanus patriarchae *Lichudes*, ei ſuffectus, *Ioh. Xiphilinus*. *Slauorum* omnis prouincia in paganiſmum relabitur, clericis et monachis occiſis. *Helmold.* lib. 1 c. 24. *Adam* bremenſ.

A. Chriſti

menſ lib. 4. Peregrinantium ad loca ſancta multitudo; e.c. *Sigfrid.* aep. mog. cum aliis epis et hominibus ad 7000, in maiori pompa, quam decuit, *Lambert.* Communio *ſub vtraque* in *maiori* monaſterio; et mira ſtudia pro morientibus; Mabillon. p. 659.

1065. Hegiræ 458. die 7 Dec. Moritur *Ferdinandus* 1. ſeu Magnus, caſtellae rex; regno trifariam diuiſo. Concil. *Hetenenſe* in prato tulugienſi, in quo *Treuga* dei confirmata. Rex *Eduardus* aepum cantuar. mittit ad *Wilhelmum*, ducem Normanniae. vt ipſi in regno ſuccedat; ob parentum merita in ipſum exulem. *Corbeia* datur *Adalberto*, aepo bremenſi; ſed parui temporis fuit. annal. corbei. a. 1065 ſeqq.

1066. Hegiræ 459. die 22 Nou. Moritur *Eduardus*, rex Angliae, ab Alex. 3. ſeculo ſequenti *ſanctis* additus; ab eo reges Angliae habent virtutem, ſcrophulas ſanandi. Hic *Mabillon* recitat p. 677 ex *Spicilegio: Tetbaldum* comitem inuitaſſe *Hugonem* abb. cluniac. ad *baptizandum* filium ſuum; quod nos potius interpretamur, filium *regenerationi monaſticae*, ſeu vitae monaſt. obtulit.

1067. Hegiræ 460. die 11 Nou. Concilium *Mantuanum*, quod alii in annum 1064 conferebant, *Pagi*. *Arialdus* hoc anno ſanctis additus, qui ſuperiori occiſus fuit. *Herlembaldus* clericos et monachos pertrahit ad ius nouum amplectendum; (epiſcopos ſine imperatore in poſterum eligendos) Mortuo *Conſtantino* duca *Eudocia* cum filiis imperat. *Eadgar*, S. Eduardi nepos, fugit in Scotiam. *Normanni* mutant Anglorum conſuetudines; loco crucis a ſubſcribentibus additae, chartarum firmitatem cum *cerea impreſſione* per *vniuscuiusque ſigillum*. Incipit Matth *Paris* hiſtoria.

1068. Hegiræ 461. die 30 Oct. *Eudocia* nubit *Romano Diogeni*. Papa duci Bohemiae concedit *mitrae* vſum; addit 2 alia exempla *Pagi*. *Bruno* de bello Saxon. ex eo annaliſta Saxo mala plurima de *Henrico*, rege narrant; etiam *Bertholdus* conſtant. et *Lambertus* ad a. 1069.

1069. Hegiræ 462. die 20 Oct. *Henricus* rex meditatur diuortium. Rex *Daniae Suen* expeditionem in Angliam parat; auxilia interfuerunt e *Polonia*, *Frifia*, *Saxonia*, *Leuticia*, (natio adhuc gentilis; *Orderic.* lib. 4.) *Petrus Damiani*

A. Chriſti

ni a papa in Germaniam miſſus, vt diuortium Henrici impediret. *Marianus* Scotus Moguntiae iam, vt antea *Fuldae*, incluſus. *Lanfrancus* ſcribit contra Berengar.

1070. Hegiræ 463. die 9 Oct. Synodus in *Windſor*, praeſentibus 2 cardinalibus; qui *Wilhelmo* coronam impoſuerunt; alii ſynodum *wintonienſ.* et *Windſor.* diſtinguunt. *Lanfrancus* eligitur in locum *S*tigandi, aep. cantuar. Moritur dux Lotharing. *Godefridus*, barbatus; eius filius cognom. gibboſus *Mathildem* hoc aut ſuperiori anno duxit; de iſta familia multa hic Pagi. *Anniuerſarium* pro Alfonſo rege, cluniaci inſtitutum. *Wratislaus* dux Bohemiae eccleſiam *collegiatam* ad arcem Viſegrad fundat. S. *Wulſtanus* vt imperitus, ſede deiectus; infigit baculum ſepulcro S. Eduardi; nemo praeter ipſum reuellere potuit; itaque ſedi reſtitutus. Vita eius d. 19 Ianuar.

1071. Hegiræ 464. die 25 Sept. *Lanfrancus* Romam profectus. Concil. mogunt. aduerſus *Carolum* epum Conſtantienſem. Controuerſia de primatu, inter cantuar. et eborac. aep. ſecundum *Lanfrancum* ceſſit. Papa etiam confirmat, monachos obtinere poſſe eccleſ. cathedrales. *Michael* Ducas fit imperator; Eudocia in monaſterium, *Diogenes* oculis priuatus; floruit hoc tempore *Pſellus*; ex eius *hiſtoria*, quam *Combefiſius* prelo parauerat, *Pagi* ſaepe quaedam allegauit. Idem *Pſellus* efficit, vt legatio Alexandri papae ad Michaelem, de vnione, nihil profecerit; floret *Theophylactus*. *Malmundarium Stabulaco* reſtitutum; Mabill. annales.

1072. Hegiræ 465. die 17 Sept. *Germania* perturbata; Saxones *Henricum* apud papam immanibus accuſationibus onerant. Pagani *Hamburgum* et *Nordalbingiam* vaſtant, paulo ante mortem *Adalberti*. Moritur *Petrus Damiani*. Synodus *rothomag.* canones 24, *Orderic.* lib. 4. S. *Herlembaldus* efficit, vt aep. *mediol.* eligatur *Atho*, ſpreta regis auctoritate; regis iuſſu *Gothofredus* ei opponitur. *Gotwicenſe* monaſt. in Auſtria conditur.

1073. Hegiræ 466. die 6 Sept. *Gregor.* 7 ſuffectus Alexandro; interfuerunt *miſſi regii* eius inthronizationi. De ſtatu *Germaniae*, *Marianus* Scotus ad a. 1075. Imperium Graecorum

A. Christi

corum vehementer labefactatum, a *Turcis, Slauis, Croatis.* Synodus *Erfordiae*, ob decimas *Thuringiae.* Moritur Ioh. *Gathertus;* papae consolatoria ad *Vallumbrosanos.*

1074. Hegiræ 469. die 27 Aug. Synodus *romana*, sub Gregorio prima, aduersus coniugia clericorum; qui papam haereticum et vesani dogmatis esse clamitarunt, *Lambertus*; *Sigebert.* Fatetur Pagi, ista coniugia in *Germania, Italia, Gallia, Anglia, Hispania*, longe ante hunc papam satis vsitata fuisse. Episcop. *Constantiensis Otto* tuetur clericos aduersus papam. *Officium romanum* ab aliis regibus Hispaniae nondum admissum, licet *Sanctius aragoniae* receperit. Hoc anno initia *ordinis grandimontensis*, per *Stephanum* de Mureto; vita in actis SS. d. 8 Febr. *Geisa* expulit Salomonem regem Hungar. Monasterium in *Salfeld* iam exstitit hoc tempore in *Thuringia*, vt populus *paganismo* eliminato ad dei cultum duceretur; Mabill. ex *Schlegelio.* Seditio *Coloniae*, ob nouos monachos S. Pantaleonis. Census 10 solidorum ad *vrnam* S. Petri; annales Mabill. pag. 78 tomo 5.

1075. Hegiræ 468. die 16 Aug. Synodus *romana* 2, in qua *investituraе* primum prohibitae; chronic. *virdunense*, aliique ap. Pagium. etiam contra clericorum coniugia; decretum in *Simeon Dunelmensi* ad h. a. *Henricus* Saxones vicit. Concil. *pictauiense*, aduersus Berengarium. *Mediolanenses* ab Henrico petunt aepum, *Tetaldum. Anno* aep. colon. moritur; vitam scripsit monachus Sigebergensis. Moritur *Ioh. Xiphilin.* patricha constantinop. ei *Cosmas* suffectus.

1076. Hegiræ 469. die 4 Aug. Concil. *Wormatiense* contra *Gregorium 7*; sententia deiectionis in synodo romae per clericum parmensem recitatur. Occiditur *Herlembaldus*, papae inter mediolanenses miles, cum vexillum S. Petri gereret; is inter *sanctos*, quasi martyr, postea relatus. Regnum Nauarrae cum Aragonensi vnitum. *Guitmundus* et *Durandus* scribunt in Berengarium. Epistola clericorum *cameracensium* ad Remenses, pro *vxoribus suis* retinendis; apud *Mabillon* in appendice ad tomum 5 annal. num. XI. *Sueno*, rex Daniae moritur; sub eo 2 episcopatus in *Scania*, 2 in Iutlandia constituti.

A. Christi
1077. Hegiræ 470. die 25 Iuli. *Henricus* a papa absolutionem per triduum poenitens quaerit. Conuentus *Vlmae*, et postea *Forchemii*, vbi legati papae interfunt; *Rudolfus* nouus rex eligitur. Ius *haereditarium* in regnum germaniae hic sublatum, vt *Bruno* scribit. Hic desinit *Lambertus* schafnab. Moritur Romae *Agnes* mater Henrici. S. *Ladislaus* succedit *Geysae* in Hungaria, (qui *Croatiam* occupat; *Dalmatiam* postea Veneti.) Hic Ladislaus in Hungaria abbat. S. Aegidii *fundauit*, in qua non solent recipi, nisi Franci. Regnum *Maroccanum* institutum, *nubiens.* geographus. Papae foedus cum *Roberto* duce Calabriae et Apul. qui *iuramentum* papae praestiterat; huic *corona* promissa regni *romani*. *Boleslaus* 3 regis poloniae nomen vsurpat. *Nicephorus* Botoniates in partibus oriental. imperator nuncupatus; *Nicephorus Bryennius* in occidentalibus. *Anastasius*, monach. cluniac. in Hispania *Saracenis* praedicat, sine fructu. *Faida* inter S. *Gallum* et *Augiam*.

1078. Hegiræ 471. die 14 Iuli. Synodus romana 4. Praelia duo inter 2 Reges Germaniae. *Synodus* quinta *Romana*, in qua *Berengarius* auditus, ipse fidei professionem scribit. *Michaele* duca deiecto coronatur *Niceph.* botoniates; qui Niceph. bryennium captum oculis priuat. *Hugo*, dux Burgundiae, fit monachus cluniacens. papa inuito; Gregor. lib. 6 ep. 17. Epistola *Diderici*, virdun. epi, contra Gregor. 7. *Honthem* ex Goldasto; vid. gesta *Treuirorum*, (contra Henricum.)

1079. Hegiræ 472. die 4 Iulii. In Synodo *sexta* rom. Berengarius haeresi renuntiat, tertia fidei formula accepta; post disputationem cum *Brunone* et *Wolfhelmo*; legati vtriusque regis huic synodo interfuerunt. *Primatus Lugdun.* hoc anno institutus a papa; *Pagi* citauit scriptores nouos. *Stanislaus* epus *cracouienf.* a Boleslao rege occisus ad altare; in Sanctos relatus d. 7 Martii. *Anselmus*, ab. beccens. in Angliam proficiscitur. *Fritislar* combustum in *Rudolfi* expeditione Hassiaca.

1080. Hegiræ 473. die 22 Iun. *Synodus* rom. 7 in qua *Henricus* excommunicatus; is in concilio eporum 30 et legatorum 19, apud Brixiam antipapam *Guibertum*, rauennat. Gregorio opponit. chronic. *Vrspergens.* &c. Falsus

Mi-

A. Chriſti

Michael venit ad Robertum. *Rudolfus* rex occiſus in praelio apud *Eliſtrum*; Henricus *Italiam* non parum terret. Concil. *burgenſe* in Hiſpania. *Robertus* de Arbriſello fit pariſiis magiſter in Theologia. *Manaſſes*, aepiſc. remenſis ſede deiicitur; eius *Apologia* a *Mabillone* tom. 1 Muſei italici parte 2 edita. Concil. *lugdun.* et *auenionenſe*, per Epum Dienſem, legatum rom. ſedis. Synodus *Iuliobonenſis* (Lilesbona in Normandia) de *treuga dei*. In *vidocinenſi* monaſterio aliquis funem campanae collo imponens, ſeruum ſe facit; Mabillon. p. 149.

1081. Hegiræ 474. die 11 Iulii. *Alexius Comnenus* fit imperator; pacem cum *Turcis* facit, vt *Normannis* reſiſtat. Henricus *Romam* pergit, papam deiecturus; papae epiſtola ad *Altmannum* et abbatem Hirſaugienſem, legatos ſuos per Germaniam; Regi enim plerique adhaerebant. (*Altmannus*, patau. ep. Marchio Liupoldus et alii principes, coniurant contra Heinricum; chronic. clauſtroneoburg. tom. 1. *Pezii* rer. auſtriac.) *Arnaldus*, ep. antea ſcholaſticus, *cenomanenſis*, *filius ſacerdotis*, moritur. Robertus dux in *Dalmatiam* ducit, contra Graecos; Comites et principes in regno Arelatenſi hoc tempore a ſide in *Henricum* regem diſceſſerunt, quia rex a papa excommunicatus eſſet. *Bruno* ep. Andegau. moritur, quem (Baronius fautorem *Berengarianae* haereſeos dixit, *Pagi* negat. *Coſmae*, qui abdicabat, ſuffectus *Euſtratius*, Garidas, patr. Cpolit.

1082. Hegiræ 475. die 1 Iun. *Roma* obſeſſa ab Henrico; *Bonizo*, ep. Sutrienſis ab eo deiectus. *Hermannus* papae ſtudiis in Germania electus contra Henricum: confirmat priuilegia nouae Corbeiae. *Alexius* foedus cum Henrico contra Robertum proponit. Exemtioni abbatiae *Fontanellenſis* ſe opponit aep. rotomagenſis. Inter eumdem aepum et *beccenſes* actum, de *ferro iudicii*; Mabillon. annal. p. 187. Bulla aurea *Alexii*, ne bona eccleſiaſtica poſthac in rem publicam vertantur, apud *Baronium*.

1083. Hegiræ 476. die 21 Mai. Roma tertium obſeſſa. *Anna* Comnena naſcitur. De *Italo*, philoſopho, plura hic Pagi. *Boemundus*, fil. Roberti in Illyrico aduerſus *Alexium* res fe-

A. Chriſti

liciter gerit; is *Turcorum* auxilio eum vicit. *Affligemenſe* monaſterium conditur. Mariani chronicon hoc anno finit.

1084. Hegiræ 477. die 9 Maii — Henricus Romae a Guiberto, ſeu *Clemente* coronatur; vtroque enim nomine exſtant eius diplomate; Pagi ad a. 1083. n, 3 ſeq. plerique in Germania hunc papam amplexi. *Nicolaus* grammaticus fit patriarcha conſtantinop. Pagi ad a. 1089. De *Brunonis*, cartuſ. feceſſu, hic Mabillon agit.

1085. Hegiræ 478. die 29 Apr. — Conuentus in *Thuringia* tam *Henricianorum* quam *catholicorum*. Synodus in *Quedlinburg*, contra haereſin Henricianam et *Wecilianam*; (*Wecilo*, mogunt. alius aepus.) Synodus Henricianorum *Moguntiae*; confirmata deiectio papae; eius amici epi deiecti. Moritur *Gregorius* 7. etiam *Robertus* dux Apul. *Iohanne*, epo morauienſi mortuo, ſupprimitur epiſcopatus, pragenſi rurſus ſubiectus. Supereſt diploma Henrici imp. apud *Coſmam* pragenſ. *Toletum* Saracenis eripitur per *Alfonſum* 6.

1086. Hegiræ 479. die 18 Apr. — *Victor* 3 fit papa. *Canutus*, Daniae rex, a ſuis ob *decimarum* onus occiſus; vitam ſcripſit *Aelnoth*, edit. per Meurſium; dicitur ideo *martyr* et ſanctus. Synodus *moguntina*; Wratislaus, Bohem. et Polon. per aepum *treuirenſ.* iuſſus Pragae in regem vngi. S. *Nicolaus* verberibus aliquem compellit, vt antiphonam ipſi canat. Mabill annal. p. 231.

1087. Hegiræ 480. die 7 April — *Guiberto* Romae multi porro adhaerent; *Victor* aduerſus Saracenos in Africa militiam ſuſcitat; etiam *Piſani* in Africam claſſem pararunt. Synodus *Beneuenti* pro Victore, aduerſus quem *Hugo* aep. Lugdun. conuicia multa ſparſerat; ſperauerat ipſe papa fieri; eius epiſtola ad *Mathilden* ap. Hugonem flauin. in *Labbei* biblioth. noua tom. 1 p. 233 ſeqq. alia a. 1088 in Spicilegio habetur. Moritur rex Angliae *Withelmus*, conquaeſtor, eruditorum fautor. Floret *Conſtantinus* Afer *Salerni*; qui diſciplinis chaldaeorm, arabum, perſarum, aegyptiorum et Indorum inſtructus fuit. Tertia Gallorum expeditio in Mauros Hiſp. *Benno*, osnabrug. epus moritur, auctor 2 monaſteriorum, *Iburgi*, et in monte S. *Gertrudis*.

1088. Hegiræ 481. die 27 Mar. — *Vrbanus* 2 poſt Victorem fit ex epo *oſtienſi* papa; ſed nec hunc *Henricus* agnouit. *Alfonſus* Romam mittit

A.Chriſti

tit Bernardum monachum, vt pallium et primatum Hiſpaniae et Galliae Gothicae impetraret a papa; itaque *toletano* aepus tarracon. et narbonenſis nunc ſubiecti. *Hermannus* rex cathol. a Saxonibus, qui *Henricum* recipiunt, relictus, Metis ſepultus. *Ecbertus*, miſnenſis Marchio, in eius locum a factione electus; eo occiſo Marchionatus *miſnenſis* per Henricum a. 1090 datus *Timoni* Landsbergiae marchioni, a quo electores Saxonici deſcendunt. *Berengarius* moritur, cui *turonenſes* canonici iuſta annua perſoluunt. Bellum domeſticum in Anglia, rege *Wilhelmo*, rufo. *Hariulfus* abſoluit chronicon *centulenſe*, quod ſupereſt in *ſpicilegio* Dacherii. Delineatio eccleſ. *cluniacenſis* ap. Mabillon. annal. p. 252. *Bucco*, halberſtad. epus a ſeditioſis occiſus, in *Ilſenburg* ſepultus.

1089. Hegirae 480. die 16 Mar. Synodus romana; *Bertholdus* ſcribit, papam per legatos Cpolitanum imperatorem abſoluiſſe, ab excommunicatione. *Mathildis*, papae ſuaſu, nubit *Welfoni*, bauar. duci, iuniori. *Bonizo*, ep. Sutrienſis, poſtea placent. exoculatus moritur; martyr a parte catholica habitus. *Lanfrancus* cantuar. aep. moritur; vita d. 28 Maii. Saeuit morbus ſacri ignis, Sigebert; inuocabant *Antonium* M. cuius reliquiae ex Thebaide in Galliam inde a centum fere annis portatae. Monaſterium *Mellicenſe* in Auſtria benedictinis datum; *Pezii* auſtr. tom. 1. *Alexius* Latinis vſum azymorum vetat; concilium generale Cpolin dicitur indixiſſe, et papam ad id inuitaſſe; ex Malaterra. Concil. *Melphitanum* per papam habetur, can. 5 ne laici decimas ſuas *monaſteriis* aut canonicis conferant, ſine epo. *Anſelmus* ſcribit contra *Roſcelinum*; Mabill. annales.

1090. Hegirae 483 die 5 Mart. Bruno e Cartuſia Romam vocatur, papae conſiliarius. Concil. *toletanum*; lites de officio *toletano* retinendo, quod miles duello defendit; rex autem *gallicanum* officium tamen in eius locum ſubſtituit, non ſine ſtudio *cluniacenſium* in Hiſpania. *Iuo* fit ep. carnotenſis; papae auctoritas, qui ei fauit, a multis ſpreta. *Aroſienſis canonicorum* congregatio in Belgio ſub hoc tempus inſtituta, per *Heldemarum*; vid. acta SS. d. 13 Ian. Epiſtola

A. Christi

Waltranni, magdeburg. aepi, ad Ludouicum comitem; ei respondit *Herrandus*, halberstad. epus. *Dodechin.*

1091. Hegiræ 484. die 23 Febr. Synodus *Beneuenti* ab Vrbano habita. Henricus imper. occupat terras Mathildis, et *Mantuam*. Aepus *tarracon.* a papa petit restitutionem *metropolitani* in sua prouincia; frustra intercedit narbonensis aepus; *Baluzius* in append. ad librum de primatu. Moritur *Altmannus*, passau. vita eius apud *Pezium* tomo 1 austriac. Synodus *legionensis*; can. 1. regula *Isidori* de officiis eccles. praecipitur. 2. vt scriptores de cetero *gallicam* litteram scriberent, non *toletanam* in officiis eccles. *Alexius*, filium *Ioh. Comnenum* hoc vel sequenti anno in regnum adsumsit. Mortuus abbas Hirsaug. Willelmus qui capillos Petri e cluniaco petiit. In regno Teutonicorum *vita communis inter laicos* florere coepit; *Bertholdus*; eam *Vrbanus* 2 approbauit.

1092. Hegiræ 485. die 11 Febr. *Guibertus* Romam adhuc tenet; Henricus Longobardiam. *Alexius* scribit epistolas varias ad principes occidentales, pro auxilio contra Turcas impetrando. *Canonici* regulares multiplicantur, licet nullo sub ordine et capite communi. Pagi. Secta *nominalium* et *realium*; seu, qui in *voce* legebant, non nisi flatum putabant substantias *vniuersales*. *Odo* aurelian. composuit tres libellos dialecticos; ipse *realis*; Herimannus in narratione restaurationis abbatiae S. Martini tornacensis, in *spicilegio* Dacherii. Diuortium *Philippi* regis et Berthae; idem *Iuonem* ep. in carcerem coniecit. Rex postea a legato papae excommunicatus. *Ruperti*, tuitiensis primordia, Mabill. annal. *Cuno*, comes de Vulflingen, strenuus *miles S. Petri*, moritur. sepultus in monasterio suo zweyfaltensi, Bertholdus.

1093. Hegiræ 486. die 1 Febr. Concil. *Troiae* in Apulia, vnum hoc anno non 2. *Conradus* aduersus patrem rebellat. *Anselmus* fit aep. cantuar. *Malcolmus*, rex Scotiae, maritus S. Margarethae, occisus. *Goffrid* fit abbas vindocinens. Concil. sueſſion contra *Roscellinum*. *Collectae* fiunt in Gallia, Aquitania, pro *Vrbano* papa. Monasterium *Pegau*, in saxonia, dedicatum. De *bibliotheca* in pompositano monasterio agri Rauennat.

A. Christi

nat. quam auctor comparat cum *romana* et cunctis, vid. in *Montfauc.* diario italico, c. 6, epistolam *Henrici* cuiusdam.

1094. Hegiræ 487. die 21 Ian. *Vrbanus* recuperat *lateranense* palatium. In Synodo *constantiensi* querelae *Praxedis*, contra maritum Henricum imp. auditae. De *Roscelino* haeretico narrat *Dodechinus* in appendice ad Marianum; *Hariulfus*, abbas aldenburgenses absoluit 2 libris vitam *Arnulfi*, sueſſion. aepi. *Petrus*, eremita, excitat *Vrbanum* ad bellum sacrum. Rex angliae *Wilhelmus* in Anselmum regia auctoritate sua vtitur: e.c.agam ad meam voluntatem, non ad tuam.meae sunt abbatiae. Monasterium *Weingartense* sit vectigale S. Petro, auctum centum pene mansis: *Bertholdus.*

1095. Hegiræ 488. die 10 Ian. 489. die 31 Dec. In synodo *placentina* absoluta *Praxedis*; can. 15 contra simoniacas ordinationes. *Vrbanus* venit in Galliam; praeest *claromontano* concilio, can. 3. contra *redemtiones* altarium; iam manent monasteriis, saluo eporum censu annuo. vid. de *Marca* de concordia lib. 6 c. 30. can. 28, vt communio de altari non fiat per intinctionem, sed separatim corpus et sanguis sumatur; vid. Pagi; idem notat, exemplo eccles. *Hierosolymitanae*, quae cruciferis vnico symbolo s. coenam dabat, sensim inualuisse *vnam speciem*, accedente *Thomae* aquin. suffragio. In hoc concilio expeditio *hierosolymitana* procurata. Synod. *lemouicensis* &c. in eadem causa; papa praecepit cruces facere &c. *Ladislao* Hungar. regi succedit *Colomannus.*

1096. Hegiræ 490. die 19 Dec. Synodus *Turonis* ab Vrbano habita; similiter per ceteras maiores vrbes papa circumiit, et Synodos plures habuit. Primus exercitus cruciferorum e *Francis* ducitur per *Hungariam* &c. anonymus in *Mabillonii* museo ital. tomo 1 parte 2. Altera per *Slauoniam*; tertia Roma per mare, ad *Dyrrhachium* &c. *Boamundus*, princeps Tarenti, crucem sumit. *Raymundus* S. Aegidii comes, perpetuam candelam imagini Mariae efficit; et scyphum S. Roberti secum fert in bellum sacrum.

1097. Hegiræ 491. die 8 Dec. *Anselmus* romam proficiscendi veniam Regi extorquet, *Vrbanum* amplexus; inde a Gregorio 7 *nullus papa* in Anglia agnitus. Per iter scribit seq. anno librum,

cur

A. Chriſti.

cur *deus homo*. *Hildebertus* fit epus cenoman. *Nicaea* capta, *Antiochia* obſeſſa a cruciferis. Controuerſia de *primatu* inter aep. Iugdunenſem et Senonenſem. Initia *Petri Abaelardi*, ex diſcipulo aduerſarii Wilhelmi de campellis, qui ſtatuebat: eamdem eſſentialiter rem totam ſimul ſingulis ineſſe indiuiduis; *Petrus* autem fuit *Nominalis*.

1098. Hegiræ 492. die 28 Nou. Concilium papae in ciuitate *Bari*, praeſente *Anſelmo*, qui contra *Graecos* diſputat. Antiochia occupata a cruciferis. De fundatione ordinis *ciſtertienſis* pluribus hic Pagi; et Mabillon. in *annalibus*.

1099. Hegiræ 493. die 17 Nou. Concil. *romanum*; (non duo;) in quo confirmata via S. *ſepulcri* domini noſtri. *Dainbertus* ſenon. aep. agnoſcit *primatum Iugdunenſem*. Moritur *Vrbanus* papa. ei *Paſchalis* 2 ſuffectus. *Hieroſolyma* expugnata, *Godefr. Bullionius*, primus rex. Pagi hic refellit Iac. de *Vitriaco*, &c. *Bollandum*, qui equitibus hoſpitalariis patronum dant *Iohannem* eleemoſynarium, alexandr. cum ſit *Iohannes* baptiſta. Henricus imper. filium Henricum (quintum) regem creat, reprobato Conrado. Hoc anno finit *Gaufridus* a *Malaterra* libros 4 de geſtis *Roberti* Guiſchardi. Moritur *Rodrigus Diaz*, dictus Cid, eximius in Hiſpania Heros. Ludouicus a patre Philippo regni ſocius factus.

1100. Hegiræ 494. die 6 Nou. Moritur *Guibertus* antipapa; cui tres alii antipapae ſuffecti. Synodus *pictauienſis*, per papae legatos, contra matrimonium regis Philippi; rex excommunicatus. De incontinentia clericorum *Pagi* ex *Iuone*: non eſt locus ille ſanctimonialium, ſed mulierum daemonialium proſtibulum, corpora ſua ad turpes vſus omni generi hominum proſtituentium. Moritur rex *Godefridus*; *Balduinus*, eius frater, ei ſuffectus. Rex Angliae Wilhelmus occiditur; *Henricus* frater ſucceſſit, qui legatum papae in Angliam non admiſit. Papa confirmat *ordinem ciſtercienſem*. *Anſelmus* aep. mediol. dedicat eccleſiam S. ſepulcri mediolani, vt, qui non poſſint in Palaeſtinam proficiſci, hic ad *imaginem ſepulcri* veniant; delictorum tertia pars dimiſſa. Idem cruciatam praedicat in Longobardia, et tandem ipſe in palaeſtinam iuit. *Robertus*, magiſter, de Arbriſſellis, aedificat locum *fontis Ebraldi*.

Fin. Tom. II.

OF THE

14211
270F
Se5B Inv 2
Semler, J. S
Histor. Ecclesia

270F
Se5B
14211.